Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000067283

Digitized by Google

Phil. 85.

Digitized by Google

PHILOSOPHIA
PRACTICA
UNIVERSALIS,
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATA.

PARS POSTERIOR,

PRAXIN COMPLECTENS,

QUA OMNIS

PRAXEOS MORALIS

PRINCIPIA INCONCUSSA

EX IPSA

ANIMÆ HUMANÆ NATURA

A PRIORI DEMONSTRANTUR.

AUTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANÆ CANCELLARIO ET SENIORE, IURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, LONDINENSIS AC BORUSSICÆ MEMBRO.

EDITIO NOVA PRIORI EMENDATIOR.

CUM PRIVILEGIIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA

MDCCL.

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

REGI BORUSSIÆ,

MARGGRAVIO BRANDENBURGENSI, S. R. I. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI, SUPREMO PRINCIPI ARAUSIONENSI, NOVI-CASTRI ET VALENGIÆ, GELDRIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, IULIACI, MONTIUM, STETTINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUM ET MEGAPOLIS, NEC NON IN SILESIA CROSNÆ DUCI, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI, OSTFRISIÆ ET MURSII, COMITI HOHENZOLLERÆ, RUPPINI, MARCÆ, RAVENSBERGI, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI, LINGÆ, SVERINI, BURÆ ET LEERDAMI, DOMINO RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDÆ, LAUENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAYÆ ET BREDÆ

ETC. ETC. ETC.

REGI AC DOMINO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

REX AUGUSTE,

Duo inprimis ſunt, quæ, quod vulgo deſiderantur in eruditis, me ad ſcribendum impulerunt, nimirum ut viva ſit veritatis intime perſpectæ cognitio, eidemque convenienter determinando actiones ſuas ad vitæ perfectionem tanquam

ad

Digitized by Google

ad metam indefeſſo ſtudio contendatur, ne inanibus litigiis ac indecoris altercationibus mutua diſſidia & odia foveantur, nec, quam profitemur, doctrina exemplo contrario in ſuſpicionem ac contemtum adducatur. In hoc Volumine, quod ad MAIESTATIS TUÆ pedes humillima ac venerabunda mente depono, in omnem vitæ perfectæ rationem omni ratione inquiro, & quinam requiratur facultatum animæ uſus ad eam degendam omni cura ac ſollicitudine animis lectorum inculco, ut doctrina ad vitæ utilitatem tota componatur, ſitque doctrinæ ac vitæ pulcherrimus conſenſus, una ſit concordia, una conſequentia, adeoque quod ab ore profunditur, ex factis conſequatur autoritatem, & qui dignitate ac claritate natalium, vel etiam ſubacto judicio ceteros præemi-

nent, virtute moribusque compoſitis ceteris præeant, ad quorum quippe exemplum reliqui componuntur. Univerſus novit orbis, hæc MAIESTATIS TUÆ menti prorſus conſona eſſe, cujus cum interpres ſit præſens meorum operum philoſophicorum Volumen, doctrina, quam continet, ex auguſtiſſimo Nomine omnem conſequetur autoritatem. Quodſi igitur Nomine TUO, REX POTENTISSIME, quod ſanctum haberi debet, omnibus ad doctrinam iſtam humano generi adeo utilem, immo ſcitu neceſſariam, facilius aliis perſuadendam & felicius latiusque propagandam uterer; non verendum mihi videbatur, ne quid a MAIESTATE TUA inclementer in me dicatur. Etſi itaque abunde excuſaſſe videar hunc auſum, quod Nomen TUUM publico cultu venerari ſuſtineam;

neam; fuere tamen adhuc rationes prægnantiores aliæ, quæ me a propoſito averti non permiſerunt. Nunquam enim memoria mea excidet, quod paucis abhinc annis MAIESTATI TUÆ placuerit me Halam revocare, oblatis conditionibus tanti REGIS clementia & munificentia dignis, quibus & dignitas, & fortunæ augerentur atque exaggerarentur. Ubivis Terrarum ex eo apertiſſime collegerunt omnes, quam Numine ſapienter ac benigne providente Halæ accepi, calamitatem non iræ MAIESTATIS TUÆ; ſed ſuggeſtionibus inimicorum totam tribuendam eſſe, & quod antea conſtanter affirmaveram, nunc ultro confitebantur. Juſtitia prorſus ſingularis, quam hoc ipſo, REX IUSTISSIME, orbi univerſo comprobaſti, ſeris nepotibus deprædican-

Digitized by Google

dicanda, ſummam mihi injecit admirationem: clementiæ inexhauſtæ documentum maximo me cumulavit gaudio. Non defuit mihi animus redeundi, & voluntati indulgentiſſimæ obſequendi; ſed ut aliter ſtatuerem, gratus in Potentiſſimum Suecorum Regem, Dominum meum longe clementiſſimum, & Divos manes Sereniſſimi Parentis animus imperavit. Neque enim unquam oblivioni tradendum, quod in anguſtiis conſtitutus generoſiſſimo animo fuerim ſuſceptus, dignitate ac fortunis auctus, omni protectione in hunc usque diem uſus, ut, quod animo conceperam, opus arduum Philoſophiæ reformandæ, in utilitatem generis humani, non obſtantibus tot tantisque inimicorum machinationibus, & felicibus auſpiciis aggredi, & non interrupto labore con-

Digitized by Google

continuare licuerit: quæ unica cura eſt, quæ me tangit, cum Deo & Publico, non mihi vivere ab ineunte ætata decreverim. Etſi itaque per me non ſteterit, ut fortunæ meæ rationem haberem; me tamen ad gratias publice agendas obſtrictum ſentio, quas nunc in conſpectu totius orbis ſubmiſſa mente perſolvo, vt ſeri etiam intelligant nepotes me eſſe Juſtitiæ ac Virtutis heroicæ MAIESTATIS TUÆ præconem maxime ſincerum. Enimvero aliud adhuc ſupereſt, quod gratias publicas efflagitat, absque ingratitudinis, quam ſemper deteſtatus ſum, & quoad vixero deteſtabor, nota a me non intermittendas. Cum MAIESTATI TUÆ ſiniſtra de Philoſophia mea judicia omni animi contentione denuo inſinuarentur, & errores quinque fundamentales ſcripto conſignati

exhiberentur, antequam Viris probatæ doctrinæ ac vitæ examinandos tradi juberes, eosdem quoque mecum communicari imperaſti, ne ſententia altera parte inaudita lata diceretur, illosque ad animi ſui ſenſa candide aperienda omni religione adſtrinxiſti, tanquam rationem reddituros ſententiæ ſuæ & MAIESTATI TUÆ, & toti Eccleſiæ, & ipſi olim Deo, qui intima hominum corda ſcrutatur. Admiratus eſt orbis univerſus Juſtitiam ac Virtutem heroicam MAIESTATIS TUÆ, cumque ſententia eorum, quibus hoc negotium demandatum fuerat, doctrinam meam ab erroribus mihi imputatis abſolveret, non ſine ſingulari Numinis providentia factum, ut plures animum ad legenda ſcripta mea appellerent ac veritati victas manus darent, ut adeo Deo omnia in

bonum

Digitized by Google

bonum finem dirigente Antagoniſta meus maximi Philoſophiæ meæ Promotoris laudem ſit conſecutus, omnesque rerum æqui æſtimatores mecum vehementer doleant, quod, cum meritis ſuis frui potuiſſet, imbecillitate judicii ſeductus, aliorumque ſuggeſtionibus nimis facilem præbens aurem, maculam quandam famæ ſuæ adſperſerit. In conſpectu igitur totius orbis, & Deo T. O. M cujus ſingularem providentiam ab eo tempore expertus ſum, ex quo interitum mihi machinabantur inimici, & MAIESTATI TUÆ, juſtitia prorſus ſingulari mihi atque veritati proſpicienti, gratias maximas ago, ne quid a me prætermiſſum dici poſſit, quod gratus animus jubet, cogit atque imperat ei, qui ab omni ingratitudinis labe eum immunem præſtat. Maxi-

 mope-

Digitized by Google

mopere igitur confido, DOMINE CLEMENTISSIME, fore ut auſum meum non improbes, &, quod devotiſſima mente pono, gratiarum donum ſereno vultu intuearis. Servet TE Deus, REX AUGUSTE, ut exemplo TUO doceas Gentes juſtitiam! Ita vovet

MAIESTATIS TUÆ

humillimus ac devotiſſimus cultor

CHRISTIANUS WOLFIUS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Praxis moralis ſuis adſtringitur legibus, quas homo in determinandis actionibus ſuis violare nequit, & ſecundum quas agit, etiamſi eas ignoret, nec quod eas obſervet ſibi conſcius ſit. Actiones externæ motu organorum corporis perficiuntur, quem talem eſſe, qualem ferunt ſtructura corporis & vires, nemo eſt qui ignoret, aut in dubium revocare auſit, niſi abſurditatis manifeſtæ extemplo convinci velit. Pendent autem ab appetitionbius & averſionibus animæ, quas certæ legi eſſe ſubjectas & dudum agnovere veteres, & in Pſychologia docuimus, & unusquisque in ſeipſo quo-

vis momento experiri valet, modo non cœcutiat in iis diſcernendis, quæ in anima fiunt, nec ſine peculiari quodam acuminis atque attentionis gradu advertuntur. Actus appetitus & averſationis utriusque a facultate cognoſcitiva utraque pendent, ſingulas autem facultatis cognoſcitivæ quaſi partes inviolabili coërceri lege in Pſychologia evicimus, ut nemo hoc ignoret niſi culpa ſua. In determinationem adeo actionum humanarum omnes omnino facultates hominis influunt, quorum datur & uſus, & abuſus, & non uſus, cum de earundum applicatione ad agendum & non agendum vi libertatis ſuæ diſponere poſſit. Inde eſt, quod actionum humanarum detur rectitudo, quæ facultatum omnium uſum requirit, cui per naturam deſtinantur, &, ubi ab eadem defecerint actiones, culpa contrahatur. Eadem quoque ratio eſt, cur praxis moralis a priori demonſtrari poſſit, ex ipſa hominis natura: id quod hactenus vel non agnitum, vel inter ea relatum, quæ ſphæram intellectus noſtri tranſcendunt. Quoniam igitur mihi propoſitum eſt philoſophiam univerſam methodo ſcientifica, quantum datur, pertractare; de eo quoque cogitandum erat, quomodo hunc defectum ſuppleturus praxin moralem a priori demonſtrarem. Dantur autem ſicuti Theoriæ,

ita

Digitized by Google

ita etiam Praxeos principia generalia. Quemadmodum igitur in parte priore Theoriæ; ita in hac poſteriore Praxeos principia generalia expoſuimus. Actiones humanæ duplici modo ſpectari poſſunt, nimirum aut in ſe citra omnem reſpectum ad actiones alias, quas vel antea commiſimus, vel in poſterum committemus, vel quæ a nobis data occaſione committi poſſe intelliguntur, aut in relatione ad alias, quas modo recenſuimus. Et dum actiones humanæ in ſe conſiderantur, eas aut tanquam actus phyſicos ſpectamus, præciſa omni moralitate, ita ut non habeatur ratio niſi determinationis actualitatis earundem, nulla vero relationis ad agentem ac ſtatum ipſius externum, vel etiam homines alios eorundemque ſtatum externum; aut moralitatem illarum inſuper expendimus, ita ut inquiramus, quomodo ſeſe habeant ad agentem hominesque alios ſtatumque hominum externum. Quodſi actiones humanæ phyſice ſpectentur, quæ de iis concipiuntur, bonis atque malis communia ſunt, ut regularum, quæ ad eas determinandas præſcribuntur, non minus detur abuſus, quam uſus pro diverſitate moralitatis earundem. Inde eſt, ut malis etiam actionibus inſit, quod in bonis imitandum, & ex malis aliorum actionibus proficere liceat in recte agendi ſtudio.

Immo

Immo eadem de cauſa actionum phyſice ſpectatarum datur rectitudo bonis & malis communis, ob quam actiones malæ laudantur, qua vero deficiente bonæ reprehenduntur, ac malæ præciſa etiam moralitate cenſuram incurrunt. Conſona hæc ſunt non modo notionibus communibus, verum doctrinæ Chriſti. Ecquis enim eſt qui neſciat, dum facta latronum aliorumque hominum ſceleratiſſimorum deteſtamur, ſubinde in iisdem deprehendi, quod, quia placet, ab abominatione aufert indignationem, quamdiu animum ad id advertimus, & in cauſa eſt, ut doleamus, quod eandem induſtriam ac circumſpectionem non attulerint ad bene agendum, qua in perpetrandis flagitiis abuſi ſunt, & ex adverſo quædam ab iis prætermiſſa quaſi culpæ tribuamus, quatenus delicto contraria notantur. Neque eſt qui ignoret, Chriſtum laudare adminiſtratorem bonorum domini injuſtum ob male facta, quatenus prudentiam ſapiunt, & quoad prudentiam generalem prærogativam tribuere improbis præ probis. Quodſi actiones hominum ad ſe invicem referantur, unam ab altera dependere deprehendimus, ita ut omnes ſimul ſeriem quandam conſtituant, quæ vita moralis appellatur, quatenus iisdem moralitas inhæret. In hac actionum ſerie vel una eſt concordia, vel diſcor-

Digitized by Google

diſcordia regnat. Unde naſcitur notio perfectionis ac imperfectionis vitæ moralis. In vita perfecta nullus notatur defectus rectitudinis, ſive actiones in ſe ſpectes, ſive in earundem dependentiam a ſe invicem inquiras, ita ut nullibi habeas, quod in uſu facultatum deſideres. Aſt in vita imperfecta rectitudo iſta non uno modo deficit, ita ut nunc facultatum reprehendatur abuſus, nunc redarguatur non uſus. Et cum ante inſinuaverimus, rectitudinem aliquam ſpectari poſſe etiam præciſa moralitate, alteram vero hanc præſupponere; vita perfecta utramque rectitudinem exigit, varius autem utriusque defectus imperfectionem vitæ moralis variat. Ad perfectionem contendere tenemur, ut ad eandem continuo propius accedamus: ipſam autem metam nunquam attingere licet pro præſenti rerum ſtatu. Neceſſe igitur eſt, ut conſtet, quænam ad perfectionem iſtam requirantur, & quinam eſſe debeat facultatum omnium uſus, quo acquiritur, quænam vero ſit ratio, cur uſus iſte nobis non ſemper concedatur. Hactenus dicta qui perpendit, haud difficulter aſſequetur, quænam in hac altera Philoſophiæ practicæ univerſalis parte fuerint pertractanda, ut ea nomen ſuum tueatur. Qui attenta mente perluſtrare voluerit ea, quæ in præſente Volumine conti-

Digitized by Google

ſentur; ex dictis rationem reddet, cur de iis agendum nobis fuerit, ut adeo de ea reddenda non multum ſolliciti eſſe debeamus. Ubi vero eadem ad animum revocare, & accurata mentis lance perpendere voluerit; quamnam faciem induere debeat Philoſophia moralis, ut inter partes Philoſophiæ locum mereatur, & certam diſcentibus ſpondeat utilitatem, prævidebit. Nec minus convincetur, praxin moralem non eſſe adeo facilem, ut nullo negotio acquiratur, quemadmodum vulgo putatur; ſed majore ſtudio opus eſſe ad voluntatem perficiendam, quam ad animum literis ac doctrinis imbuendum. Patebit etiam Philoſophiam moralem offerre ſublimia, in quibus non minus acumen ſuum exercere valeant ingenia profunda, quam in numerorum, figurarum & motuum ſcientia. Immo non dubito fore aliquos, qui indignabuntur Philoſophis, quod culturam Philoſophiæ moralis adeo turpiter neglexerint, a qua tamen generis humani felicitas tota pendet. Cumque gratia naturam non deprimat & evertat, ſed elevet ac perficiat, ut facultatum uberior ac præſtantior evadat uſus; qui in Theologia ſatis fuerint verſati, poſthac non verbis tantummodo extollent gratiam, ſed quomodo eadem uſus facultatum perficiatur, quo ad perfectionem

vitæ

Digitized by Google

vitæ contenditur, & felicitatem conſequi datur, diſtincte explicabunt, & luculentiſſime demonſtrabunt. Quo facto non modo aliam faciem induet Theologia moralis, quæ ipſa pulchritudine ſua ſeſe commendabit etiam iis, qui ſublimia tractant; verum etiam religionis chriſtianæ præſtantia ac neceſſitas clariſſime eluceſcet. Neque etiam aliam viam ad abditos mentis receſſus indagandos dari, quam praxin moralem noſtra methodo expoſitam, ex hoc ipſo opere addiſcet. Enimvero nemo a Philoſophia practica univerſali expectet, quæ Philoſophiæ moralis ac civilis ſunt, ad tractationem ſpecialem pertinentia. Etenim in univerſali Philoſophia practica non traduntur niſi principia generalia, quæ notionum directricium loco ſunt in ſpecialibus inveſtigandis, ut pateat qua ſit eundum, nec ad quæſita denegetur aditus. Evolvimus notionem vitæ perfectæ, ut intelligatur, quæ ad eandem requirantur, nec ab eadem abeſſe poſſint. Docemus, quomodo dirigendæ ſint actiones humanæ, ut vita perfecta vivatur. Exponimus uſum omnium facultatum ad eam degendam neceſſarium. Monſtramus abuſum, quo ab eadem retrahimur. Diſtincte etiam explicamus, quomodo non uſu facultatum ab eadem arcemur. Et quoniam ſummum bonum

 ſine

Digitized by Google

ſine ſtudio vitæ perfectæ conſequi non licet, a ſummo autem bono felicitas ſeparari nequit: omnem ſummum bonum ac felicitatem terreſtrem conſequendi modum enucleamus: quænam objiciantur conſecuturo impedimenta, & quomodo ea ſuperentur monſtramus. Cuſtodia conſcientiæ magnum ad felicitatem præſidium eſt, nec cum ea culpæ ſenſus conſiſtit. Quamobrem omni quoque ſtudio inculcamus, quomodo conſcientiam cuſtodire, & animum a ſenſu culpæ immunem præſtare debeamus. Denique cum nullibi magis homines & ſibi metipſi, & aliis imponant, quam moribus, unde tanquam ex fonte profluunt ipſorum actiones; noſtrum quoque eſſe duximus in principia generalia artis conjectandi mores inquirere, eademque ſtabilire. Generalia hæc principia applicanda ſunt ad diverſa actionum humanarum genera, ut prodeant ſpecialia, quorum promptus eſt in omni vita uſus. Enimvero quis non videt, applicationem hanc fieri debere in Philoſophia morali, quo fine hic traduntur generalia? Prævideo fore nonnullos, qui exiſtimaturi ſunt, praxin moralem, quæ omnium omnino hominum eſt, reddi difficilem, ut conveniat pauciſſimis: immo exigi ab hominibus, quæ ultra humanam ſortem poſita videntur. Sed non unum

Digitized by Google

unum habeo, quod repono. Per præcipitantiam vix amplius condonandam, poſtquam Logicam & Metaphyſicam univerſam ea luce colluſtravimus, quæ ad diſpellendas mentis nebulas abunde ſufficit, confunduntur, quæ a ſe invicem ſeparanda ſunt. Regulas, quibus continetur praxis moralis, ex natura mentis humanæ eruere, arduum utique ac difficile eſt. Enimvero hoc non omnium eſt, ſed eorum, quibus majus acumen, quam ceteris mortalium largitum eſt Numen providentiſſimum. Neque negamus, quod regularum demonſtrationes comprehendere, ut evidentiæ relinquant ſenſum, haud quaquam facile ſit, cum hoc Logicam & Metaphyſicam univerſam tot voluminibus comprehenſam intime perſpectam præſupponat. Enimvero nec hoc omnium eſt, ſed eorum, quibus majorem, quam ceteris diligentiam, & excellentiores animi dotes conceſſit benigniſſimum Numen. Ceteri enim horum reguntur exemplo, ad quorum imitationem mores ſuos componunt, vel regulas ſumunt tanquam veras, autoritate aliena confiſi, & veritatis earundem a poſteriori convincuntur, dum eam in ſeipſis experiuntur. Veritates religionis chriſtianæ omnibus omnino cognitu neceſſariæ, qui ſalutem æternam curæ cordique ha-

Digitized by Google

bent. Ecquis vero illarum tam exaſcitam cognitionem requirit in quovis præcone verbi divini, ac in Theologo? Quis eandem illarum cognitionem exigit in quovis auditore ac in verbi divini præcone? Nemo ſane affirmaverit, ſtudium Theologiæ nimis difficile reddi, quod iis legibus adſtringatur, quibus vulgus imperitum ſatisfacere nequit. Si quis eam ſaltem in Theologo urgeret veritatum revelatarum notitiam, quæ rudi plebi ſatisfacit; ejus utique ſententia digna judicaretur, quæ contemneretur. Non igitur inique ferant contemtum, qui noſtrae morum doctrinæ difficultatem obtendunt, quod tota ad captum plebis imperitæ non eſt compoſita. Ceterum dum in præſenti opere agimus, quod noſtrum eſt, occaſione ita ferente, multis ſcitu neceſſariis lucem affundimus, quæ forſan non quiuis in illo quæſiuerit. Docemus, quale eſſe debeat ſyſtema legum naturalium, & quomodo, quaque mentis vi ſit condendum. Explicamus notionem circumſtantiarum, & quomodo eæ ſint inveſtigandæ oſtendimus, aliaque de iis ad praxin moralem profutura inculcamus. Expendimus concurſum ad actionem alterius, magni vtique momenti non modo in ardua de imputatione doctrina, verum etiam in aliis praxeos moralis capitibus. Evoluimus

uimus notiones inſtrumenti, occaſionis, imitationis, ardoris agendi & non agendi, cognitionis vivæ, æmulationis, morum, ſimulationis, & de ſingulis ea tradimus, quorum notitia carere nequit praxis moralis. Demonſtramus, quodnam adjumentum ad virtutis culturam vitiorumque fugam afferant exempla & experientia, præſertim domeſtica, quorum major vis eſt, quam quæ vulgo agnoſcitur. Tradimus theoriam generalem motivorum & impedimentorum, mirifice profuturam iis, qui nec ſeipſos negligere, nec in aliorum moribus corrigendis inanem operam ſumere voluerint. Exhibemus quoque theoriam fabularum & ceremoniarum hactenus, ni toti fallimur, deſideratam, & multiplicem eundemque vulgo non ſatis agnitum utriusque theoriæ uſum in praxi morali, inſignem prorſus nec omnibus expectatum, evincimus. *Et*, vt alia taceamus, arduum ſolvimus problema de reducendo intellectu cum ſenſu & imaginatione, ac appetitu ſenſitivo cum rationali ad conſenſum, de quo hactenus non cogitarunt Philoſophi, etſi in praxi morali omne ferat punctum, quique ſibi conſulere voluerit, omni animi contentione in id eniti teneatur, ne inter ſenſum & imaginationem atque intellectum, appetitum item ſenſitivum ac rationalem,

Digitized by Google

lem, & averſationem ſenſitivam atque rationalem ullus amplius ſuperſit diſſenſus. Neque enim alio pacto ex ſervitute morali in veram libertatem teipſum vindicabis, ac dominus tui ipſius evades. Quodſi viam, quam monſtro, calcaverint eruditi; tum fore confido, ut ceſſent altercationes indecoræ & mutua odia, quibus nomen eruditorum infamatur, & conſtans ſit doctrinæ ac vitæ conſenſus. Dabam Marburgi Cattorum, d. 24. Martii A. 1739.

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ UNIVERSALIS
PARS II.
*P*RAXIN DEMONSTRANS.
CAPUT I.
DE GENERALI ACTIONUM HUMANARUM DIRECTIONE.

§. 1.

Conſenſus actionum qualis requiratur.

H*omini hæc cura eſſe debet, ut actiones liberæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiant.* Obligatur enim ad actiones intrinſece bonas committendas (§. *127. Part. I. Phil. pract univ.*). Quamobrem cum actiones intrinſece bonæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiant (§. *114. Part I. Phil pract. univ.*); hæc ipſi cura eſſe

debet, ut actiones liberæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiant.

Hic actionum conſenſus homini continuo ob oculos verſari debet, ſiquidem vitam homine dignam vivere velit, facultatibus ſibi a natura conceſſis recte uſurus. Non levis hæc cura eſt, ſed difficilis. Multæ enim ſunt homini facultates, quarum uſus in agendo concurrit & a libertate noſtra dependet. Is omnis nobis probe perſpectus eſſe debet, ne aliqua emergat in actionibus contrarietas, ob quam cenſuram incurrat. Parum equidem de eo cogitant tantum non omnes; non tamen ſupervacaneum exiſtimandum, quod vulgo non agnoſcitur. Quis enim eſt acutiorum, qui non videat, actiones humanas multa imperfectionis labe eſſe infectas, quod hæc cura abjiciatur, quam hic commendamus, immo urgemus. Nobis ea tradere conſtitutum eſt, quæ veritati, non quæ hominum opinioni conſentanea ſunt. Nulla eſt & contemnenda ſciolorum quorundam objectio, quaſi hac lege homo ſceleratus mentem ac mores nunquam mutare debeat, ne actiones poſteriores ab anterioribus diſſentiant. Suam enim in dijudicando actionum conſenſu ac diſſenſu hebetudinem manifeſto produnt. Conſenſus, quem hic requirimus, nonniſi in actionibus locum habere poteſt, quæ a rectitudine ne hilum quidem recedunt: in actionibus vero ſcelerati multa eſt contrarietas, ſi in ſe ſpectentur ac inter ſe conferantur, nedum ſi cum naturalibus componantur. Accedit, quod hic ſpectemus hominem ad actionum liberarum determinationem adhuc indifferentem, non vero quatenus aliquam agendi conſuetudinem jam contraxit, quæ num emendanda ſit, an retinenda diſquiritur. Parum eſt philoſophus, qui, cum ſibi Argus videatur, ſumma adhuc miſcet imis, oſcitatione minime condonanda.

§. 2.

Quomodo conſenſus iſte obtineatur.

Si actiones hominis liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentire debent, per easdem rationes finales determinandæ ſunt, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas.

Digitized by Google

verſas. Etenim ſi actiones hominis liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentire debent, intrinſece bonæ ſint neceſſe eſt (§. *114. Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi actiones per ipſam hominis rerumque eſſentiam atque naturam, adeoque intrinſece bonæ fuerint (§. *124. Part. I. Phil. pract. univ.*), per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales (§. *125. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi actiones hominis liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentire debent, per easdem rationes finales determinandæ ſunt, per quas determinantur naturales, adeoque non per diverſas (§. *28. Ontolog.*).

Patet adeo, quomodo conſenſus iſte actionum, quem in propoſitione præcedente urgemus, obtineatur. Non eſt quod objicias eum obtinendi difficultatem: neque enim de eo nobis jam quæſtio eſt, num difficilis ſit obtentu, ſed de modo, quo obtineri poteſt. Difficultas vero hæc ſuperanda ei, qui theoriam actionum determinandarum ſpecialem condere voluerit, non autem illis, qui ſecundum eam actiones ſuas determinare decreverint. Philoſophia practica univerſalis generalia tradit principia, quæ notionum directricium loco ſunt ad regulas ſpeciales inveniendas, ad quas actiones in dato caſu particulari componendæ. A generalibus progrediendum eſt ad ſpecialia, ſuo loco ſuoque tempore inde derivanda.

§. 3.

Convenientia actionum cum lege naturæ ad earum conſenſum requiſita.

Si actiones omnes legi naturæ fuerint conformes, & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt, & contra. Etenim ſi actiones omnes legi naturæ fuerint conformes, nulla earum alio modo determinatur, quam quo eas determinari lex iſta vult. Enimvero lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas (§. *154. Part. I. Phil.*

pract. univ.). Quamobrem vult, ne ulla earum per alias rationes finales determinetur, quam per quas naturales determinantur. Enimvero ſi actiones liberæ omnes per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, intrinſece bonæ ſunt (§. *124 125. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque inter ſe & cum naturalibus conſentiunt (§. *114. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi actiones omnes legi naturæ conformes fuerint, & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt. *Quod erat unum.*

Quodſi actiones omnes inter ſe & cum naturalibus conſentiunt, per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales (§. 2.), ſi actiones per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas; agens legem naturæ ſervat (§. *155. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter actiones ſuas juxta eandem determinat (§. *138. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actiones ſint legi naturæ conformes, quæ juxta eandem determinantur, eidem conformes omnes eſſe debent, ſi & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt. *Quod erat alterum.*

Patet adeo conſenſum iſtum actionum, quem urgemus, requirere omnimodam actionum omnium cum lege naturæ convenientiam; conſequenter ſi conſtet, actionem ſic vel aliter determinatam eſſe legi naturæ conformem, eo ipſo patet, eam nullum parere in actionibus noſtris diſſenſum. Ubi vero conformibus miſcentur difformes, conſenſui, quem urgemus, locus non eſt.

§. 4.

Rigor in cuſtodienda lege naturæ obſervandus.

Si actiones liberæ omnes inter ſe & cum naturalibus conſentire debent, a cuſtodia legis naturalis nunquam recedendum. Etenim ſi actiones liberæ omnes inter ſe, & cum naturalibus conſentire debent; omnes legi naturæ conformes ſint neceſſe

neceſſe eſt (§. 3.). Quamobrem cum cuſtodia legis naturalis in determinatione actionum liberarum juxta naturæ legem conſiſtat (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque actiones liberæ tamdiu eidem conformes ſint, quamdiu a cuſtodia eius non receſſeris; evidens omnino eſt ab ea nunquam eſſe recedendum, ſi quidem actiones liberæ omnes non minus inter ſe, quam cum naturalibus conſentire debent.

Elucet adeo ſummus rigor in ſervanda lege naturæ obſervandus, ſi quidem id conſequi volueris, ut actiones tuæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentire debeant.

§. 5.

Quoniam a cuſtodia legis naturæ nunquam recedendum, ſi quidem actiones omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentire debent (§. 4.), ea autem homini curæ eſſe debet, ut actiones liberæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiant (§. 1.); *lex naturæ tota ſervanda eſt.* *Cur lex natura tota ſervanda.*

Amplitudo legis naturalis per ea manifeſta eſt, quæ de ea demonſtravimus in parte prima. Unde intelligitur, quanta ſit cura, quam homo adhibere tenetur, ut actiones ipſius liberæ inter ſe atque cum naturalibus conſentiant.

§. 6.

Virtus requirit conſenſum actionum liberarum omnium & inter ſe, & cum naturalibus. Requirit enim, ut actiones omnes legi naturali conformiter dirigantur (§. 321. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ſeu ut omnes eidem ſint conformes. Enimvero ſi actiones omnes legi naturæ fuerint conformes, & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt (§. 3.). Virtus itaque requirit conſenſum actionum liberarum omnium & inter ſe, & cum naturalibus. *Virtus quid requirat.*

Apparet adeo, curare ut actiones liberæ omnes & inter ſe, & cum naturalibus conſentiant, atque virtuti ſtudere unum idemque eſſe. Cura igitur, quam paulo ante (§. 1.) præcipimus, a virtu-

tis ſtudio ſeparari minime poteſt. Et ſi cujus animum cura iſta tenet, is certus eſſe poteſt, ſibi virtutem curæ cordique eſſe. Hanc itaque omnibus ſerio commendamus; quotquot virtutis cultura cordi fuerit, ne ſibi eam adepti videantur, cum ab ea procul adhuc abſint.

§. 7.

Vita moralis.

Vita moralis dicitur complexus actionum liberarum, quæ ab homine eduntur. Vocatur etiam *Vita* ſimpliciter, ubi ex contextu patet, de morali eſſe ſermonem. Vernacula **der Wandel**, ſubinde etiam **der Lebens-Wandel** appellari ſolet, quamvis etiam phraſi latinæ convenienter **das Leben** dicatur, ubi ſcilicet ex contextu liquet, de actionibus liberis eſſe ſermonem.

Hinc *vitam vivere* dicitur *peſſimam*, cujus actiones ſunt peſſimæ: Germanice, er führet ein ärgerliches Leben.

§. 8.

Vita bona & mala.

Vita dicitur *bona*, ſi actiones hominis fuerint bonæ, *mala* vero, ſi eædem malæ fuerint. Similiter ab honeſtate actionum *vita honeſta* appellatur; ſicuti ab inhoneſtate actionum *inhoneſta*.

Sunt & alia actionum humanarum epitheta, quæ vitæ tribuuntur morali. Cumque ex epithetis ſtatim appareat, de vita morali ſermonem eſſe; Vitam ſimpliciter dicimus (§. 7.). Equidem rigoroſe loquendo &, niſi vim inferre volueris notionibus vita hominis non poterat dici bona, niſi ubi omnes actiones liberæ fuerint bonæ & ſingulæ prorſus bonæ, ita ut nulla ex parte a rectitudine deficiant, ſi ſingulos actus, qui eam ingrediuntur, ſpectes: quoniam tamen hoc humanam ſortem ſuperare videtur, vitam hominis bonam appellamus, ſi pleræque actiones fuerint bonæ, nec ea pejoribus contaminetur. Et ex adverſo vitam ejus appellamus malam, cujus pleræque actiones malæ ſunt: ſit ita quod ſubinde malis interponantur bonæ. Neque enim quis adeo malus eſt, ut non ſubinde actiones quaſdam bonas committat, nec quoddam malarum actionum genus averſetur. In theoria tamen notionibus ſtricte inhærendum.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9.

Perfectio vitæ moralis conſiſtit in conſenſu actionum liberarum omnium inter ſe & cum naturalibus. Etenim vita moralis eſt complexus omnium actionum liberarum, quæ ab homine eduntur (§. 7.), quarum magnam eſſe varietatem experientia domeſtica unumquemque docet. Enimvero in conſenſu, qui datur in varietate, ſeu qui eſt plurium a ſe invicem differentium in uno, perfectio conſiſtit (§. 503. *Ontol.*). Perfectio igitur vitæ moralis conſiſtit in conſenſu actionum liberarum omnium inter ſe & cum naturalibus. *Perfectio vitæ moralis in quo conſiſtat.*

Hinc intelligitur, quanti ſit momenti illa cura, quam initio commendavimus (§. 1.) & cur ab ea initium capere debuerimus praxin generalem dirigendarum actionum tradituri. Etenim in id nobis enitendum eſt, ut vitam perfectam vivamus: Sit ita quod perfectionem ipſam, dum ſumus mortales, nunquam conſecuturi ſimus. Danda eſt opera, ut continuo propius ad eandem accedamus, nec noſtra culpa remotiori intervallo ab ea diſtemus, quam facultatum noſtrarum uſus nobis conceſſus vel concedendus permittere debebat.

§. 10.

Cum perfectio vitæ moralis in conſenſu actionum liberarum omnium cum inter ſe, tum cum naturalibus conſiſtat (§. 9.): *Cujus actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt, is vitam vivit perfectam.* *Quinam vitam perfectam vivat.*

Probe hoc notandum eſt, ne quis ſibimetipſi imponat, quaſi metam jam attigerit, a qua longiſſimo adhuc intervallo diſtat, nec ſine ſummo damno ſibi videatur, qui non eſt.

§. 11.

Eodem modo patet, *quo plures hominis actiones liberæ cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt, eo propius ipſum ad vitæ moralis perfectionem accedere.* *Gradus appropinquationis ad perfectionem vitæ.*

Prin-

Digitized by Google

Principium hoc uſui eſt in capiendo profectus experimento, & in profectibus aliorum tum inter ſe, tum cum propriis conferendis. Idem viam ſternit ad cognitionem perfectionis vitæ moralis mathematicam, quam tamen in præſenti non curamus, utpote ab inſtituto noſtro alienam. Excitandum tamen eſt eorum acumen, qui poſthac philoſophiam cum Matheſi copulaturi ſunt.

§. 12.

Gradus remotionis a perfectione vitæ.

Ex adverſo liquet, *quo pauciores hominis actiones liberæ cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt, eo longius ipſum a vitæ moralis perfectione diſtare.*

Quæ de propoſitione præcedente modo (not. §. 11.) annotavimus, ea ad præſentem quoque trahenda. Proderit etiam præſens propoſitio cum præcedente ad vitanda temeraria de profectu aliorum judicia, nec patietur affectus influere in ea, quibus vulgo plurimum dare ſolent de vita morali aliorum ſententiam ſuam pronunciaturi. Animum præterea ad ulterius progrediendum addet iis, quibus vitæ perfectio curæ cordique eſt, quemadmodum omnibus eſſe debet. Abſit itaque, ut quis per tranſennam adſpiciens ea, quæ hic de actionum liberarum conſenſu demonſtrantur, ſibi perſuadeat, quaſi inanes ac ſteriles abſque neceſſitate fingantur ſubtilitates.

§. 13.

Imperfectio vitæ moralis in quo conſiſtat.

Imperfectio vitæ moralis conſiſtit in diſſenſu actionum liberarum cum inter ſe, tum a naturalibus. Vita enim moralis eſt complexus actionum liberarum, quæ ab homine eduntur (§. 7.), quarum multiplicem eſſe varietatem nemo non novit. Quoniam itaque imperfectio eſt diſſenſus in varietate, ſeu plurium a ſe invicem differentium in uno (§. 504. *Ontol.*); imperfectio vitæ moralis conſiſtere nequit, niſi in diſſenſu actionum liberarum omnium cum inter ſe, tum a naturalibus.

Quodſi

Digitized by Google

Quodſi notionem perfectionis & imperfectionis vitæ, quam homo vivit, moralis intelligere volueris, quæ de notione perfectionis ac imperfectionis in genere tradita fuere in Ontologia, probe perpendenda ſunt. Qui notiones ontologicas ſpernit, is ſibi imputet, quod majorem deſideret lucem in moralibus, absque iis non impetrandam. Quemadmodum vero vita moralis vitæ opponitur phyſicæ, ad quam actiones naturales referuntur; ita etiam perfectio & imperfectio vitæ moralis non confundenda eſt cum perfectione ac imperfectione vitæ phyſicæ ſeu naturalis, quarum illa ex conſenſu, hæc ex diſſenſu actionum naturalium æſtimatur. Oſtendemus ſuo loco, perfectionem vitæ naturalis ad corporis ſanitatem redire. Unde eſt, quod & mens hominis ſana dicatur, ubi omnes ejus facultates functiones ſuas rite obeunt, ita ut in actionibus animæ nullus obſervetur rectitudinis defectus. Hiſce illuſtrandis inſervire interea poſſunt, quæ de notione ſanitatis propoſuimus in Trimeſtri æſt. A. 1729. horarum ſubſecivarum num. IV. Elegans apparebit analogia inter mentis ac corporis ſanitatem, ita, ut utriusque ſanitas tanquam duæ ſpecies eidem generi ſubdi poſſint, ſervato notionum rigore. Plura vulgo pro metaphoricis habentur, quæ propriiſſime dicta agnoſcit Philoſophus principiis ontologicis, tanquam notionibus directricibus, convenienter determinans rerum notiones. A metaphyſica enim, quæ ob tenebras vulgo contemnitur, unice expectanda eſt lux, qua in Philoſophia omni profundiora rimantur, absque illa in apricum minime protrahenda.

§. 14.

Quoniam imperfectio vitæ moralis in diſſenſu actionum cum inter ſe, tum cum naturalibus conſiſtit (§. 13.); *cujus actiones liberæ inter ſe & a naturalibus diſſentiunt, is vitam vivit imperfectam.* *Quandonam vita moralis ſit imperfecta.*

Patet adeo ex diſſenſu actionum liberarum cum inter ſe, tum a naturalibus intelligi; quod homo vivat vitam imperfectam. Quamobrem principium hoc maximi momenti eſt, ſiquidem ſerium tibi fuerit propoſitum vitæ moralis imperfectionem omni ſtudio evitandi,

di, quod utique eſſe debet, ubi vitam homine dignam agere volueris.

§. 15.

Gradus imperfectionis vitæ moralis.

Hinc porro patet, *quo plures actiones liberæ cum inter ſe, tum a naturalibus diſſentiunt, eo procul a vitæ perfectione recedi, & eo majori imperfectioni hanc obnoxiam eſſe.*

Quæ paulo ante de gradibus perfectionis vitæ æſtimandis dicta ſunt (*not.* §. 11.); ea etiam ad gradus imperfectionis applicanda ſunt.

§. 16.

Undenam ſit minor imperfectio.

Ex adverſo, *quo pauciores actiones liberæ cum inter ſe, tum a naturalibus diſſentiunt, eo procul a vitæ imperfectione receditur, & eo minus imperfectioni hæc obnoxia eſt.*

Atque adeo patet, quomodo dijudicanda ſit vitæ imperfectio, ne quod ad eam pertinet cum iis confundas, quæ perfectionis ſunt. Humanam ſortem ſuperat vita perfecta, ſi nullibi ne in minimis quidem defectus aliquis apparere debet. Quamvis perfectioni ſumma diligentia ſtudeas, miſcebuntur tamen, quæ imperfectionis ſunt, ita ut agens ne quidem ſibi conſcius ſit imperfectionis. Quodſi ergo accuratiori diſcuſſione uti volueris, ut veritati quam maxime conſentiat judicium; principiis jam demonſtratis utendum erit, quæ non obſcura videbuntur, nec difficilem applicationem parient niſi ei, qui diſciplinas metaphyſicas neglexit, nec in parte prima philoſophiæ practicæ univerſalis ſatis fuit verſatus.

§. 17.

Quomodo ad vitam perfectam perveniatur.

Qui vitæ perfectæ ſtudet, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere debet, ſeu actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur. Cum enim is vitam perfectam vivat, cuius actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt (§. 10.); qui vitæ perfectæ ſtudet, ei hæc cura eſſe debet, ut actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiant. Enimvero ſi actiones omnes

omnes liberæ, cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentire debent, a cuſtodia legis naturalis nunquam recedendum (§. 4.). Quamobrem qui vitæ perfectæ ſtudet, is a lege naturali nunquam, ſeu ne latum quidem unguem recedere debet, conſequenter actiones ſuas omnes eidem conformare tenetur (§. *138. Part. I. Phil. pract. univ.*).

Vides adeo, quomodo ad vitam perfectam perveniatur, ſollicita nimirum legis naturalis cuſtodia. Tenendum vero legem naturæ ſumendam eſſe in ea latitudine, quam ipſi in parte prima tribuimus, ut omnis omnino actionis liberæ, qualiscunque tandem ſit, determinandæ norma ſit; minime vero iis limitibus coërcendam eſſe, quibus vulgo coarctatur præſertim ab iis, qui vel bonitatem & malitiam actionum intrinſecam non agnoſcunt, aut non niſi per tranſennam inſpiciunt. Neque mirum videri debet, vitam eſſe perfectam, ſi omnes actiones exacte legi naturali conformentur, cum lex naturæ nos obliget ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas (§. *154. Part. I. Phil pract. univ.*), ita ut hæc determinatio ſit principium juris & legum naturalium (§. *179. part. cit.*), hac ipſa autem determinatione enaſcatur iſte actionum liberarum inter ſe & cum naturalibus conſenſus (§. 2.), in quo perfectio vitæ moralis conſiſtit (§. 9.). Non eſt, quod excipias, ſi vita perfecta ſit, quando legi naturali ex aſſe conformis; non opus eſſe, ut de conſenſu actionum liberarum inter ſe & cum naturalibus ſimus ſolliciti, cum conſenſus iſte ſua ſponte reſultet. Etenim perfectionem vitæ moralis non percipimus, niſi quatenus hujus conſenſus nobis ſumus conſcii, & dum eundem agnoſcimus certi ſumus, nos actiones liberas omnes & ſingulas integras naturæ legi conformiter determinaſſe. Cuſtodia legis naturalis medium eſt ad perfectionem vitæ moralis ducens: Ecquis vero medium confundet cum fine, cui conſequendo deſtinatur? Venditatur haud raro pro lege naturali, quæ non eſt, & actiones adeo eidem conformes exiſtimantur, quæ non ſunt. Determinatio vero, quam conſenſus iſte requirit, nos certos reddit, quod a ſcopo non aberraveri-

Digitized by Google

verimus. Accedit quod ex notione conſenſus hujus deduci poſſint, quæ ad perfectionem vitæ moralis ſpectant, ex cuſtodia legis naturalis non deducenda.

§. 18.

Medium propius accedendi ad vitam perfectam.

Quo magis homo actiones ſuas legi naturæ conformat; eo propius ad vitam perfectam accedit. Etenim ſi vitam perfectam vivere velit, ne latum quidem unguem a lege naturali recedere debet, ſed actiones ſuas omnes quoad minima eidem conformare tenetur (§. 17.). Quamobrem quo magis actiones ſuas legi naturæ conformat; eo propius ad vitam perfectam accedit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Cum vitæ moralis perfectio in conſenſu actionum liberarum omnium inter ſe & cum naturalibus conſiſtat (§. 9.), conſequenter conformitatem omnium cum lege naturali requirat (§. 3.); quo magis actiones tuæ legi naturæ fuerint conformes, eo propius ad perfectionem vitæ moralis accedis.

Loquimur hic de *perfectione vitæ philoſophica*, quæ lumine rationis nobis innoteſcit, & recto facultatum noſtrarum uſu obtinetur; non vero de *theologica*, quæ nonniſi lumine revelationis pateſcit. Quod enim ea philoſophicæ ſuperaddat, quæ rationi obvia non ſunt, ex iis intelligitur, quæ de differentia virtutis philoſophicæ et theologicæ ſeu chriſtianæ tradidimus parte prima (§. 338, 340.). Sed quæ de ſublimiori iſta perfectione dicenda ſunt, ea Theologis diſcutienda relinquimus. Philoſophus enim ultra cancellos ſuos progredi minime debet, ſed circumſpecte cavere tenetur, ne *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος* committat. Plurimum refert a ſe invicem ſollicite diſtingui, quæ ſunt rationis & quæ ſunt revelationis, ut dilucidius conſtet, quomodo gratia naturam juvet atque perficiat. Quanti vero hoc ſit momenti, me tacente perſpicient, quotquot differentiam naturæ ac gratiæ profundius rimati ſunt.

§. 19.

Digitized by Google

§. 19.

Quo minus homo actiones ſuas legi naturæ conformat, eo procul a vita perfecta diſtat. Etenim quo magis eas legi naturæ conformes reddit, eo propius ad vitam perfectam accedit (§. 18.), conſequenter quo minus easdem conformat, eo minus quoque ad eandem accedit. Quamobrem cum eo procul quis a meta diſtet, quo minus ad eandem accedit; quo quis minus actiones ſuas legi naturæ conformat, eo procul a vita perfecta diſtare debet. *Quando procul a vita perfecta abſimus.*

Vides adeo, quam noxius ſit neglectus ſervandæ legis naturalis, & quam neceſſaria ſit circumſpecta diligentia in actionibus ſuis eidem conformandis. Maxima homini cura eſſe debet, ut vitam vivat perfectam, & ad eam continuo propius propiusque accedat. Maxime igitur ſollicitus eſſe debet, ut legem naturæ ſervet.

§. 20.

Quo magis hominis actiones legi naturæ difformes ſunt, eo majori imperfectioni vita ejus obnoxia eſt. Etenim quo magis actiones hominis legi naturæ difformes ſunt, eo pauciores & inter ſe, & cum naturalibus conſentiunt (§. 3.). Aſt quo pauciores actiones cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt, eo majori imperfectioni vita hominis obnoxia eſt (§. 15.). Quamobrem quo magis actiones hominis legi naturæ difformes ſunt, eo majori imperfectioni vita ejus obnoxia eſt. *Quænam ſit ad imperfectionem vitæ via.*

Patet adeo transgreſſionem legis naturalis eſſe viam ad imperfectionem vitæ moralis (*§. 139. Part. I. Phil. pract. univ.*), cavendam adeo eis, qui ab eadem abhorrent: abhorrere autem tenentur omnes.

§. 21.

Ad vitam perfectam requiritur omnimoda actionum rectitudo. Quodſi enim vita perfecta eſſe debeat, homo actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17.). Quam- *Rectitudo actionum omnimoda ad vitæ per-*

fectionem requiſita. Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actionum liberarum rectitudinem (§. *189. Part. I. Phil. pract. univ.*); vita moralis perfecta eſſe nequit absque omnimoda actionum rectitudine. Ad vitam igitur perfectam requiritur omnimoda actionum rectitudo.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ne quis perfectionem vitæ ex convenientia actionum externarum cum lege naturæ æſtimet, ſibique & aliis imponat, quaſi eum perfectionis gradum jam attigerit, a quo tamen procul adhuc diſtat. Inſervit ea detegendis nævis, quibus actiones bonæ adhuc inficiuntur, ſæpius latentibus, nec niſi hoc ſubſidio in apricum producendis.

§. 22.

Pietas philoſophica ad vitam perfectam requiſita. *Ad vitam perfectam requiritur pietas philoſophica.* Etenim ſi vita perfecta eſſe debet, homo actiones ſuas omnes quoad minima legi naturæ conformare tenetur (§. 17.). Quamobrem cum homo lege naturali obligetur ad directionem actionum ſuarum ad gloriæ divinæ manifeſtationem (§. *254. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque ad determinandum actiones liberas per motiva ab attributis divinis deſumta (§. *919. Part. I. Theol. nat.*); vita ejus perfecta eſſe nequit, niſi actiones ſingulæ determinentur per motiva ab attributis divinis deſumta. Enimvero pietas philoſophica conſiſtit in habitu conformandi actiones legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum, quatenus lumine rationis innotuerunt (§. *339. Part. I. Phil. pract. univ.*). Absque pietate igitur philoſophica vita hominis perfecta eſſe nequit, conſequenter ad vitam perfectam pietas philoſophica requiritur.

Agimus hic de perfectione vitæ moralis, quatenus lumine rationis innoteſcit: id enim eſt Philoſophi, qui ea demonſtrat, quæ rationis ſunt. Theologus ſuperaddit, quæ, cum ſupra rationem ſint, nonniſi per revelationem innoteſcunt. Quoniam vero quod

ſupra

Digitized by Google

ſupra rationem eſt, id non contra eandem eſt (*§. 461. Part. I. Theol. nat.*); Philoſophus demonſtrans, quæ ſunt rationis, non excludit ea, quæ ſphæram rationis tranſcendentia Theologus ſuperaddit, utpote eorum poſſibilitatem agnoſcens & ultro largiens (*§. 457. Part. I. Theol. nat.*), immo ejus lumine adjutus ulterius progreditur (*not. §. 455. Part. I. Theol. nat.*). Primas igitur Theologo ſemper defert. Quamvis vero quæ de pietate philoſophica demonſtrantur, ea etiam urgeat ſcriptura ſacra; pietas tamen theologica philoſophicam minime excludit. Cum enim Chriſtus urgeat in actionum determinatione omnem omnium facultatum uſum, *Luc. X, 27.* nec naturalem excludit. Hunc enim qui intermittit, facultatum ſuarum uſum non omnem facit, quem facere poteſt. Ceterum ne quis exiſtimet, urgeri a nobis, quæ fieri nequeunt; probe perpendendum eſt, conſuetudine agendi contracta agi vi motivorum præteritorum, quatenus confuſe perceptorum memoriam habemus (*§. 923. Pſych. empir.*), etſi, ubi quid jam ſæpius appetivimus, vel averſati fuimus aliquid, id denuo oblatum ſtatim appetamus, vel averſemur, nulla ratione, cur idem appetamus, vel averſemur, diſtincte expenſa.

§. 23.

Decorum ad vitam perfectam requiſitum.

Ad perfectionem vitæ requiritur, ut actiones hominis ſint decoræ. Etenim ut vita ſit perfecta, homo actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17.). Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam (§. *203. Part. I. Phil. pract. univ.*); ad perfectionem vitæ utique requiritur, ut actiones hominis ſint decoræ.

Vulgo hoc non agnoſcitur, quod lex naturalis decori detur (*§. 204. Part. I. Phil. pract. univ.*), ſed decorum omne ab hominum opinione dependere exiſtimatur, quaſi naturaliter decorum nihil ſit; in quo quod fallantur qui ſic ſentiunt, abunde conſtat (*§. 196. Part. I. Phil. pract. univ.*). Equidem non diffiteor, minores eſſe nævos, quos vita moralis ab indecoro contrahit, quam quibus

Digitized by Google

quibus intrinſeca malitia & defectus rectitudinis ac pietatis eandem inficit; negari tamen haud quaquam poteſt, nævos etiam minores eſſe nævos, & hos abeſſe debere, ubi nullis prorſus vita contaminari debet. Immo qui notionem vitæ perfectæ (§. 9.) & notionem decori (§. 194. *Part. I. Phil. pract. univ.*) rite expenderit, vitam perfectam nævos iſtos non ferre agnoſcet. Suo autem conſtabit loco majus momentum in decoro poſitum eſſe, quam vulgo putatur.

§. 24.

Culpa cum vita perfecta non conſiſtens.

Qui vitam perfectam vivere vult, ab omni culpa vacuum habere debet animum. Quoniam enim ad vitam perfectam omnimoda requiritur actionum rectitudo (§. 21.); qui vitam perfectam vivere vult, in ejus actionibus nullus notari debet actionum rectitudinis defectus. Quamobrem cum omnis culpa in defectu rectitudinis conſiſtat (§. 696. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ab eo, qui vitam perfectam vivere vult, culpa omnis abeſſe debet. Neceſſe igitur eſt, ut ab omni culpa vacuum habeat animum.

Vides adeo doctrinam de culpa non modo uſui eſſe in Jure; verum etiam in moralibus apprime eſſe neceſſariam, ut adeo in iis ferendus non ſit ejus neglectus. Immo uſus ejus in moralibus multo latior eſt, quam in Jure, quemadmodum non modo ex theoria, quam in parte prima tradidimus, intelligitur, ſed & ex praxi deinceps in hac parte altera tradenda eluceſcet. Patebit etiam in ſequentibus, quantum in eo ſitum ſit, ut poſſideamus animum ab omnis culpæ ſenſu vacuum.

§. 25.

Cur dolus culpa & culpa media a vita perfecta abeſſe debeat.

Quoniam & dolus (§. 701. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & culpa in ſpecie ſic dicta (§. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & culpa media culpæ in genere ſic dictæ ſpecies eſt (§. 784. *Part. I. Phil. pract. univ.*), qui vero vitam per-

perfectam vivere vult, ab omni culpa vacuum habere debet animum (§. 24.); *qui vitam perfectam vivere vult, is non modo ab omni dolo procul remotus eſſe debet, verum etiam a culpa & culpa media liber ſit neceſſe eſt.*

Equidem culpæ omnis evitatione tantummodo arcetur defectus rectitudinis vincibilis; vitæ autem moralis perfectio, cum omnimodam actionum rectitudinem requirat (§ 21), nullum fert rectitudinis defectum: tenendum tamen majorem vitæ perfectionem in homine urgeri non poſſe, quam patitur infirmitas naturalis, homini condonanda, non imputanda.

§. 26.

Nexus vitæ perfectæ cum virtute.

Qui virtutem colit, vitam perfectam vivere ſtudet, & contra. Etenim cum virtus conſenſum actionum liberarum omnium tum inter ſe, tum cum naturalibus requirat (§. 6.); qui virtutem colit, operam dat, ut actiones ſuæ liberæ cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiant. Quoniam itaque vitam perfectam vivit, cujus actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt (§. 10.); qui virtutem colit, vitam perfectam vivere ſtudet. *Quod erat unum.*

Ex adverſo ſi quis vitam perfectam vivere ſtudet, is operam dat, ut actiones vitæ omnes quoad minima cum lege naturæ conformes ſint (§. 17.). Quamobrem cum virtutem colat, qui actiones ſuas omnes legi naturali conformiter dirigere ſtudet (§. *321. Part. I. Phil. pract univ.*); qui vitam perfectam vivere ſtudet, is virtutem colit. *Quod erat alterum.*

Apparet adeo nexus neceſſarius inter virtutem & vitam perfectam, ita ut absque virtute vitam perfectam vivere non detur, & ex virtute procedere debeant actiones, quibus vita perfecta abſolvitur, nec omnibus ſuis numeris abſoluta ſit virtus, niſi quæ cum vita perfecta conjungitur. Quoniam vero cum eadem cohæ-

ret virtus omnis, ſi qua virtutum abſit, nec vita perfecta eſſe poterit. Quamobrem virtutem omnem colere debet, nulla prorſus excepta, qui vitam perfectam vivere voluerit.

§. 27.

Quod Deo vivere ad vitam perfectam ſpectet.

Qui vitam perfectam vivere ſtudet, actionum committendarum & omittendarum motiva a voluntate DEI deſumere tenetur. Quoniam enim ad vitam perfectam requiritur pietas (§. 22.), & qui eam vivere ſtudet, virtutem colit (§. 26.); qui vitam perfectam vivere ſtudet, is pietatem cum virtute conjungere tenetur. Enimvero qui pietatem cum virtute conjungit, actionum committendarum & omittendarum motiva a voluntate DEI deſumit (§. *341. Part. I. Phil pract. univ.*). Quamobrem qui vitam perfectam vivere ſtudet, is actionum committendarum & omittendarum motiva a voluntate DEI deſumere tenetur.

Vita adeo perfecta non eſt, niſi actiones legi naturæ conformes committantur, quia DEUS vult eas a nobis committi, nec eidem difformes omittit, quia DEUS vult eas a nobis omitti. Voluntati adeo divinæ actionibus ſuis ſatisfacere ſtudet, DEO non ſibi vivens. Voluntati itaque divinæ conformis eſſe debet vita, quæ perfecta eſſe debet, nec intentio ſatisfaciendi eidem a perfectione vitæ ſeparari poteſt. Quamobrem etſi Sinenſes vitam perfectam vivere ſtuduerint, ab ea tamen procul adhuc remoti fuerunt, quod actiones legi naturali conformes non ideo commiſerint, quia DEUS eas a nobis committi vult, nec voluntati divinæ ſatisfacere intenderint.

§. 28.

Finis ultimus actionum humanarum.

Finis ultimus actionum humanarum eſt perfectio ſui aliorumque. Quoniam lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram tendunt, & omit-

omittendas eas, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram tendunt (§. 152. *Part. I. Phil. pract. univ.*), perfectionem autem noſtram conjunctis viribus promovere tenemur (§. 221. *Part. I. Phil. pract. univ.*); actiones noſtras omnes ad perfectionem noſtram aliorumque dirigere tenemur, conſequenter quicquid agimus, perfectionis noſtræ aliorumque gratia agere tenemur. Quamobrem cum id finis ſit, propter quod agimus (§. 932. *Ontol.*); perfectio ſui aliorumque eſt finis actionum humanarum omnium &, ſi quis alius actionis cujusdam finis eſt, is tandem in hunc reſolvi debet. Finis ultimus eſt, in quem tandem ceteri omnes reſolvuntur (§. 943. *Ontol.*). Perfectio adeo ſui ipſius aliorumque eſt finis actionum humanarum ultimus.

Vulgo dicitur, finem ultimum eſſe gloriam DEI, huic ſubordinari bonum publicum & utrique tandem bonum privatum, atque adeo non deſunt, qui argutantur, perfectionem ſui aliorumque minus recte pro fine ultimo haberi. Enimvero hi ſunt, qui non ſatis perpendunt, quid ſit gloria DEI, & quomodo actionibus humanis illuſtretur, nec conſiderant, in quonam hominis perfectio accidentalis, quæ actionibus noſtris promoveri poteſt, conſiſtat. Alias enim viderent, a perfectione noſtra gloriæ divinæ illuſtrationem diſtingui minime poſſe, nec ei opponi bonum publicum *tanquam* quidpiam ab ea diverſum, & quod promovere non poſſit, qui perfectioni ſui ſtudet. Qui ita ſentiunt, vim ac poteſtatem perfectionis, quæ in hominem cadit, minime tenent. Pluribus ea patebunt tum ex modo demonſtrandis, tum ex aliis, quæ ſuo loco tradituri ſumus. Acutioribus ipſa notio perfectionis in philoſophia prima tradita (§. 503. *Ontol.*) & ad hominem applicata aperiet oculos, præſertim ubi principiorum Theologiæ naturalis non fuerint ignari. Tenebræ in Philoſophia practica non diſpelluntur, niſi luce metaphyſica affulgente.

Digitized by Google

§. 29.

Diſtinctius explicatur.

Finis ultimus actionum humanarum conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem DEI ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius. Etenim finis ultimus actionum humanarum eſt perfectio ſui aliorumque (§. 28.). Enimvero perfectio hominis conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem DEI ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 917. *Part. I. Theol. nat.*). Ergo finis ultimus actionum humanarum conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem DEI ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius.

Vides itaque, quomodo gloriæ divinæ manifeſtatio inſit perfectioni noſtræ, ut ab ea ſeparari nequeat, ſit ita quod hoc minime advertant, qui notiones rerum non ſatis profunde rimantur. Nimirum dum perfectioni tuæ ſtudes, hoc ipſo aptus evadis ad gloriam divinam manifeſtandam, & quatenus perfectionem tuam intime perſpicis, te eſſe aptum ad gloriam divinam manifeſtandam agnoſcis, modo ſummam DEI perfectionem & dependentiam creaturarum ab eadem agnoſcis, quam in Theologia naturali abunde explicavimus. Ceterum ne quid in propoſitione præſente relinquatur obſcuri, non modo probe perpendenda eſt demonſtratio de perfectione hominis in aptitudine perfectionem DEI ſummam repræſentandi conſiſtente (§. 917. *Part. I. Theol. nat.*); verum etiam principia illa diligentiſſime diſcutienda, quæ eandem ingrediuntur.

§. 30.

Quid homo intendere debeat in omnibus ſuis actionibus.

Homo in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet. Etenim perfectio ſui aliorumque eſt finis ultimus actionum humanarum (§. 28.), adeoque fines ceteri omnes propter eundem ſunt (§. 943. *Ontol.*). Quamobrem cum finis ab agente intendatur (§. 617. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec finis eſſe poſſit, niſi quod directe intenditur

Digitized by Google

ditur (§. *622. Part. I. Phil. pract. univ.*); quin homo in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debeat, dubitandum non eſt.

Vides adeo, perfectionem ſui aliorumque agenti continuo ob oculos verſari debere, ita ut ad eam tanquam ad metam contendere teneatur. Quibus terminus perfectionis inviſus eſt, ii non ſatis intelligunt, quid ſibi velit, non noſtra, ſed ſua culpa. Etenim nos ſufficienter eundem explicavimus; & ſparſim in Ontologia, Theologia naturali & parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis tradidimus, quæ huc faciunt, ſingula quippe eo loco proponentes, ubi per anteriora intelligi & ex iisdem demonſtrari poſſunt. Quamobrem ſi cui quid in iis, quæ jam docemus, fuerit obſcuri; is ſibi tribuat, quod ad Philoſophiam practicam illotis manibus accedat.

§. 31.

Idem diſtinctius explicatur.

Quoniam perfectio hominis in aptitudine repræſentandi perfectionem DEI ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam eius conſiſtit (§. *917. Part. I. Theol. nat.*), in omnibus autem actionibus is perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet (§. 30.); *in omnibus ſuis actionibus homo directe intendere tenetur, ut efficiatur aptus aptique evadant alii ad perfectionem* DEI *ſummam repræſentandam, ſeu ut gloria ipſius per ſe & per alios manifeſtetur.*

Qui propoſitionem præſentem intelligere voluerit (plurimum vero refert, ut nemo non eandem intelligat); is cognita ſibi & perſpecta reddat, quæ de creaturarum a DEO dependentia, & modo per eandem repræſentandi perfectionem divinam diligentiſſime demonſtravimus (*§. 798 & ſeqq. Part. I. Theol. nat.*). Ex iis patet hominem, qui eodem, quo creaturæ ceteræ, modo a DEO dependet, per eſſentiam atque naturam ſuam, ac inde fluentes actiones naturales perfectionem divinam repræſentare, ita ut non minus ex ſe, quam ex creaturis reliquis ſupremum Numen agno-

Digitized by Google

ſcere poſſit. Et in hac aptitudine repræſentandi perfectionem Numinis perfectio ipſius eſſentialis conſiſtit, quam communem habet cum creaturis omnibus, quarum nulla tam abjecta videri debet, quin eandem participet: id quod ex Viri ſummi & merito ſuo celeberrimi *de Reaumur* Commentariis Hiſtoriæ inſectorum inſervientibus, opere in omni Hiſtoria naturali ſine pari, abundantiſſime elucet. Homo actiones ſuas liberas duplici modo determinare valet, vel ut cum naturalibus conſentiant, vel ut ab iisdem diſſentiant. Ubi liberæ cum naturalibus conſenſerint, perfectio accidentalis illibata conſervatur, & homo accidentaliter redditur perfectus, quemadmodum eſſentialiter ſeu per eſſentiam & naturam ſuam, hoc eſt, quatenus eſt DEI opus, perfectus eſt. Unde non minus per actiones liberas & habitus, ex quibus fluunt, acquiſitos perfectionem divinam repræſentat, quam eandem repræſentat per eſſentiam atque naturam ſuam ac hinc fluentes actiones naturales. Atque hoc pacto homo non deformat opus DEI, quod utique facit, ſi ſe reddat accidentaliter imperfectum. Utinam hoc omnes ſatis meditarentur, ut intelligerent, quid ſit vitam homine dignam vivere! Qui hæc nondum intellecta ſpernit & ſubtilitatum metaphyſicarum nomine infamare conatur, is ſuo abundet genio, permittat vero, ut philoſophus, cui DEUS dedit, ut acutius videat, in deliciis habeat, quod in vita humana pulchrum eſt & ad ardua intimius perſpicienda viam ſternit.

§. 32.

Quando vita legi naturæ conformis nondum degatur.

Qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque directe non intendit; is vitam legi naturæ conformem nondum vivit. Quoniam enim directa intentio eſt, qua id intenditur, propter quod agens agit (§. *621. Part. I. Phil. pract. univ*); adeoque agens vult, ut id fiat, propter quod agit (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque directe non intendit, is quoque non vult, ut ipſe atque alii fiant perfecti. Lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem

nem

nem noſtram aliorumque tendunt, & ad eas omittendas, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram aliorumque tendunt (§. *152. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui adeo perfectionem ſuam aliorumque non vult, ſeu non vult, ut ipſe aliique fiant perfecti; is legi naturali minime ſatisfacit, conſequenter qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque directe non intendit, is vitam legi naturali conformem nondum vivit.

Qui legi naturali actiones ſuas externas conformes tantummodo reddere ſtudet, ne habeant alii, quod in iis reprehendant, nec ſeriam habet intentionem nil quicquam faciendi, quod legi naturali quomodocunque contrariatur; is legi naturæ nondum ſatisfacit, ad quod requiritur, ut id per actiones ſuas intendat, ad quod intendendum lex naturæ nos obligat, neque adeo vita ipſius legi naturæ conformis dici poteſt. Quamobrem cum lex naturæ nos obliget, ut actiones noſtras ad noſtram aliorumque perfectionem dirigamus, tum demum eidem conformis erit actionum liberarum complexus, adeoque vita moralis (§ 7.), ubi eam conſequi & ut eandem conſequantur alii pro virili ſtudemus, adeoque ad eam tanquam ad metam contendamus, nil magis in voto habentes, quam ut apti efficiamur aptique efficiantur alii ad perfectionem Numinis creatoris ac conſervatoris univerſi ſummam repræſentandam, nec aliunde majorem voluptatem percipientes, quam ex aptitudine eandem repræſentandi. Vides adeo, quo animo eſſe debeat, qui vitam legi naturæ conformem vivere velit. Animus hic fructus eſt ſubtilitatum iſtarum metaphyſicarum, quas per contemtum ſic appellant nonnulli ſcientiæ generi humano utiliſſimæ amplificandæ obicem poſituri: id quod eo minus ferendum, ſi id faciant eo animo, ut videantur aliis, qui non ſunt.

§. 33.

Quando vitam perfectam vivere

Qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque non intendit; is vitam perfectam vivere minime ſtudet. Etenim qui

non ſtudeamus. qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque non intendit, adeoque actiones ſuas ad eandem tanquam ad metam non dirigit (§. *621. 616. Part. I Phil. pract. univ.*); cum lex naturæ nos obliget ad committendas eas actiones, quæ per ſe ad noſtram aliorumque perfectionem tendunt, ad eas vero omittendas, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram aliorumque tendunt (§. *152. 223. Part. I Phil pract. univ.*), legi naturæ nondum ſatisfacit. Enimvero qui actiones ſuas omnes quoad minima legi naturæ conformes reddere non ſtudet, is vitam perfectam vivere minime ſtudet (§. 17.). Quamobrem qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque non intendit, is vitam perfectam vivere minime ſtudet.

Brevius idem oſtenditur vi propoſitionis præcedentis. Nimirum qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque non intendit, is vitam legi naturæ conformem nondum vivit (§ 32.). Aſt qui vitam legi naturæ conformem nondum vivit, is nec vitam perfectam vivere ſtudet (§. 17.). Quamobrem qui in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque non intendit, is vitam perfectam vivere minime ſtudet.

Patet itaque quænam ejus intentio eſſe debeat, qui vitam perfectam ut vivat curæ cordique habet: lubet tamen hoc in ſequente propoſitione demonſtrare, ne quid inſufficienter probatum admiſiſſe videamur.

§. 34.

Directa intentio ejus, qui vitæ perfectæ ſtudet. *Qui vitam perfectam vivere ſtudet, in actionibus omnibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet.* Qui vitam perfectam vivere ſtudet, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturæ conformes reddere tenetur (§. 17.), conſequenter eidem conformem vitam vivat diligentiſſime

ſtudet.

ſtudet (§. 7.). Enimvero qui vitam legi naturæ conformem vivere ſtudet, is in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque directe intendit (§. 32.). Quare qui vitam perfectam vivere ſtudet, is in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet.

Homo cum intellectu præditus ſit, intelligere poteſt, quæ volt; immo ſi libere quid velle debet, quod vult, intelligat neceſſe eſt. Non igitur ſufficit, ut faciamus ea, quæ ad noſtram aliorumque perfectionem tendunt; verum etiam requiritur, ut intelligamus hiſce, quas committimus, actionibus perfectionem noſtram aliorumque promoveri, conſequenter ut velimus actiones, quatenus huc faciunt, adeoque perfectionem noſtram aliorumque intendamus. Secus ſi fiat, non omnem facimus facultatum noſtrarum uſum, quem facere poteramus: *id* quod tamen exigitur, ſiquidem actiones humanæ eſſe debent, hoc eſt, tales, quales ab homine proficiſci poſſunt, & ſi agendum eſt, prout hominem decet. Merentur quæ dico attentionem, neque enim exigui momenti ſunt in praxi morali, quæ ad influxum omnium facultatum in actiones quaslibet pertinent, etſi pauci ſint, qui huc animum advertunt, incogitantiæ ſuæ haud raro pœnas dantes. Sed hæc & ex ſequentibus, & ſuo loco ex ſpeciali praxi clarius elucefcent.

§. 35.

Qui vitæ perfectæ ſtudet, ea, quæ faciunt ad perfectionem hominis, diſtincte cognoſcere debet. Etenim qui vitam perfectam vivere ſtudet, in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque intendere debet (§. 34.). Quamobrem cum intentio ſit actus voluntatis, qua volumus id, propter quod agimus (*§. 616. Part. I. Phil. pract. univ.*), neceſſe eſt, ut, dum agimus, perfectionem noſtram aliorumque velimus. Enimvero ſi quid appetere debemus, *Diſtincta perfectionis hominis cognitio ad vitam perfectam requiſita.*

Digitized by Google

id ante cognoſcere debemus (§. *929. Pſych. empir.*), & diſtincte quidem cognoſcendum eſt, quod velle debemus (§. *880. Pſych. empir.*). Quamobrem qui vitæ perfectæ ſtudet, perfectionem humanam, hoc eſt ea, quæ faciunt ad eandem, diſtincte cognoſcere debet.

Notionem perfectionis accidentalis hominis, de qua hic nobis ſermo eſt, cognoſcere minime valemus, niſi perſpecta fuerit eſſentialis, quæ naturalis eſt homini. Perfectionem hominis neque eſſentialem, neque accidentalem cognoſcere valemus, niſi notio perfectionis in genere fuerit perſpecta, quam in Philoſophia prima evolvimus. Atque adeo patet, redeundum tandem eſſe ad notiones metaphyſicas. Perfectio humana, quam in Moralibus conſideramus, potiſſimum ad animam ſpectat. Eam igitur absque animæ humanæ cognitione expectare non licet: quæ cum ex Pſychologia tota haurienda ſit, absque Ontologia non intelligenda, denuo ad Metaphyſicam redeundum. Abunde igitur patet, quam ſint neceſſariæ metaphyſicæ notiones in Moralibus, ut adeo Metaphyſicam continuo experiatur vindicem ejus contemtor. Non eſt, quod homines plebejos nobis opponas: quæ enim ipſis imputari minime poſſunt, ea tamen imputantur aliis, qui ampliorem facultatum ſuarum uſum facere poterant ac ideo debebant. Quibus amplior conceditur facultatum uſus, ab iis etiam plus exigitur.

§. 36.

Finis actionum primarius quinam ſit, & quomodo perfectio intendi debeat.

Sui aliorumque perfectio eſt finis actionum humanarum primarius & ab agente immediate intendi debet. Eſt enim finis ultimus (§. 28.). Quare cum propter ultimum ceteri omnes ſint (§. *943. Ontol.*); quicunque præterea ſunt actionum humanarum fines particulares, ii non intenduntur, niſi propter perfectionem noſtram aliorumque (§. *617. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo præter perfectionem ſui aliorumque non daretur actionum humanarum finis

Digitized by Google

finis alius, propter hunc ſolum agens ageret. Primarius eſt finis, propter quem quis ita agit, ut, ſi nullum alium ſibi propoſitum haberet, ob hunc ſolum ageret (§. *942. Ont.*). Sui ergo aliorumque perfectio eſt finis actionum humanarum primarius. *Quod erat unum.*

Cum perfectio ſui aliorumque ſit finis ultimus actionum humanarum (§. 28.), adeoque fines ceteri omnes propter ipſum intendantur, ipſe vero propter alium non intendatur (§. *943. Ontol.* & §. *617. Part. I. Phil. pract. univ.*); perfectio ſui aliorumque propter ſe intenditur. Quamobrem cum immediate intendatur, quod propter ſe intenditur (§. *627. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſui aliorumque perfectio immediate intendi debet. *Quod erat alterum.*

Quoties de eo quæſtio incidit, cur ſit agendum, prima ſemper cogitatio eſſe debet, de perfectione ſui aliorumque, qua apti efficimur ad perfectionem Numinis ſummam repræſentandam per complexum actionum liberarum & habitus acquiſitos, ex quibus procedunt (§. 31.): alias enim fieri nequit, ut vitam vivamus perfectam (§. 33.). Præſens adeo propoſitio probe notanda venit, ut immediatæ intentionis ſemper memores circa mediatas nunquam a vero tramite aberremus.

§. 37.

Quoniam perfectio ſui aliorumque eſt finis actionum humanarum primarius (§. 36.), finis vero primarius primario intendatur (§. *620. Part. I. Phil. pract. univ.*); *perfectio ſui aliorumque primario intendi debet.* *Intentio perfectionis porro expenditur.*

In actionibus humanis ratio habenda ſemper eſt intentionis, quæ ſi recta non ſit, actionem alias in ſe bonam vitiare poteſt. Ita eleemoſynam dare egenti bona utique actio eſt. Enimvero ſi dans non intendit aliud, quam ut videatur ab hominibus; actio alias bona vitioſa evadit. Quamobrem in Moralibus magni momenti eſt docere, quomodo quid intendi debeat.

beat. Principia rectificandæ intentionis tradenda ſunt in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis, quæ praxin generalem ſibi vindicat. Generalia vero concipi nequeunt niſi terminis generalibus.

§. 38.

Ulterius explicatur.

Et quia intentione primaria quid ita intenditur ab agente, ut ſi nihil aliud præterea intendat, propter hoc ſolum agat (§ *619. Part. I. Phil. pract. univ.*); *perfectionem noſtram aliorumque ita in actionibus omnibus intendere debemus, ut, ſi præterea nihil intenderemus, propter eam ſolam ageremus*, conſequenter *ſi quid præterea intendimus, nonniſi juxta eandem intendere debemus*, adeoque *nihil præterea intendere licet, niſi quod cum eadem conſiſtere poteſt, nec aliter, niſi quatenus cum eadem conſiſtit.*

Videmus itaque ex perfectione noſtra aliorumque æſtimandum eſſe, quidnam præter eam ab agente licite intendatur. E. gr. ad perfectionem corporis noſtri pertinet ſanitas, quemadmodum ſuo loco oſtendetur. Unde eam intendere debemus primario, dum cibum ac potum capimus. Dum vero ex cibo ac potu, qui ad ſanitatem corporis facit, voluptatem percipimus; eam juxta ſanitatem, adeoque ſecundario intendere licet (*§. 619. Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui vero hanc primario intendit, nullam vero ſanitatis rationem habet; is a vero tramite deflectit, & actionis eventum omnem cœco caſui committit. Hoc unico exemplo docemur, neceſſariam eſſe in moralibus de intentione tractationem, cujus generalia principia in Philoſophia practica univerſali utique tradenda.

§. 39.

Quidnam mediate intendi debeat.

Quicquid ab agente mediate intenditur, ad perfectionem noſtram aliorumque per modum medii ſeſe habere debet. Quod imme-

immediate intenditur, per modum finis ſeſe habet; quod vero intenditur mediate, id ſe habet per modum medii ad finem iſtum conſequendum adhibiti (§. *629. Part. I. Phil. pract. univ.*). In omnibus noſtris actionibus perfectionem noſtram aliorumque immediate intendere debemus (§. 36.), isque finis earundem ultimus eſt (§. 28.). Quamobrem quicquid agens mediate intendit, ad perfectionem noſtram aliorumque per modum medii ſeſe habere debet.

Vides adeo, quomodo agens fines omnes particulares ad finem ultimum referre debeat. Nimirum cum in actionibus ſuis omnibus ſui aliorumque perfectionem ſemper tanquam metam reſpicere debeat, ad quam contendit; non alium ſibi in particulari proponere debet finem, niſi qui ſit medium perfectionem iſtam conſequendi: ſit ita, quod juxta hoſce fines ſecundario intendere queat, quæ una cum ipſis conſiſtere poſſunt (§. 38.). Hoc principium maximi momenti eſt in directione actionum noſtrarum, ne circa intentionem aliquis notetur defectus, ſed hæc recte ſeſe ſemper habeat. Rectitudo enim intentionis aliunde æſtimari nequit, niſi ex finis cum lege naturali conformitate. Ad actionem humanam requiritur etiam intentio, quamobrem cum nulla earum legi naturæ conformis eſſe poſſit, niſi ſingulæ ſimplices, quæ eam ingrediuntur, eidem conveniant; quin etiam intentio ipſi convenire debeat, nemo in dubium revocabit.

§. 40.

Medii proximi & remoti definitio.

Medium proximum dicitur, quod fini conſequendo immediate deſtinatur. *Remotum* autem appellatur, quod facit ad conſequendum aliud, quod demum ad finem conſequendum adhiberi poteſt. Facile patet, media remotiora ſubinde eſſe poſſe plura, quorum unum alteri ſubordinatur, ita ut inter proximum & primum, quod adhibemus, plura in ſerie ſibi invicem ſubordinatorum interjaceant.

Affinis eſt hæc diſtinctio diſtinctioni finis in proximum & remotum, quem in Philoſophia prima explicavimus (*§. 943. Ontol.*). Poteramus eandem ibidem explicare; ſed quia eam omiſimus, defectum iſtum ſupplere tenemur, ubi illa opus habemus: id quod a methodo Geometrarum minime abhorret, immo ut fiat, non inconſultum eſt, ne terminorum multitudine oneretur memoria, antequam iisdem opus habemus, præſertim cùm facile oblivioni dentur, ſi diu nullus earum occurrat uſus. Ita nummos acquirere ſtudet, qui literis operam dat, ut ſibi libros comparet, ex quibus proficere poſſit. Scientia animum imbuit, ut muneri obeundo aptus ſit. Finis eſt munere ſuo rite defungi, medium proximum ſcientiæ acquirendæ ſtudium, medium remotum librorum emtio, medium remotius nummorum acquiſitio. Vides autem medium unum alteri ſubordinari.

§. 41.

Medium medii quodnam ſit.

Quoniam medium remotius eſt medium obtinendi ejus, quo tanquam propiori utendum (§. 40.); *media remotiora ſunt media mediorum.*

Ita in exemplo dato acquiſitio nummorum in uſum librorum emendorum, ut inde ſcientiam haurias, eſt medium conſequendi medii alterius. Et ſimiliter emtio librorum, ut inde ſcientiam haurias, quæ te muneri tuo obeundo aptiorem reddit, eſt medium medii alterius conſequendi.

§. 42.

Mediorum ſubordinatio.

Medium propius eſt finis remotioris, & proximum eſt finis omnium remotiorum, finis autem ultimus mediorum remotiorum & proximi finis eſt. Quoniam enim medium remotius ad conſequendum propius adhibetur (§. 40.); dum agens remotiori utitur, propter propius agit. Quamobrem cum id finis ſit agentis, propter quod is agit (§. *932. Ontol.*); medium propius eſt remotioris finis. *Quod erat primum.*

Simi-

Similiter quia media remotiora omnia adhibentur propter proximum (§. 40.); agens eadem adhibens propter proximum agit. Eodem igitur, quo ante, modo patet, medium proximum remotiorum omnium finem eſſe. *Quod erat ſecundum.*

Denique quoniam media omnia tam remota, quam proximum, propter finem ultimum adhibentur (§. 40.), nempe propter finem medii proximi; mediis iſtis omnibus agens utitur, ut finem ultimum conſequatur, ſeu propter hunc ipſum iisdem uſus agit. Quamobrem denuo patet ut ante, finem ultimum eſſe finem mediorum omnium tam remotiorum, quam proximi. *Quod erat tertium.*

Manifeſta igitur eſt mediorum ſubordinatio ad finem ultimum conſequendum requiſita. Exemplum, quod paulo ante dedimus, propoſitioni præſenti lucem omnem affundit, quæ deſiderari poteſt, ut hujus ſubordinationis clara in animo naſcatur idea. Etenim qui librorum coëmdorum gratia nummos acquirere ſtudet, librorum emtionem intendit tanquam finem, cujus gratia in nummis acquirendis omnem adhibet diligentiam. Dum libros coëmit, ut ſcientiam inde hauriat; hanc inſtar finis intendit. Et quia nummos acquirere ſtudet, ut libros ſcientiæ inde hauriendæ gratia ſibi comparet; ſcientia, qua animam imbuere intendit, eſt quoque finis acquiſitionis nummorum ſeu diligentiæ in iis acquirendis adhibitæ. Denique cum ſcientia animum imbuat, ut munere ſuo rectius defungatur; ex modo dictis patet, hunc eſſe finem & ſcientiæ, qua animus imbuitur, & emtionis librorum, ut ſcientia inde hauriatur, & acquiſitionis nummorum, ut libri coëmi poſſint. Quoniam igitur hic finis jam ſupponitur ultimus (ſit ita, quod is ad ulteriorem referri poſſit, immo etiam debeat §. 28.); finis ultimus eſt finis mediorum omnium tam remotorum, ſcilicet acquiſitionis nummorum & emtionis librorum, quam proximi, nimirum ſcientiæ, qua

qua animus lectione librorum imbuitur. Mediorum ſubordinatio maximi momenti eſt in moralibus, adeoque probe perpendenda ab iis, qui ad vitam perfectam adſpirant. Eam igitur hic diſtinctius exponere debuimus, ne in re utiliſſima quicquam relinquatur, quod ſit obſcurum.

§. 43.

Finium ſubordinatio.

In ſerie finium ſibi invicem ſubordinatorum propior quilibet eſt medium cujuslibet remotioris, & omnes intermedii ſimul ſunt medium ultimi. Quoniam enim finis remotus nonniſi alio mediante, vel aliis mediantibus intenditur (§. *943. Ontol.*); fine quolibet propiore potiri ſtudet agens, ut finem quemlibet remotiorem conſequatur, adeoque ex eo, quod propiorem conſecutus fuerit, intelligitur, cur remotiori potiri potuerit, conſequenter propior in ſe continet rationem actualitatis cujuslibet remotioris (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum iſtud medium ſit, quod rationem continet in ſe, cur finis actum conſequatur (§. *937. Ontol.*); in ſerie finium ſibi invicem ſubordinatorum quilibet propior eſt medium cujuslibet remotioris, & intermedii ſimul ſunt medium ultimi.

Ita in exemplo, quod dedimus (*not.* §. *42.*), finis ultimus eſt, ſeſe aptiorem reddere ad munus ſuum rite obeundum; fines autem intermedii ſunt ſcientia, qua imbuitur animus, & emtio librorum, ut ſcientia inde hauriri poſſit. Eſt autem librorum emtio medium ſcientiæ acquirendæ, & acquiſitio nummorum tam medium librorum coëmdorum, quam ſcientiæ eorum lectione ſibi comparandæ, & hæc ſimul ſumta media ſunt ſeſe aptum reddendi ad munus ſuum rite obeundum (*not.* §. *40.*). Atque adeo manifeſta eſt finium ſubordinatio, ut per eos ad ultimum tanquam ad metam contendatur.

§. 44.

Identitas ſubordinationis finium & ſubordi-

Quoniam medium propius eſt finis remotioris, & proximum finis omnium remotiorum, finis autem ultimus eſt finis omnium remotiorum & proximi (§. 42.), in ſerie autem

Digitized by Google

autem finium ſibi invicem ſubordinatorum propior quilibet eſt medium cujuslibet remotioris, & omnes remoti ſimul ſunt medium ultimi (§. 43.); *ſubordinatio finium & ſubordinatio mediorum unum idemque eſt.* *nationis mediorum.*

Nimirum diverſo reſpectu unum idemque appellatur nunc medium, nunc finis. Quod finis dicitur, quatenus intenditur ab agente, idem nuncupatur medium, quatenus non intenditur propter ſe, ſed propter aliud. Ita ſi quis intendit emtionem librorum, dum nummis acquirendis operam impendit, librorum emtio finis eſt; ſed quatenus per emtionem librorum intenditur ſcientia ex iis haurienda, eadem librorum emtio medium eſt. Atque hinc patet, unum idemque eſſe, ſive fines ita ſibi invicem ſubordines, ut propiores ſint media remotiorum, ſive media hoc pacto ſibi invicem ſubordines, ut remotiora ſint fines propiorum.

§. 45.

Qui virtutem colit, perfectionem ſui aliorumque directe, immediate ac primario intendere debet, & qui hoc facit, virtutem colit. Etenim qui virtutem colit, vitam perfectam vivere ſtudet (§. 26.). Enimvero qui vitam perfectam vivere ſtudet, in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet (§. 34.), nec eadem aliter ab agente intendenda, quam immediate (§. 36.) & primario (§. 37.). Quamobrem qui virtutem colit, perfectionem ſui aliorumque directe, immediate ac primario intendere debet. *Quod erat unum.* *Intentio virtutem colentis.*

Ex adverſo qui in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe, immediate ac primario intendit; is perfectionis ſuæ aliorumque promovendæ gratia agit (§. 621. *Part. I. Phil. pract. univ.*), eamque propter ſe (§. 617. *Part. I. Phil. pract. univ.*) ac ita intendit, ut ſi nihil aliud præterea intenderet, propter hanc ſolam ageret

 (§. 619.

(§. *619. Part. I. Phil. pract. univ.*). Nullas igitur committere vult actiones, niſi quas ad perfectionem ſui aliorumque tendere novit; conſequenter actiones ſuas legi naturali conformiter dirigit. Quamobrem cum virtutem colat, qui hoc facit (§. *321. Part. I. Phil. pract. univ.*); evidens omnino eſt eum virtutem colere, qui perfectionem ſui aliorumque directe, immediate ac primario intendit. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo, quænam intentio ad virtutem requiratur, ita ut ſi abſit, nec virtus perfecta cenſeri poſſit. Quodſi conſideres, quid perfectio iſta ſit, & quomodo ei inſit manifeſtatio gloriæ divinæ (*not §. 29.*), intentionem iſtam intimius perſpicere datur. Sed noſtrum non eſt repetere, quæ tum ex anterioribus, tum ex alibi dictis nota eſſe merito ſupponuntur. Monemus tantummodo ſedulam navandam eſſe operam, ut iſtam intentionem penitus perſpectam noſtram faciamus, & eandem teneris puerorum ac adoleſcentum animis ingeneremus. Neque enim hæc, quæ de philoſophiæ moralis praxi demonſtrantur, docemus ut ſciantur; ſed ut in determinatione ac directione noſtrarum actionum diligentiſſime obſerventur.

§. 46.

Quænam cum perfectione ſui aliorumque una intendantur.

Qui perfectionem ſui aliorumque intendit, illud quoque intendat neceſſe eſt, quod cum eadem neceſſario cohæret. Cum enim agens velit, ut fiat id, quod intendit (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui perfectionem ſui aliorumque intendit, is utique vult, ut ipſe aliique perfectionem conſequantur. Quamobrem ubi cognoſcit, quidpiam cum ea neceſſario nexu cohærere, ita ut ab eadem ſeparari minime poſſit, ſed cum eadem neceſſario obtineatur; neceſſe utique eſt, ut idem quoque conſequi velit. Enimvero quod agens actione ſua conſequi vult, id quin intendat dubi-

dubitari haud quaquam poteſt (§. *cit.*). Evidens itaque eſt ut is, qui perfectionem ſui aliorumque intendit, illud quoque intendat neceſſe eſt, quod cum eadem neceſſario cohæret.

Non nego fieri poſſe, ut quis perfectionem ſui aliorumque intendat, non tamen ſimul intendat, quod cum eadem neceſſario connectitur, ſi ignorat id ipſum indivulſo nexu cohærere cum ea. Enimvero tum intentio deficit ex parte intellectus: quoniam ea tum recta cenſeri debet, ubi agens penitus intelligit, quid intendat (*§. 80. Part. I. Phil. pract. univ.*). In theoria autem intentionem non conſideramus, quatenus circa eam defectus quidam notantur; ſed quatenus ea recte ſeſe habet. Nec eſt quod excipias, furem noſſe pœnam furti, non tamen eandem cum furto ſimul intendere, conſequenter dum furti committendi gratia quid agit, non ideo ipſum hoc facere, ut pœnam furti ſubeat. Neque enim pœna furti adeo indivulſo nexu cum delicto cohæret, ut, qui idem committit, pœnam nullo modo evitare poſſit. Vult igitur furtum committere, ſed non vult pœnam furti ſubire. Unde quemadmodum furti committendi gratia facit, quæ ad hoc committendum neceſſaria judicat; ita quoque facere non intermittit, quæ ad pœnam evitandam conducere arbitratur. Et ubi delictum committens novit, ſe pœnam effugere minime poſſe, eam ſaltem ſecundario intendit. Aliter vero ſeſe res habet in hypotheſi propoſitionis præſentis, ubi id, quod intendimus, indivulſo prorſus nexu cum alio cohæret, ita ut illud abſque hoc conſequi minime detur.

§. 47.

Principium generale ſimul neceſſario intentorum.

Immo in genere *qui quid intendit, illud etiam intendat neceſſe eſt, quod cum eodem neceſſario cohæret.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo idem in caſu ſpeciali modo demonſtravimus (§. 46.).

Principium hoc generale apponere viſum eſt, propterea quod ejus in aliis eſſe poſſit uſus, etſi conſultum fuit principium ſpeciale hic demonſtrari, quo ad alia demonſtranda habemus opus.

Digitized by Google

§. 48.

Nexus indivulſus perfectionis ſui ac felicitatis.

Cum perfectione ſui felicitas neceſſario cohæret. Etenim qui perfectionem ſui conſequitur, is ſibi conſcius eſt ejusdem. Quamobrem cum voluptatem, eamque veram (§. 514. *Pſych. empir.*) atque conſtantem (§. 513. *Pſych. empir.*), percipiat (§. 511. *Pſych. empir.*); felicitas vero ſit ſtatus, quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), ſeu vera & conſtans percipitur; qui perfectionem ſuam conſequitur, una cum eadem felicitatem adipiſcitur. Cum perfectione itaque ſui felicitas neceſſario cohæret.

Perfectio ſui per ipſam hominis naturam felicitatem ſibi connexam habet, nec hæc absque illa concipi poteſt. Qui vult felicitatem, perfectionem ſui velit neceſſe eſt, & ex adverſo qui vult perfectionem ſui, hoc ipſo etiam vult felicitatem. Nexus hic indivulſus felicitatis cum perfectione ſui probe notandus, ne fine intento excidamus, dum felicitatem appetimus, de perfectione autem noſtra non cogitamus: id quod, proh dolor! faciunt plurimi. Nemo eſt mortalium, qui non felix eſſe deſideret: pleroſque vero videas de perfectione ſui parum eſſe ſollicitos. Quamobrem nexus iſte ſatis inculcari nequit, & eum ſemper animo noſtro obverſari neceſſe eſt.

§. 49.

Quinam alios felices reddere intendat.

Quoniam cum perfectione ſui felicitas neceſſario cohæret (§. 48), adeoque hanc velle non poteſt, niſi & iſtam velit, ſiquidem contraria velle nolit, quorum unum absque altero ut conſequatur, impoſſibile eſt; *Qui aliorum perfectionem promovere ſtudet, eos felices reddere intendit* (§. 616. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

Quemadmodum cum perfectione noſtra felicitas noſtra indivulſo nexu cohæret; ita etiam cum perfectione aliorum felicitas ipſorum connectitur. Quamobrem cum ob hunc nexum perfectionem noſtram volentes felicitatem quoque noſtram velimus; aliorum quoque felicitatem volumus, dum ipſorum perfectionem volumus.

§. 50.

Digitized by Google

§. 50.

Felicitatis intentio quomodo ſeſe habeat.

Qui perfectionem ſui & aliorum intendit, felicitatem quoque ſuam aliorumque intendat neceſſe eſt, & contra. Etenim qui perfectionem ſui aliorumque intendit, illud quoque intendat neceſſe eſt, quod cum eadem neceſſario cohæret (§. 46.). Cum perfectione ſui felicitas neceſſario cohæret (§. 48.). Quamobrem qui perfectionem ſui intendit, felicitatem quoque ſuam intendat neceſſe eſt, & qui perfectionem aliorum intendit, eorundem quoque felicitatem intendat neceſſe eſt. *Quod erat unum.*

Similiter qui felicitatem ſuam aliorumque intendit, is intendit, quod cum perfectione ſua aliorumque neceſſario cohæret (§. 48.) Enimvero quiquid intendit, illud etiam intendat neceſſe eſt, quod cum eodem neceſſario cohæret, ſeu, quod perinde eſt, cum quo ipſum neceſſario cohæret (§. 47.). Quamobrem qui felicitatem ſuam aliorumque intendit, is etiam perfectionem ſui aliorumque intendat neceſſe eſt. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo, qualis eſſe debeat intentio noſtra, ſiquidem nos alioſque felices eſſe velimus, & qualis eſſe debeat intentio, qua noſtram aliorumque felicitatem intendimus.

§ 51.

Felicitatis intentio ad ſtudium vitæ perfectæ pertinet.

Qui vitam perfectam vivere ſtudet, is felicitatem ſuam aliorumque directe intendit. Qui enim vitam perfectam vivere ſtudet, is in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe intendit (§. 34.). Sed qui perfectionem ſui aliorumque intendit, is quoque felicitatem ſuam aliorumque intendat neceſſe eſt (§. 50.) Quamobrem qui vitam perfectam vivere ſtudet, is felicitatem ſuam aliorumque directe intendit.

Nimirum directæ intentioni perfectionis ſemper ineſt directa intentio felicitatis, ſi non expreſſe, ſaltem tacite. Etſi

Digitized by Google

itaque non neceſſarium videatur, ut intentio felicitatis exprimatur, ubi in genere quæſtio incidit de intentione agentis; utile tamen eſt, ut perpendatur, quod eidem inſit, cum perfectionem ſui aliorumque tanquam finem ultimum commendet felicitas, ab ea nullo modo ſeparabilis.

§. 52.

Subordinatio finium ad vitam perfectam requiſita.

Qui vitam perfectam vivere ſtudet, nil agit absque fine, & fines particulares per modum mediorum ad finem remotiorem ſibi invicem & ultimo ſubordinat, ſeu ita, ut fines propiores ſint media cujuslibet remotioris, & omnes ſimul ultimi. Etenim qui vitam perfectam vivere ſtudet, in actionibus ſuis omnibus perfectionem ſui aliorumque tanquam finem ultimum intendere debet (§. 34. 28.). Quamobrem cum propter finem ultimum alii quoque intendi poſſint (§. *943. Ontol.*); qui vitam perfectam agere ſtudet, aut finem ultimum ſolum, aut propter eum adhuc alios intendit particulares. Nil igitur agit absque fine. *Quod erat unum.*

Enimvero perfectam qui vivere ſtudet vitam, perfectionem ſui aliorumque, finem actionum omnium ultimum (§. 28.), immediate intendit (§. 36.), & cum ceteros non intendat niſi propter hunc ultimum (§. *943. Ontol.*), eos nonniſi mediate intendat neceſſe eſt (§. *627. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quod vero ab agente immediate intenditur, ad perfectionem ſui aliorumque, actionum humanarum omnium finem ultimum (§. 28.), per modum medii ſeſe habere debet (§. 39.). Quamobrem qui vitam perfectam vivere ſtudet, is fines particulares omnes per modum mediorum ultimo ſubordinare tenetur. Enimvero in ſerie finium ſibi invicem ſubordinatorum propior quilibet eſt medium cujuslibet remotioris, & omnes ſimul ſunt

Digitized by Google

ſunt medium ultimi (§. 43.). Vitam igitur perfectam vivere ſtudens fines particulares omnes ita ſibi invicem ſubordinare debet, ut propior quilibet ſit medium cujuslibet remotioris, & omnes ſimul medium ultimi. *Quod erat alterum.*

Vides itaque, oblata occaſione agendi, primam in deliberando animum cogitationem ſubire debere de noſtra aliorumque perfectione. Quodſi hæc actione patranda non immediate promovetur, de eo jam cogitandum eſt, num eadem mediate promoveri poſſit. Hoc igitur intenditur propter finem ultimum, eodem mediante, mediata intentione (*§. 617. Part. I. Phil. pract. univ.*), ſpectatur vero tanquam medium finem ultimum conſequendi. Quodſi vero contingit, finem ultimum ab actione patranda longius diſtare, plura ab agente fiant neceſſe eſt, quorum unum continuo eſt propter alterum, adeoque unum intenditur propter alterum. Atque hinc naſcuntur fines ſibi invicem ſubordinandi ea lege, quam ſupra expoſuimus (§. 43.) & in propoſitione præſente ad vitam perfectam applicamus. Ad hæc animum advertere debet, qui actionum ſuarum directionem diſtincte cognoſcere atque penitus perſpicere voluerit. Velle autem debet, qui poteſt, cum non unus ſit diſtinctæ hujus cognitionis uſus, quemadmodum ſuo loco abunde eluceſcet.

§. 53.

Quænam ſit vita homine digna.

Qui vitam perfectam vivit, vitam naturæ ſuæ convenientem vivit. Etenim qui vitam perfectam vivit, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturæ conformare tenetur (§. 17.). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad committendas actiones eſſentiæ ac naturæ noſtræ convenientes & ad omittendas eidem diſconvenientes (§. 188. *Part. I. Phil. pract. univ.*); non alias committit actiones, quam quæ naturæ ſuæ conveniunt. Quamobrem cum in complexu actionum iſtarum vita moralis conſiſtat (§. 7.); vita

Digitized by Google

vita ejus naturæ ipſius conveniens eſt. Atque adeo patet, qui vitam perfectam vivit, eum vitam naturæ ſuæ convenientem vivere.

Vides adeo, quod is demum vitam homine dignam vivat, qui vitam perfectam vivere ſtudet: neque enim ab homine expectari poteſt, ut vita ipſius ſit ex aſſe perfecta. Qui vel ſolam actionum rectitudinem meditatur, ſine qua vita perfecta eſſe nequit (§.21.), vel legis naturalis amplitudinem ad animum revocat, a qua ne latum quidem unguem recedere debet, qui illam vivere ſtudet (§. 17); is abunde convincetur, modo utrumque ex theoria in parte prima propoſita diſtincte cognoverit, omnimodam vitæ perfectionem eſſe metam, ad quam contendimus, ſed quam, dum mortales ſumus, non conſequimur: Summum eſſe, quod expectari ab homine poteſt, ut continuo propius propiusque ad eandem accedat. Etſi autem vita perfecta & vita naturæ humanæ conveniens eodem vivatur modo; eadem tamen vita non eodem reſpectu dicitur perfecta & naturæ humanæ conveniens, ſeu eodem digna. Perfecta nimirum eſt, quatenus actiones omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt (§. 9.): eſſentiæ autem ac naturæ humanæ convenit, quatenus actiones omnes rationem ſufficientem in ipſa eſſentia & natura humana agnoſcunt (*§. 65. Part. I. Phil. pract. univ.*). Nemo igitur ſomniet, multiplicari entia præter neceſſitatem, dum a ſe invicem diſtinguimus quæ diverſa ſunt, etſi ita cohæreant, ut ſeparari a ſe invicem nequeant, neque adeo unum eſſe poſſit absque altero.

§. 54.

Finis actionum naturæ humanæ conveniens.

Perfectio ſui ipſius aliorumque eſt finis naturæ humanæ conveniens. Etenim lex naturæ nos obligat ad perfectionem noſtram aliorumque promovendam (§. *152. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum naturæ noſtræ conveniat, ad quod lex naturæ nos obligat (§. *188. Part. I. Phil. pract. univ.*); directio actionum ad noſtram aliorumque

que

Digitized by Google

que perfectionem eſt naturæ noſtræ conveniens. Enimvero perfectio ſui ipſius atque aliorum actionum humanarum finis eſt (§. 28.). Eſt igitur finis naturæ humanæ conveniens.

Non datur alius finis actionum humanarum ultimus, qui ſit naturæ noſtræ conveniens, quam ſui aliorumque perfectio. Etenim hic finis nobis præſcribitur ipſa naturæ lege, nec præterea alius, cum lex naturæ directione actionum ad ſui aliorumque perfectionem tota contineatur (*§. 152. 223. Part. I. Phil. pract univ*): id quod ex tractatione ſpeciali magis magisque eluceſcet. Lex naturæ vero nos obligat ad eligendum finem ultimum, qui ſit naturæ noſtræ conveniens (*§. 188. Part. I. Phil pract. univ.*), adeoque eidem non convenit niſi is, qui legi naturæ conformis. Quodſi adeo vitam homine dignam vivere velis, non alium finem ultimum intendere potes, quam tui aliorumque perfectionem. Velim hoc perpendant ii, quibus terminus perfectionis non ſatis intellectus exoſus eſt. Neque enim facile erit, niſi inſanire velit, qui negaverit, hominem vivere debere vitam ſe dignam, & agere propter fines homine dignos.

§. 55.

Quænam vita ſit ſecundum rationem.

Qui vitam perfectam vivit, ſecundum rationem vivit. Qui vitam perfectam vivit, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedit (§. 17.). Quamobrem cum lex naturæ per rationem innoteſcat (§. 259. *Part I. Phil pract. univ.*), adeoque ſecundum rationem vivat is, cujus vita legi naturæ conformis; evidens eſt eum, qui perfectam vivit vitam, ſecundum rationem vivere.

Patet itaque, vitam, quæ eſt ſecundum rationem, (vernacula noſtra ein vernünftiges Leben appellatur) a vita perfecta minime differre. Alio tamen reſpectu appellatur perfecta; alio reſpectu dicitur eſſe ſecundum rationem. Quo reſpectu perfecta vocetur, modo diximus (*not. §. 53.*); ſecundum rationem autem

eſt, quatenus per rationem innoteſcit, qualis eſſe debeat directio actionum noſtrarum, ne a rationis tribunali abhorreat.

§. 56.

Quænam vita ſit voluntati divinæ conformis.

Qui vitam perfectam vivit, vitam voluntati divinæ conformem agit. Qui enim vitam perfectam vivit, ſecundum rationem vivit (§. 55.). Sed qui ſecundum rationem vivit, is actiones ſuas ad voluntatem Dei componit (§. 279. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter vitam agit voluntati divinæ conformem (§. 7.). Quamobrem qui vitam perfectam vivit, vitam voluntati divinæ conformem agit.

Patet itaque vitam perfectam & vitam voluntati divinæ conformem coincidere: una tamen eademque vita pro diverſo reſpectu nunc perfecta, nunc voluntati divinæ conformis appellatur. Quo reſpectu dicatur perfecta, ex antea dictis patet (*not.* §. 53.). Voluntati autem divinæ conformis appellatur, quatenus Deus vult, ut hanc vivamus vitam, non aliam. Ex hactenus adeo demonſtratis intelligitur, vivere ſecundum rationem, vivere ex præſcripto legis naturalis, vitam ſuam juxta voluntatem Numinis componere, vitam naturæ ſuæ convenientem ſeu homine dignam, & vitam denique perfectam vivere, eodem redire. Sive itaque decreveris ſecundum rationem vivere, ſive vitam legi naturali conformare, ſive eandem juxta voluntatem Numinis componere, ſive naturæ tuæ convenientem aut perfectam denique vitam vivere volueris, eodem ſemper vivendum modo. Quodſi tamen demonſtrativa ratione inquirere volueris, quomodo ſecundum rationem, quomodo ex præſcripto legis naturalis, quomodo juxta voluntatem Numinis, quomodo, ut decet hominem, vivatur; ſemper incides in notionem vitæ perfectæ. Sine diſtincta igitur vitæ perfectionis notione penitus non intelliges, quid ſit vita rationi, legi naturali, voluntati divinæ & naturæ tuæ conveniens. Satis aperta hæc ſunt, modo ex parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis didiceris, qualem actionum noſtrarum directionem urgeat lex naturæ.

§. 57.

Digitized by Google

§. 57.

Vita perfecta & vita rationi, vita legi naturali, vita voluntati Numinis, vita naturæ humanæ conveniens iisdem regulis continetur. Pone enim vitæ rationi, vitæ legi naturali, vitæ voluntati Numinis, vitæ denique naturæ humanæ conformis alias eſſe regulas, quam vitæ perfectæ. Evidens eſt, eum qui vivit vitam perfectam, nondum vivere ſecundum rationem, nondum legi naturæ, nec voluntati Numinis, nec naturæ ſuæ convenienter: quod cum ſit abſurdum (§. 17. 53. 55. 56.), vita perfecta & vita rationi, itemque legi naturali, voluntati divinæ, nec non naturæ humanæ conveniens iisdem regulis contineatur neceſſe eſt. *Regularum vitæ perfectæ & rationi, voluntati Numinis, legi naturæ & naturæ humanæ conformis identitas.*

Eadem igitur actionum directione opus eſt, ſi vitam juxta legem naturæ, ſi ſecundum rationem, ſi naturæ tuæ convenienter, ſi voluntati divinæ conformiter agere volueris, quæ ad vitam perfectam requiritur. Quamobrem quæ de vita perfecta demonſtrantur, ea etiam de vita legi naturæ, rationi, naturæ humanæ & voluntati divinæ conformi tenenda ſunt.

§. 58.

Si vitam perfectam vivere velis: 1. Conſtituendus eſt actionum omnium finis ultimus ac primarius perfectio tui aliorumque, 2. nihil unquam agendum absque fine, & 3. fines particulares omnes ita ſibi invicem ſubordinandi, ut propiores ſint media remotioris, omnes autem ſimul medium perfectionis ſui aliorumque, nec 4. quicquam ſecundario intendendum, niſi quod cum perfectione ſui aliorumque conſiſtere poſſit. Etenim qui vitam perfectam vivere vult, in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque directe (§. 34.) ac primario intendere debet (§. 37.). Quamobrem cum finis ultimus *Regula vitæ perfectæ.*

Digitized by Google

actionum humanarum (§. 28.), idemque primarius ſit perfectio ſui aliorumque (§. 36.); non alium actionum ſuarum ultimum conſtituere poteſt, quam perfectionem ſui aliorumque. Præterea qui perfectam vivere vult vitam, nil agere debet absque fine, & fines particulares ita ſibi invicem ſubordinare tenetur, ut propiores ſint media cujuslibet remotioris, omnes vero ſimul medium ultimi (§. 52.). Quoniam itaque finem ultimum eundemque primarium conſtituit perfectionem ſui aliorumque, *per demonſtrata;* nullum quoque intendere debet in actione particulari finem, niſi qui ſit medium perfectionis ſui aliorumque, & ubi plures fines ſibi invicem ſubordinandi intenduntur, eos omnes ita ſibi invicem ſubordinare tenetur, ut propiores ſint medium cujuslibet remotioris, omnes autem ſimul medium perfectionis ſui aliorumque. Quoniam vero præter perfectionem ſui nihil intendere licet, niſi quod cum eadem conſiſtere poteſt, nec aliter, niſi quatenus cum eadem conſiſtit (§. 38.), hoc ipſum vero nonniſi ſecundario intenditur (§. *619. Part. I. Phil. pract. univ.*), cum illa primario intendatur (§. 36.); quicquid ſecundario intendit, qui vitam perfectam vivere vult, id ut cum perfectione ſui aliorumque conſiſtere queat neceſſe eſt.

Ecce igitur tibi regulas generales, quas is obſervare tenetur, cui curæ cordique eſt vitam vivere, quantum datur, perfectam. Continetur hiſce directio generalis actionum noſtrarum, ad quam animum advertere tenemur, quoties agendi occaſio nobis offertur. Ita enim haud facile continget, ut mentem noſtram non ſubeat eorum cogitatio, quorum in caſu dato meminiſſe debemus, ne culpa noſtra a vero tramite deflectamus & cupiditatum illecebris affectuumque impetu ad devia nos abripi patiamur. Majorem regularum harum uſum experietur, qui eas

Digitized by Google

eas ad praxin tranſferre voluerit, quam eidem promittimus, modo notionibus directricibus uti noverit.

§. 59.

Qui vitam perfectam vivit, actiones ſuas ſapienter dirigit. Etenim qui vitam perfectam vivit, finem ultimum conſtituit actionum ſuarum perfectionem ſui aliorumque, nec unquam quicquam agit absque fine, fines autem particulares omnes ſibi invicem ſubordinat, ut propiores ſint media remotioris, omnes autem ſimul medium perfectionis ſui aliorumque: immo nec ſecundario intendit quicquam, niſi quod cum perfectione ſui aliorumque conſiſtere poteſt (§. 58.). Quamobrem cum perfectio ſui ipſius ſit finis naturæ humanæ conveniens (§. 54.), adeoque iſtiusmodi quoque ſint, qui eidem per modum medii ſubordinantur; qui vitam perfectam vivit, intendit fines naturæ ſuæ convenientes. Enimvero qui actionibus liberis fines naturæ ſuæ convenientes præſcribit & media ad eos ducentia eligit, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinat, ut propiores ſint remotiorum media, conſequenter omnes ſimul medium finis ultimi, is actiones ſuas ſapienter dirigit (§. 678. *Pſych. rat.*). Ergo qui vitam perfectam vivit, actiones ſuas ſapienter dirigit.

Sapiens actionum directio ad vitam perfectam neceſſaria.

Vides adeo vitam ſapientis eſſe perfectam, ſi nulla ex parte unquam ſapientiam in ſe deſiderari patiatur. Quemadmodum vero ultra humanam ſortem poſita videtur vita omnimode perfecta; ita nec ullus hominum in omnibus eſt ſapiens. Vagus loquendi uſus incautis imponit, quaſi ſapientia magis in poteſtate ſit quam vita perfecta, cum tamen hæc tota iſta contineatur. Quamdiu actiones noſtras ſapienter dirigimus, a vita perfecta non recedimus: quam primum vero hæc in nobis deſideratur, defectus quoque in vita morali notantur. Patet hoc per converſam præſentis, quam ſubjicimus.

Digitized by Google

§. 60.

Quando cum vita perfecta coincidat.

Qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, vitam perfectam vivit. Etenim qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, is fines naturæ ſuæ convenientes iisdem præſcribit & media ad eos ducentia eligit, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinat, ut fines propiores ſint media cujuslibet remotioris, adeoque omnes tandem ſimul medium finis ultimi (§. *678. Pſych. rat*). Quoniam perfectio ſui aliorumque eſt finis naturæ humanæ conveniens (§. 54.), isque actionum omnium humanarum ultimus (§. 28.) atque primarius (§. 36.), & quicquid ab agente mediate intenditur, ad perfectionem noſtram aliorumque per modum medii ſeſe habet (§. 39.); qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, is eam earundem finem ultimum conſtituit, nilque agens absque fine fines particulares ita ſibi invicem ſubordinat, ut fines propiores ſint media cujuslibet remotioris, omnes autem ſimul medium hujus finis ultimi. Enimvero qui hoc facit, vitam perfectam vivit (§. 58.). Ergo qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, vitam perfectam vivit.

Ne propoſitio præſens in perverſum ſenſum trahatur, probe notandum eſt, ſupponi actionum omnium, quorum complexu tota vita moralis abſolvitur (§. 7.), directionem iſtiusmodi, ut ne minimus quidem notetur ſapientiæ defectus. Qui pro virili ſapientiam ſectatur &, quantum datur, eadem utitur in determinandis actionibus; is ad vitam perfectam contendit tanquam ad metam, & pro modulo ſapientiæ adhibitæ vel propius ad eandem accedit, vel longius ab eadem diſtat. Nullam hic mentionem injicimus finium ſecundariorum, qui per ſe ad finem ultimum nihil conferunt, eidem tamen non repugnant. Hi enim ſalva ſapientia intendi poſſunt, non vero quemadmodum ceteri intendi debent. Eorum itaque intentio ad vitam perfectam minime neceſſaria; vitæ tamen perfectioni minime obſunt. Unde ad

ad illos intendendos nulla datur obligatio naturalis, ſed lex naturæ tantummodo permittit, ut intendantur. Sed hæc clariora evadent ſuo loco, ubi ad tractationem ſpecialem deſcenderimus.

§. 61.

Qui vitam rationi, legi naturæ, voluntati divinæ ac naturæ humanæ convenientem vivere vult; actiones ſuas omnes ſapienter dirigere tenetur, & contra. Etenim qui vitam perfectam vivit, actiones ſuas omnes ſapienter dirigit (§. 59.). Enimvero vita perfecta & vita rationi, legi naturæ, voluntati divinæ ac naturæ humanæ conveniens iisdem regulis continetur (§. 57.). Quamobrem qui vitam rationi, legi naturæ, voluntati divinæ ac naturæ humanæ convenientem vivere vult, actiones ſuas omnes ſapienter dirigere debet. *Quod erat unum.* *Sapiens actionum directio ad quid neceſſaria.*

Ex adverſo qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, vitam perfectam vivit (§. 60.). Quamobrem cum vita perfecta & vita rationi, legi naturali, voluntati divinæ atque naturæ humanæ conformis iisdem regulis contineatur (§. 57.); qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, vitam rationi, legi naturali, voluntati divinæ atque naturæ humanæ conformem agit. *Quod erat alterum.*

Elucet adeo ſumma neceſſitas ſapientiæ ad vitam recte agendam.

§. 62.

Vita dicitur *ordinata* (vernacula ein ordentlicher Wandel), ſi in ſerie actionum ſibi mutuo ſuccedentium datur ordo, ſeu, ſi actiones omnes certo ordine fiant. In caſu oppoſito autem *inordinata* appellatur. *Vita ordinata quid ſit.*

Vita moralis eſt complexus omnium actionum liberarum, quas committimus (§. 7.). Actiones iſtæ ſucceſſivæ ſunt (*§. 569. Ontol.*). Unde vita moralis ſeries quædam ſucceſſivorum eſt.

In

In hac ſerie vel datur ordo, vel nullus datur. Quodſi ordo detur, vita ordinata vocatur, ſi nullus, inordinata.

§. 63.

Quanam vita ſit ordinata.

Vita perfecta ordinata eſt. Si enim vita fuerit perfecta, actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiunt (§. 9.). Quamobrem cum actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentiant, ſi per easdem rationes finales, non vero per diverſas determinantur (§. 2.); ubi vita fuerit perfecta, actiones liberæ omnes cum naturalibus per easdem rationes finales determinantur, non vero per diverſas, conſequenter unicuique actioni ſuus locus in actionum ſerie conſtante regula determinatur (§. 475. *Ontol.*). Quamobrem cum ibi detur ordo, ubi in ſerie ſucceſſivorum unicuique ſuus locus per certam quandam regulam determinatur (§. 478. *Ontol.*); in vita perfecta datur ordo. Quoniam itaque vita ordinata eſt, ſi in ſerie actionum ſibi mutuo ſuccedentium detur ordo (§. 62.); vita perfecta ordinata eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. In vita perfecta actiones omnes ita ſibi invicem ſubordinantur, ut præſentes ſint media futurarum & omnes ſimul media finis ultimi, perfectionis nimirum ſui aliorumque (§. 58.). Quamobrem actiones ita ſibi invicem ſuccedunt, ut ex antecedentibus intelligatur, cur tales ſint ſequentes, conſequenter in antecedentibus contineatur ratio ſequentium (§. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque actiones omnes, quatenus ſibi mutuo ſuccedunt, eodem modo determinantur (§. 215 *Ontol.*), in illarum ſucceſſione ſimilitudo quædam obvia eſt (§. 217. *Ontol.*): quæ cum ſit ordo (§. 472. *Ontol.*), in vita perfecta dari ordinem actionum ſe invicem ſequentium manifeſtum eſt.

Enim-

Digitized by Google

Enimvero vita ordinata eſt, ſi in ſerie actionum ſibi mutuo ſuccedentium ordo detur (§. 62.). Vita igitur perfecta ordinata eſt.

Vides itaque, ordinem, qui vitam ordinatam efficit, ita connexum eſſe cum vita perfecta, ut cum eadem ſimul ponatur. Ubi de vita in genere ſermo eſt, nec niſi generalia de ordine iſto proferre licet. Etſi autem eadem regula & perfectioni vitæ, & ordini determinandis deſtinetur, ordo tamen & perfectio non eodem reſpectu reſultant. Perfectio enim vitæ naſcitur, quatenus ex illa determinatione oritur conſenſus actionum omnium inter ſe & cum naturalibus (§. 9.); ordo autem reſultat, quatenus in modo, quo actiones ſibi invicem ſuccedunt, ſimilitudo quædam emergit. Quando hic de vita loquimur, de tota vita nobis ſermo eſt, non de partibus vitæ. Quamobrem hic quoque nobis negotium cum ordine totius vitæ, non autem cum ordine, qui in partibus vitæ dari poteſt. Ordo particularis locum habere poteſt, etiam ubi vita perfecta non eſt. Sed tum quoque vitam non dicimus ordinatam, ordinem tribuimus agenti in certis negotiis, ubi eum obſervat. Immo non repugnat, ordinem quoque convenire poſſe particulari cuidam complexui actionum malarum: nunquam tamen vita mala ordinata eſſe poteſt, ſi totam ſpectes.

§. 64.

Qui virtutem colit, is vitam ordinatam vivere ſtudet, actionesque ſuas ſapienter dirigit. Qui enim virtutem colit, is vitam perfectam vivere ſtudet (§. 26.). Enimvero qui vitam perfectam vivere ſtudet, vitam ordinatam vivere ſtudet (§. 63.), & actiones ſuas ſapienter dirigit (§. 59.). Quamobrem qui virtutem colit, is vitam ordinatam vivere ſtudet, actionesque ſuas ſapienter dirigit. *Vita ordinatæ & ſapientis actionum directionis nexus cum virtute.*

Loquimur hic de virtute in genere, quæ omnes virtutum ſpecies ſub ſe complectitur, non vero de una atque altera vir-

Digitized by Google

tute particulari. Neque enim repugnat, ut, cujus vita inordinata eſt, & qui in actionibus ſuis dirigendis parum ſapientem ſe probat, is non habeat animum ab hac vel iſta virtute particulari non prorſus alienum. Non tamen omni defectu caret virtus particularis, quæ a vita perfecta, conſequenter & ordinata ac ſapiente omnium actionum directione ſejungitur. Patebunt hæc ſuo loco: neque enim opus eſſe exiſtimamus, ut in generalibus ſimus nimis prolixi.

§. 65.

Nexus vitæ ordinatæ cum ſapiente actionum directione.

Qui vitam ordinatam vivit, actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, & qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, vitam ordinatam vivit. Qui enim vitam ordinatam vivit, ejus vita perfecta eſt (§. 63.). Sed cujus vita perfecta eſt, is actiones ſuas omnes ſapienter dirigit (§. 59.). Ergo qui vitam ordinatam vivit, is actiones ſuas omnes ſapienter dirigit. *Quod erat unum.*

Similiter qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, ejus vita perfecta eſt (§. 60.). Sed vita perfecta etiam ordinata eſt (§. 63.). Ergo qui actiones ſuas omnes ſapienter dirigit, ejus vita ordinata eſt, conſequenter vitam ordinatam vivit. *Quod erat alterum.*

Plurimum refert in praxi morali noſſe, quænam inter ſe ita ſint connexa, ut poſito uno ponatur etiam alterum: etenim hoc pacto evitantur ambages & via tutiſſima eligitur.

§. 66.

Vita imperfecta qualis ſit.

Vita imperfecta eſt inordinata. Si enim vita fuerit imperfecta, actiones liberæ cum inter ſe, tum a naturalibus diſſentiunt (§. 13.), adeoque ad finem quendam ultimum omnes ſimul tendere nequeunt (§. 504. *Ontol.*). Quoniam itaque non eo modo determinantur omnes, ut ſe habeant

beant per modum medii ad finem ultimum; non omnes determinantur eodem modo (§. 215. *Ontol.*), adeoque nec in modo, quo ſe invicem conſequuntur, ſimilitudo quædam dari poteſt (§. 218. *Ontol.*), conſequenter nullus in ſerie actionum, quarum complexu vita moralis abſolvitur (§. 7.), ordo adeſſe poteſt (§. 472. *Ontol.*). Quoniam itaque vita inordinata eſt, ſi nullus in ſerie actionum ſibi mutuo ſuccedentium obſervatur ordo (§. 62.); vita imperfecta inordinata eſt.

Vidimus paulo ante (*not.* §. 63.), ex eadem actionum determinatione enaſci perfectionem & ordinem vitæ moralis. Quodſi ergo actiones aliter determinentur, quam jubet perfectio, nec ordo amplius ſubſiſtere poteſt, ſed cum illa hic tollitur. De ordine enim loquimur, qui totam reſpicit vitam, quemadmodum jam ante (*loc. cit.*) inculcavimus.

§. 67.

Vita ſapienter non inſtituta qualis ſit.

Qui actiones ſuas omnes ſapienter minime dirigit, ſeu vitam ſuam ſapienter non inſtituit; ejus vita inordinata eſt. Pone enim ſi fieri poteſt, te vitam tuam inſipienter inſtituentem, vitam tamen vivere ordinatam. Quoniam qui vitam ordinatam vivit, actiones ſuas omnes ſapienter dirigit (§. 65.); actiones tuas omnes ſapienter dirigis, conſequenter vitam ſapienter inſtituis. Enimvero fieri non poteſt, ut vitam & ſapienter & inſipienter inſtituas (§. 28. *Ontol.*). Ergo ſi vitam tuam ſapienter non inſtituis, ordinata eſſe nequit.

Equidem ſatis ſuperque inculcavimus, de tota vita in Philoſophia practica univerſali ſermonem eſſe, non de partibus vitæ; in gratiam tamen conſequentiariorum nugivendulorum idem denuo inculcamus. Qui enim in ſcripta aliorum involant, ut reperiant, quæ carpant; non integra legunt, ſed fugitivo oculo

 eadem

Digitized by Google

eadem percurrentes iis inhiant, quæ nondum intellecta a ſe carpi poſſe ſibi perſuadent, infrunito boatu aliorum aſſenſum extorſuri, ne alterius mentem pervertiſſe videantur. Experta me loqui, quis eſt qui neſciat. Equidem non minus expertus ſum, quod Salomo *Prov. XXVII, 22.* monet, ſi contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferri ab eo ſtultitiam ejus; danda tamen eſt opera, ne excuſatius peccet, & ut protinus mendacii convictus in ruborem detur, qui aſſeverare non erubeſcit, ſe omnibus aliquoties perlectis ac probe perpenſis dicere ſententiam.

§. 68.

Nexus actionum cum fine ultimo.

Si actio aliqua fuerit medium finis, vel finis ultimi, ſive proximum, ſive remotum; cum fine, vel fine ultimo connectitur. Etenim medium & finis inter ſe connectuntur (§ *18. Coſmol.*). Quamobrem ſi actio ſit medium finis cujusdam, vel finis ultimi, ſive remotum fuerit, ſive proximum, cum fine iſto vel fine ultimo connectitur (§. *348. Log.*).

Nexus notionem ſatis evolvimus in Coſmologia. Quamobrem qui, quid ſit nexus actionis cum fine ſive in genere, ſive cum ultimo in ſpecie, penitus intelligere voluerit; ea relegat & meditetur, quæ de nexu rerum in genere ibidem demonſtravimus. Qui ſibi metuunt, ne actiones humanæ fati cœci legibus & inevitabili neceſſitati adſtringantur, ſi omnes inter ſe & cum fine ultimo connectantur; eos non moramur. De re enim non ſatis intellecta, cum tamen ſufficienter explicata ſit, ſua nonniſi culpa judicium præcipitant: temeraria autem judicia, præſertim ubi ex oſcitantia minime condonanda proficiſcuntur, contemnenda. Noſtrum potius eſt ea demonſtrare, quæ de nexu actionum humanarum tenenda ſunt, ne quid prætermittamus, quod ad vitam ſapienter inſtituendam apprime neceſſarium eſt.

§. 69.

Qualis eſſe debeat nexus

Qui vitam perfectam vivere vult, ejus actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connecti debent. Etenim qui vitam per-

Digitized by Google

perfectam vivere vult, is actionum ſuarum omnium finem ultimum conſtituere tenetur perfectionem ſui aliorumque, & actiones omnes eſſe debent medium perfectionis hujus (§. 58.). Quamobrem cum actio cum fine ultimo connectatur, ſi ea fuerit eiusdem medium (§. 68.); actiones ejus omnes, qui vitam perfectam vivere vult, cum perfectione ſui aliorumque connecti debent. *actionum in vita perfecta.*

Vides adeo, ad vitam perfectam requiri univerſalem actionum omnium humanarum, qualescunque tandem illæ fuerint, modo voluntatis imperio ſubſint, cum perfectione ſui aliorumque nexum. Hic igitur continuo agenti ob oculos verſari debet, cui vitæ perfectio curæ cordique fuerit. De eo qui non cogitat, ubivis impingit, nec erit actio, quæ non aliquam mereatur cenſuram.

§. 70.

Si actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connectuntur, omnes etiam connectuntur inter ſe. Etenim ſi actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connectuntur, cum ea ſit finis actionum humanarum ultimus (§. 28.), omnes cum fine ultimo connectuntur. Quoniam itaque actiones cum fine ultimo connectuntur, ſi fuerint medium ſive proximum, ſive remotum finis ultimi (§. 68.); ubi actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connectuntur, erunt omnes hujus medium ſive proximum, ſive remotum. Enimvero medium propius eſt finis remotioris cujuslibet, & proximum finis omnium remotiorum, finis autem ultimus eſt medium omnium remotiorum ac proximi finis (§. 42.). Quamobrem ſi actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connectuntur, in ſerie actionum ſucceſſivarum una ſe habet ad alteram per modum medii ad finem, ſeu una eſt finis alterius, altera *Idem ulterius explicatur.*

Digitized by Google

vero ejusdem medium. Enimvero ſi actio aliqua fuerit medium finis, cum eodem connectitur (§. 68.). Patet itaque actiones omnes inter ſe connecti debere, ſi omnes cum perfectione ſui aliorumque connectuntur.

Apparet adeo, actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connecti minime poſſe, niſi etiam inter ſe connectantur, ut adeo nexus earundem cum perfectione ſui aliorumque nexum univerſalem omnium inter ſe contineat. Non eſt, quod excipias, non connecti inter ſe actiones, quæ ſingulæ ſint medium proximnm perfectionis ſui aliorumque. Qui enim ſic ſentit, ignorantiam theoriæ de nexu rerum manifeſto prodit, cum per eam inter ſe connectantur, quæ cum eodem tertio connectuntur (*§. 12. Coſmol.*). Vides itaque, nos non ſine ratione theoriam nexus rerum in genere commendaſſe iis (*not. §. 68.*), qui nexum actionum humanarum penitus perſpicere voluerint.

§. 71.

Nexus actionum cum fine ultimo qualis ſit.

Immo in genere patet, *ſi actiones quotcunque cum fine ultimo connectantur, eas inter ſe connecti.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Qui enim propoſitionis præcedentis demonſtrationem perpendit, is animadvertet, actiones cum perfectione ſui aliorumque connexas ideo inter ſe connecti debere, quia perfectio iſta eſt actionum humanarum finis ultimus. Nexus adeo actionum inter ſe ex nexu earundem cum fine ultimo reſultat. Cum homines non ſemper de tota vita deliberent, ſed plerumque non-niſi de partibus, immo particulis vitæ, fines quoque ultimi partium, immo particularum vitæ dantur: ſit ita, quod hi ad perfectionem ſui aliorumque, tanquam totius vitæ finem ultimum (§. 28.), per modum medii ſeſe habere debeant. In gratiam igitur iſtarum deliberationum notandum eſt principium generale, quod ideo apponere viſum eſt. Equidem qui de partibus vitæ deliberant, finem ultimum conſtituere poſſunt perfectioni noſtræ

vel

vel aliorum adverſum, & actiones omnes ad eandem tendentes inter ſe connectere; nil tamen hinc adverſus nexum actionum ad vitam perfectam requiſitum concluditur, cum in hoc conſiſtat abuſus, quo uſum non tolli manifeſtum eſt. Ad vitam perfectam non ſufficit particularis quarundam actionum nexus, ſed requiritur univerſalis omnium omnino actionum (§. 72.), quem dari non poſſe, niſi ratio habeatur finis totius vitæ ultimi ex antea demonſtratis abunde patet.

§. 72.

Univerſalis actionum nexus ad vitam perfectam requiſitus.

Ad vitam perfectam requiritur univerſalis actionum omnium nexus. Etenim ſi quis vitam perfectam vivere vult, ejus actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque connecti debent (§. 69.), atque adeo etiam omnes inter ſe connectuntur (§. 70.). Quamobrem cum nexus actionum ſit univerſalis, ſi omnes inter ſe connectuntur; evidens eſt, ad vitam perfectam requiri univerſalem actionum omnium nexum.

Si vita fuerit perfecta, actiones liberæ omnes cum inter ſe, tum cum naturalibus conſentire debent (§. 10.), adeoque per easdem rationes finales, conſequenter per ſui aliorumque perfectionem (§. 28.), determinantur omnes. Unde ſequitur in vita perfecta dari univerſalem actionum omnium tam liberarum, quam naturalium nexum, quamdiu ſcilicet organa corporis humani functiones ſuas omnes rite obeunt, ſeu corpus fuerit ſanum, nec facultatis ullius animæ uſus impeditur. Nimirum tum vita phyſica cum morali concordat. Equidem concordia iſta violari poteſt abſque culpa noſtra: nullus tamen inde in vitam moralem defectus redundat. Sed de his diſertius ut dicamus, præſentis inſtituti ratio non fert. Multa ſunt, quæ ad theoriam generalem actionum humanarum ſpectant, in ea tamen prætermittenda, cum ex ſpeciali ſua veluti ſponte eluceſcant.

§. 73.

Digitized by Google

§. 73.

Idem requiſitus ad ſapientem vitæ inſtitutionem.

Sapiens vitæ inſtitutio actionum omnium univerſalem nexum requirit. Etenim qui vitam ſuam ſapienter inſtituit, adeoque actiones omnes ſapienter dirigit (§. 7.), vitam perfectam vivit (§. 60.). Atat nexus omnium actionum univerſalis ad vitam perfectam requiritur (§. 72.). Ergo idem etiam requiritur ad ſapientem vitæ inſtitutionem.

Quantum adeo nexus actionum ab univerſalitate deficit, in tantum agens vitam inſipienter inſtituit. Qui adeo nexum iſtum tolli jubent, hominem vitam ſuam inſipienter inſtituere debere volunt. Deſipiunt itaque, qui nexum actionum univerſalem conſequentiis moleſtis infamant, in eum parum convenientibus. Qui igitur deſipere, quam ſapere malunt, per nos deſipiant.

§. 74.

Idem requiſitus ad vitam legi naturæ, rationi, voluntati divinæ & naturæ humanæ conformem.

Vita legi naturali, rationi, voluntati divinæ, naturæ humanæ conformis nexum actionum omnium univerſalem requirit. Etenim qui vitam legi naturali, rationi, voluntati divinæ, naturæ humanæ conformem vivere vult, actiones ſuas omnes ſapienter dirigere (§. 61.), adeoque vitam ſapienter inſtituere debet (§. 7.). Sed ſapiens vitæ inſtitutio actionum omnium univerſalem nexum requirit (§. 73.). Ergo eundem etiam requirit vita legi naturali, rationi, voluntati divinæ, naturæ humanæ conformis.

Vides adeo, quam ſit abſurdum, a vita morali nexum univerſalem actionum removere velle. Si enim nexum hunc ferre nolis, nec exactam actionum omnium cum lege naturali convenientiam probas; non vis hominem vivere, quemadmodum debet ens ratione præditum; non probas, ut ad voluntatem Numinis vitam totam componat & omni facultatum ſuarum uſu eidem ſatisfaciat; immo exoſa tibi eſt vita homine digna. Omnia hæc manifeſta ſunt vi propoſitionis præ-

Digitized by Google

præſentis ei, qui diſtinctis notionibus conformitatis vitæ cum lege naturali, ratione, voluntate divina & natura humana animum habet imbutum. Hiſce autem notionibus imbutus erit animus, ubi theoriam in parte prima traditam eodem comprehenderis, verſatus antea in Metaphyſica, cujus fundamentis ea ſuperſtructa. Paradoxum forſan videbitur nonnullis, quod, ſublato nexu univerſali actionum omnium a vita morali, ea voluntati divinæ amplius convenire nequeat. Enimvero hi erunt, qui vitæ moralis notionem diſtinctam non habent, ſed actiones ſingulas in ſe conſiderant, ſine relatione ad ceteras, quaſi ea ſit chaos quoddam, non vero ens unum, verum atque perfectum. Datur nexus univerſalis rerum omnium in univerſo, ita ut absque eo mundus hic adſpectabilis minime concipi poſſit (*§. 55. Coſmol*), ne quidem per ipſam naturam Dei (*§. 317. Part. II. Theol. nat.*). Nexus hic ſapientia et bonitate divina conſtitutus eſt (*§. 741. Part. I. Theol. nat.*), & per eundem Deus rebus omnibus providet in hoc univerſo (*§. 927. Part. I. Theol. nat.*). Ideo naturæ univerſæ actiones omnes inter ſe connexæ ſunt: quæ cum voluntati divinæ conformiter agat (*§. 969. Part. I. Theol. nat.*), complexus omnium actionum naturæ, quæ quaſi ipſius vita eſt (§. 7.), voluntati divinæ conformis, quamdiu nexus iſte ſubſiſtit. Homo igitur imitatur naturam, dum operam dat, *ut actiones ipſius omnes tum inter ſe, tum cum fine ultimo connectantur.* Et ita naſcitur pulcherrima analogia inter vitam hominis moralem, quam ex voluntate Dei vivere debet, & quaſi vitam naturæ, eidem voluntati divinæ conformem. Analogia hæc haud parum huc facit, ut intimius perſpiciatur obligatio directionis actionum ad perfectionem totius univerſi (*§. 989. Part. I. Theol. nat.*): quæ hactenus diſtincte expenſa non eſt, etſi peccati magnitudinem mirifice manifeſtet, ut nullum leve videri poſſit, quantillum etiam fuerit. Qui hebetioris ſunt ingenii, quam ut veritatem horum perſpicere poſſint, diſcant velim; dari etiam in Moralibus veritates abditas, nonniſi acumine Philoſophorum noſtra me-

 thodo

thodo philoſophantium in apricum producendas, ad quas non cuivis promiſcue patet aditus. Deſinant itaque mirari, ſi philoſophus ea proferat, de quibus ipſi nunquam cogitarunt. Quodſi quæ capere nequeunt, contemnere, immo damnare velint, per nos hoc faciant, modo ſibi temperent a malitia: neque enim philoſophus vel minimum voluptatis percipit ex cœco illorum applauſu, qui nonniſi rationibus extrinſecis ad aſſenſum permoventur, nec ægre fert diſſenſum, quem prævidet.

§. 75.

Nexus actionum ad virtutem requiſitus.

Nexus actionum univerſalis a virtute ſejungi nequit. Qui enim virtutem colit, vitam perfectam vivere ſtudet (§. 26.). Enimvero ad vitam perfectam requiritur univerſalis omnium actionum nexus (§. 72.). Quamobrem nec fieri poteſt, ut idem a virtute ſejungatur.

Virtutis adeo indolem nondum perſpiciunt, qui nexum omnium actionum univerſalem ignorant, conſequenter multo minus eandem ſibi perſpectam exiſtimare debent, qui omni virtuti interitum ab eodem imminere ſibi perſuadent.

§. 76.

Nexus univerſaliſſimus actionum hominum omnium.

Omnium hominum actiones inter ſe connecti debent. Cum enim finis ultimus actionum humanarum ſit non modo perfectio ſui, verum etiam aliorum quorumcunque (§. 28.), & homines omnes conjunctis viribus eandem promovere tenentur (§. *221. Part. I. Phil. pract. univ.*); ratio actionum hominum omnium in communi fine contineri (§. *56. Ont.*), adeoque omnes cum eodem fine ultimo connecti debent (§. *10. Coſmol.*). Quoniam itaque actiones quotcunque cum fine ultimo connexæ inter ſe connectuntur (§. 71.), & quæ connectuntur cum eodem tertio, ea inter ſe connexa ſunt (§. *12. Coſmol.*); actiones omnium hominum inter ſe connecti debere evidens eſt.

Cla-

Digitized by Google

Clariſſime idem patet a poſteriori, modo animum ad actiones hominum aduertere volueris, quamvis in nexu hoc univerſaliſſimo actionum hominum omnium ingentes obſerventur defectus, propterea quod arctiſſima legis naturalis cuſtodia deſideratur. Videre enim licet, rationes actionum hominis unius reſolvi in actiones alterius, & actiones eorum, qui nunc vivunt, dependere ab actionibus illorum, qui ante nos vixerunt. Quemadmodum hoc ſemper obtinet, ſi actiones humanæ phyſice ſpectentur; ita idem quoque obtinere poterat, immo debebat, ſæpius etiam obtinet, ſi ſpectentur moraliter, hoc eſt, quatenus actiones legi naturæ conformes ſunt (*§. 244. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi totum genus humanum nullo tempore ne latum quidem unguem a lege naturali recederet; actiones humanæ omnes moraliter ſpectatæ eodem modo inter ſe connecterentur, quo actiones rerum materialium in hoc mundo adſpectabili inter ſe connectuntur. Atque tum vita moralis humani generis foret ſeries actionum ſimultanearum & ſucceſſivarum inter ſe connexarum, quemadmodum mundus eſt ſeries rerum ſimultanearum & ſucceſſivarum inter ſe connexarum (*§. 55. Coſmol.*), & mundum quaſi quendam moralem conſtitueret: ad quem ſignificatum vocabuli reſpexiſſe videtur Johannes, quando I. c. V, 19. mundus, inquit, totus in maligno poſitus eſt. Notionem mundi hujus moralis lucidiorem conſequemur, ubi mutua hominum erga ſe invicem & mutua Gentium erga ſe invicem officia penitius *inſpexerimus*. Abſit autem, ut quis univerſaliſſimum hunc actionum totius generis humani nexum moralem in numerum non entium referat, quod nullibi exiſtat, vel inter tricas inanes reponat, quod nullum videat ipſius uſum. Etſi enim non detur, non tamen ideo intrinſece impoſſibilis, nec actualitas eidem per ſe repugnat. Quemadmodum itaque arctiſſima legis naturalis cuſtodia, immo vita perfecta, pro non ente minime habenda, propterea quod homines legem naturæ non tanta ſollicitudine ſervant, ut ne latum quidem unguem ab eadem unquam recedant, quemadmodum exigit vita perfecta (§. 17.); ita nec univerſaliſſimus actionum generis humani nexus moralis non en-

 tibus

tibus accenſeri debet, quia, hominibus legem naturæ transgredientibus, dari nequit. Majorem autem uſum pollicetur notio hujus nexus, quam primo adſpectu apparet. Eum qui penitius perſpicit, multo clarius atque diſtinctius intelligit, quale foret genus humanum, ſi ad voluntatem Numinis vitam ſuam componeret, & quale nunc ſit judicio Dei, ubi abuſu libertatis nexum iſtum continuo interrumpit: quem uſum haud poſtremum eſſe videbunt facile Theologi perſpicaciores, ad multa religionis revelatæ capita adverſus empæctas hujus ſeculi defendenda, & hujus neceſſitatem demonſtrandam profuturum. Tacemus itaque uſus alios magis e longinquo ſpectandos, quos in iis, quæ in poſterum trademus verſaturus, modo ſuam non patiatur deſiderari attentionem, haud difficulter animadvertet.

§. 77.

Mentis acies ad vitam perfectam requiſita.

Qui vitam perfectam vivere vult, eam mentis aciem acquirere tenetur, qua actionis cujuslibet cum fine ultimo, perfectione ſui aliorumque, nexum perſpicere valet. Qui enim vitam perfectam vivere vult, ejus actiones omnes cum perfectione ſui aliorumque, fine earundem ultimo (§. 28.), connecti debent (§. 69.). Quoniam vero nemo operam dare valet, ut actiones ſuæ omnes cum eadem connectantur, niſi nexum iſtum perſpiciat; extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod vitam perfectam acturus ea mentis acie inſtructus eſſe debeat, qua actionis cujuslibet cum fine ultimo, perfectione ſui aliorumque, nexum perſpicere valet. Et cum nemo non in ſeipſo experiatur, hanc mentis aciem ſibi non eſſe naturalem; eam utique acquirere tenetur, qui eadem inſtructus eſſe debet. Vitam igitur perfectam qui vivere vult, eam mentis aciem acquirere tenetur, qua actionis cujuslibet cum fine ultimo, perfectione ſui aliorumque, nexum perſpicere valet.

Hinc

Digitized by Google

Hinc intelligitur, quali opus ſit cognitione, ſiquidem vitam perfectam vivere velis: quæ quo diſtinctior fuerit, eo utique melior, cum ita facilius evitetur error. Patet etiam culturam intellectus ab eo negligi minime poſſe, qui vitæ perfectæ ſtudet. Atro igitur carbone notandus error illorum, qui culturam intellectus a ſtudio vitæ perfectæ ac virtutis vel prorſus excludunt, quemadmodum faciunt Neo-Phariſæi, vel nimiam ſaltem aciem ſupervacaneam exiſtimant, cum ea non cadat in plebem imperitam, quam tamen tenet legis naturalis obligatio. Quemadmodum enim facillime hypocritæ fiunt, qui in dijudicando eo, quod rectum eſt, non ſatis ſunt acuti; ita nemo eſt, qui neſciat niſi ſua culpa, legem naturæ non tantummodo disponere de actionibus, quas homines quicunque cum plebe habent communes, verum etiam de actionibus illorum, qui ultra ſortem plebejam eminent. Harum vero major, quam illarum numerus eſt, & quis affirmare auſit, ad omnes omnino actiones rite determinandas ſufficere intellectum plebejum?

§. 78.

Principia in dijudicando actionum cum perfectione ſui aliorumque nexu neceſſaria.

Qui in dato caſu actionis patrandæ nexum cum perfectione ſui aliorumque perſpicere debet; is opus habet principio, quod de iſtiusmodi actione in genere enunciat, quomodo ſeſe habeat ad finem ultimum. Etenim qui in dato caſu actionis patrandæ nexum cum perfectione ſui aliorumque perſpicere debet; is judicare debet, num actio iſta ſit medium perfectionem ſui aliorumque promovendi (§. 68.). Aſt ubi in dato caſu actio quædam patranda, nobis ſaltem conſtat, actionem eſſe talem, qualis per circumſtantias obvias determinatur. Agens igitur judicaturus, num actio perfectionem ſui aliorumque promoveat, opus habet principio, quod de iſtiusmodi actione in genere enunciat, quomodo ſeſe habeat ad perfectionem ſui aliorumque, adeoque (§. 28.) finem ultimum (§. *360, 361, Pſych. empir.*).

Digitized by Google

Nimirum judicium omne de nexu actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque hoc continetur ſyllogiſmo catholico:

Omnis actio A perfectionem noſtram, vel aliorum, aut utramque promovet.

Atqui actio pātranda eſt actio A.

Ergo actio patranda perfectionem noſtram, vel aliorum, aut utramque promovet.

Concluſio eſt judicium, quod in dato caſu requiritur, ubi nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque perſpicere volueris. Minor innoteſcit, dum ad circumſtantias occaſione agendi oblata obvias animum advertis, per eas enim patet, actionem patrandam eſſe talem, hoc eſt ſic determinatam, non aliter, quales in genere litera A indigitare voluimus. Ut igitur ex minore inferri poſſit concluſio, opus eſt majore, generali nempe principio, quod ubi cognitum tibi non fuerit, ante inveniendum eſt, quam ea inferri poſſit. Nihil igitur obſcuri relinquitur ei circa propoſitionem præſentem, qui ratiocinii notionem diſtinctam ex Logica vel Pſychologia empirica hauſit, & judicii intuitivi ac diſcurſivi diſcrimen comprehendit (*ſ. 51. Log.*). Extemplo enim animadvertet, ad perſpiciendum in caſu dato nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque requiri judicium diſcurſivum, ad hoc autem requiri duas præmiſſas, ex quibus tanquam concluſio inferatur. Quamobrem cum agendi oblata occaſio nonniſi unam, minorem ſcilicet, inſinuet; majoris, hoc eſt, principii generalis (*ſ. 561. Log.*), neceſſitatem ultro agnoſcet.

§. 79.

Qualia ſint principia iſta.

Principia ad perſpiciendum nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque in dato quolibet caſu neceſſaria ſunt leges naturales. Etenim principia ad perſpiciendum nexum actionis patrandæ in dato quolibet caſu neceſſaria in genere enunciant, quomodo actio ſeſe habeat ad finem ultimum (§. 78.), perfectionem ſcilicet ſui aliorumque (§. 28.), conſequenter num ſit medium promovendi ſui alio-

aliorumque perfectionem (§. 68.), adeoque ad eandem tendat. Quamobrem cum leges naturales ſint iſtæ propoſitiones univerſales, quæ in genere determinant actiones ad perfectionem noſtram aliorumque tendentes (§. 152. 223. *Part. I. Phil. pract. univ.*); principia ad perſpiciendum nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque in dato quolibet caſu neceſſaria ſunt leges naturales.

Si quis cum nobis in demonſtrandis legibus naturalibus non ſumit, niſi quod lex naturæ nos obliget ad actiones committendas, quæ ad noſtram aliorumque perfectionem tendunt, & ad eas omittendas, quæ eidem adverſantur (§. 152. 223. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & leges naturales alias ex aliis demonſtrat, ita ut omnes inter ſe cohæreant, & ex eo, quod ſumitur, tanquam ex fonte rivuli deducantur; is clariſſime perſpicit, leges naturales eſſe iſta principia, quibus habemus opus actionis patrandæ in dato caſu nexum cum perfectione ſui aliorumque detecturi. Neque enim alia admittitur legi naturali conveniens actio, niſi quæ tanquam medium finem iſtum conſequendi ſpectari poteſt. Quamobrem quæ a nobis de actionibus humanis legi naturali convenientibus demonſtrabuntur; ea tuto adhiberi poterunt tanquam principia, ubi de nexu actionis patrandæ cum fine ultimo, noſtra nimirum aliorumque perfectione, cogitatio animum ſubit. Demonſtrationes noſtræ, quas dabimus in ſpeciali tractatione, nexum iſtum exponent, nec opus erit, ut in principiorum ſtabiliendorum applicatione diſtincta nexus hujus cogitatio animum ſubeat.

§. 80.

Quomodo mentis acies, ad dijudicandum nexum actionum cum fine ultimo

Si mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quolibet caſu actionis cujuscunque cum fine ultimo nexus perſpiciatur; 1. perfectio humana qua animam, qua corpus & quoad ſtatum hominis externum, nec non 2. actiones liberæ omnes tam internæ, quam externæ, itemque 3. res omnes, quibus quomodocunque indigemus, in ſua dividantur genera ſuasque ſpecies: 4. ex

requiſita, acquiratur. *4. ex horum generum atque ſpecierum diſtinctis notionibus determinetur, quænam actiones ad noſtram aliorumque perfectionem tendant, quænam eidem repugnent, atque 5. hæc judicia univerſalia memoriæ infigantur.* Quodſi enim perfectio humana tum qua corpus, tum qua animam, tum quoad ſtatum externum, omnes quoque actiones liberæ tam internæ, quam externæ, itemque res omnes, quibus quomodocunque indigemus, in ſua genera ſuasque ſpecies dividantur, & ex horum generum harumque ſpecierum notionibus diſtinctis determinetur, quænam actiones ad noſtram aliorumque perfectionem tendant, quænam eidem repugnent; nulla datur actio libera, de qua non conſtet, num ad perfectionem noſtram aliorumque promovendam faciat, an vero eidem adverſetur, conſequenter num ſit medium conſequendi perfectionem noſtram aliorumque (§. *937. Ontol.*), finem agentis ultimum (§. 28.). Quamobrem ſi iudicia iſta univerſalia memoriæ infigantur; nemo non ex ſeipſo novit, quod eadem veluti ſponte ſua nobis ſuccurrant, quoties de iisdem cogitandi occaſio nobis offertur. Habemus adeo in dato quolibet caſu principium, quod ad judicium certum de actione patranda formandum requiritur, utrum ea ſit medium perfectionis noſtræ aliorumque, nec ne, conſequenter num cum eadem, fine ultimo (§. 28.), connectatur (§. 68.). Patet itaque eo, quem in propoſitione præſente diximus, modo mentis aciem ad hunc gradum elevari, ut in dato quolibet caſu actionis cujuscunque cum fine ultimo nexus perſpiciatur.

Qui regulis, quas præſcribit præſens propoſitio, ſatisfacit, is ſyſtema legum naturalium methodo demonſtrativa condit, easque ſibi familiares reddit. Regulæ hæ cum doceant, quomodo leges naturales ſint inveſtigandæ; in numerum principiorum

rum hevriſticorum referendæ, quæ in philoſophia practica univerſali tradenda (*§. 11. Part. I. Phil pract. univ.*). Quodſi ſyſtema legum naturalium veri nominis proſtet; acies mentis, quam intendimus, attenta ejus lectione comparatur, nec opus eſt, ut ipſe agens principia iſta generalia inveſtiget proprio Marte, quibus, nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque in dato caſu perſpecturus, habet opus. Unus igitur acumine ſuo prodeſt ceteris omnibus, ſi quidem quæ ſibi innotuerunt publici faciat uſus. Ceterum hinc ſimul elucet utilitas atque neceſſitas ſyſtematis legum naturalium methodo demonſtrativa conditi, in quo actionum intrinſeca moralitas demonſtratur, modo ad animum revocaveris, acumine inde acquirendo ad vitam perfectam & ſapientem actionum omnium directionem eſſe opus, & ex antea demonſtratis intellexeris, quid ſibi velit vita perfecta ſapiensque actionum directio. Regulæ etiam, quas præſcribimus, eum habere poſſunt uſum, ut de ſyſtemate legum naturalium judicium exaſciatum ferre poſſis, & defectus, quibus laborat, detegere valeas. Abſit itaque, ut carpas theoriam ſublimem, quod non ſit ad uſum.

§. 81.

Per *ſyſtema legum naturalium* intelligo eam ipſarum compactionem, qua omnes inter ſe connectuntur. In genere nimirum *ſyſtema doctrinarum* eſt compactio veritatum, ſeu propoſitionum univerſalium inter ſe connexarum. Immo generaliſſime *ſyſtema* appellari ſuevit compactio rerum inter ſe connexarum. *Syſtema legum naturæ & ſyſtema in genere quid ſit.*

Notionem generalem dedimus alias in horis ſubſecivis An. 1729. Trim. brum. num. 3. §. 3. cum de intellectus ſyſtematici & non ſyſtematici differentia ageremus. Monuimus enim veritates univerſales, ſeu propoſitiones univerſales inter ſe connexas ſyſtema doctrinarum conſtituere. Et in hoc etiam ſenſu partem primam Theologiæ naturalis in parte altera ſæpius diximus ſyſtema, & in ipſo titulo illius poſuimus, quod integrum ſyſtema complectatur, quia ſcilicet veritates de Deo, natura notæ,

Digitized by Google

inter ſe connectuntur. In ſenſu generaliſſimo Medici ſyſtema nervorum, arteriarum, venarum vocant, ſi nervos, arterias, venas eo ordine deſcribunt, quo per totum humanum corpus diffuſi diffuſæque inter ſe connectuntur, ut unum quoddam quaſi ens conſtituant nervi inter ſe juncti, unum ab eo diverſum arteriæ, & diverſum ab utroque venæ. Quamobrem ſyſtema legum naturalium habebis, ſi leges naturæ omnes inter ſe connectantur.

§. 82.

Quomodo ſyſtema condatur.

Syſtema doctrinarum condi nequit niſi methodo demonſtrativa. Etenim in ſyſtemate veritates univerſales, quæ dogmatum ſeu doctrinarum nomine veniunt (§. 743. *Log.*), inter ſe connectuntur (§. 81.). Enimvero veritates inter ſe connectuntur, ſi definitum unum ingreditur definitionem alterius, & propoſitio una demonſtrationem alterius tanquam præmiſſa (§. 877. *Log.*). Quamobrem cum methodus philoſophica, quæ cum mathematica, adeoque demonſtrativa, eadem eſt (§. 139. *Diſc. prælim.*), exigat, ut termini, qui ingrediuntur definitiones ſequentes, explicentur per antecedentes (§. 119. *Diſc. prælim.*), & propoſitiones, quæ ingrediuntur demonſtrationem ſequentium, demonſtrentur in antecedentibus (§. 120. *Diſc. prælim.*); Syſtema doctrinarum niſi methodo demonſtrativa condi non poſſe liquet.

Oſtenditur etiam hoc modo. In ſyſtemate doctrinarum veritates, ſeu propoſitiones univerſales inter ſe connexæ exhiberi debent (§. 81.). Quoniam itaque ea inter ſe connectuntur, quorum unum continet rationem ſufficientem coexiſtentiæ vel ſucceſſionis alterius (§. 10. *Coſmol.*); propoſitiones univerſales in ſyſtemate ſe invicem ſubſequentes inter ſe connexæ erunt, ubi ratio ſufficiens veritatis

Digitized by Google

tatis ſequentium continetur in antecedentibus, conſequenter ubi veritas propoſitionum ſequentium intelligitur per antecedentes (§. *56. Ontol.*), adeoque antecedentes ſunt principia cognoſcendi ſequentium (§. *876. Ontol.*). Enimvero in demonſtrando hoc obtinet, ut propoſitiones anteriores cum definitionibus fiant principia cognoſcendi ſequentium (§ *551. & ſeqq. Log.*), ideo principia demonſtrandi dictæ (§. *561. Log.*). Patet itaque ſyſtema doctrinarum condi non poſſe, niſi veritates aliæ ex aliis demonſtrentur, ſeu methodo demonſtrativa.

Facile prævideo fore haud paucos, quos hæc offendet propoſitio, propterea quod ſyſtema condere volunt, aut a ſui ſimilibus condita arbitrantur, methodum tamen demonſtrativam in ſua minime habent poteſtate, nec eam in ſui ſimilium poteſtate fuiſſe ultro agnoſcunt. Enimvero quis non videt, eos ideo offendi, quod videri volunt, qui non ſunt, conſequenter a faſtu petendam eſſe offenſæ rationem, quem parum cauti nobis exprobrant, quod veritatem candide profitemur? Quaſi vero ſine faſtu doceri non poſſint, quæ multorum vires ſuperant, propterea quod ipſi verentur, ne alii moderatius de ipſis, quam ipſi de ſe ſentiant: id quod ad ſui contemtum referunt, quem crimen acerbum ponunt, etſi ſibi alios impune contemnendi licentiam largiri velint.

§. 83.

Quoniam inter ſyſtemata doctrinarum ſyſtema quoque legum naturalium eſt (§. 81.), ſyſtema vero doctrinarum condi nequit, niſi methodo demonſtrativa (§. 82.); ideo *ſyſtema* quoque *legum naturalium condi nequit, niſi methodo demonſtrativa.* *Methodus ſyſtemati legum naturalium conveniens.*

Agnovit hoc ipſe *Grotius* & pro ea, quæ virorum ſummorum eſt modeſtia, ultro confitetur in concluſione operis ſui de Iure belli & pacis, jactis a ſe fundamentis ſuperſtrui poſſe

 opera

opera ſpecioſiora, etſi methodi ignarus non ſatis viderit, quidnam ſit illud, quod opus quoddam de Jure Naturæ ac Gentium efficiat ſuo ſpecioſius.

§. 84.

Quomodo ſyſtema condatur.

Si leges naturales, vel dogmata quæcunque alia demonſtrentur, ſyſtema legum naturalium, vel doctrinarum aliarum prodit. Etenim ſi leges naturales, vel dogmata quæcunque alia demonſtrentur, eo ordine compingi debent, ut per anteriores propoſitiones demonſtrentur poſteriores (§. *551. & ſeqq. Log.*), tanquam per principia (§. *561. Log.*), conſequenter veritatis legum naturalium ſequentium, vel dogmatum quorumcunque aliorum ſequentium ratio in antecedentibus contineatur (§. *866. Ontol.*). Quamobrem cum inter ſe connexa ſint, quorum unum in ſe continet rationem coëxiſtentiæ vel ſucceſſionis alterius (§. *10. Coſmol.*); leges naturales, vel doctrinæ quæcunque aliæ eo ordine compactæ, inter ſe connexæ ſunt. Enimvero compactio legum naturalium, vel doctrinarum quarumcunque aliarum ſyſtema legum naturalium vel doctrinarum eſt (§. 81.). Quamobrem ſi leges naturales vel dogmata quæcunque alia demonſtrentur, ſyſtema legum naturalium, vel dogmatum iſtorum prodit.

Patet itaque leges naturales & in genere doctrinas quascunque alias in ſyſtema redigi, ſi aliæ ex aliis demonſtrentur. Methodus adeo demonſtrativa eſt medium condendi ſyſtema veri nominis, nec dari præter hoc medium aliud ex propoſitionibus anterioribus (§. 82. 83.) liquet, quarum converſa præſens eſt. Defectui methodi demonſtrativæ tribuendum, quod ſyſtemata veri nominis hactenus deſiderentur. Sit ita quod hoc nomen nonnulli tribuerint collectioni veritatum univerſalium inter ſe minime connexarum, ſed in ſubſidium memoriæ in certas tantummodo claſſes redactarum. Per ſe autem patet, ſyſtema requi-

requirere demonſtrationes exaſciatas, quæ legibus in Logica præſcriptis perinde ſatisfaciunt, ac demonſtrationes Geometrarum. Qui veritates univerſales colligit, materiem quaſi ædificii exſtruendi ſuppeditat, qui rationes earum genuinas indicat, calcem & arenam affert ad teſtas & cæmenta coagmentanda, qui denique rationibus iſtis uſus veritates univerſales in eum redigit ordinem, ut aliæ ex aliis demonſtrentur, ædificium tandem excitat. Vides itaque, etſi ſyſtemata præferantur aliis veritatum univerſalium collectionibus; non tamen ideo has contemni, quemadmodum nugantur ſyſtematum oſores. Simile, quod ipſorum gratia in medium adduximus, eos docebit, quomodo diverſa illorum merita ſint æſtimanda, qui in propagandis veritatibus univerſalibus operam ſuam collocant. Abſurdum vero eſt alieno merito cenſeri velle.

§. 85.

Syſtematis Legum naturæ uſus in acuenda mente ad perſpiciendum nexum actionum cum fine ultimo.

Mentis acies ad hunc gradum elevatur, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, ope ſyſtematis legum naturalium. Etenim ſi mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, inveſtigandæ ſunt propoſitiones univerſales, quibus enunciatur, quænam actiones ad noſtram aliorumque perfectionem tendant, quænam eidem adverſentur, atque hoc determinandum eſt ex notionibus diſtinctis generum ac ſpecierum perfectionis animæ, corporis ac ſtatus externi hominis, actionum quoque tam internarum, quam externarum, rerumque illarum, quibus quomodocunque indigemus, notionibus (§. 80.), conſequenter propoſitiones iſtæ ſunt demonſtrandæ (§. *126. Ontol.*). Quoniam itaque propoſitiones iſtæ, quæ nexum actionum patrandarum cum perfectione ſui aliorumque in dato quocunque caſu manifeſtant, leges naturales ſunt (§. 79.), naturæ autem leges ſi demonſtrentur, earum ſyſtema conditur (§. 84.); ſi

Digitized by Google

mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, ſyſtema legum naturalium condendum. Quamobrem patet, mentis aciem ad hunc gradum elevari, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, ope ſyſtematis legum naturalium.

Quoniam qui vitam perfectam vivere vult, eam mentis aciem acquirere tenetur, qua actionis cujuslibet cum fine ultimo, perfectione ſui aliorumque, nexum perſpicere vult (§. 77); ope autem ſyſtematis hæc ipſa mentis acies acquiritur (*per præſ.*); utilitas ſyſtematis legum naturalium abunde patet. Atque ea ratio nos impulit, ut ad idem condendum animum appulerimus.

§. 86.

Quandonam ope ejus ſyſtematis nexus actionum cum fine ultimo perſpiciatur.

Qui ex ſyſtemate Leges naturales ſibi perſpectas reddit, demonſtrationes tamen inſuper habet, ejus equidem actiones cum fine ultimo connectuntur, nexum tamen ipſe minime perſpicit: qui vero una demonſtrationum vim percepit, is demum eundem perſpicit. Etenim in ſyſtemate leges naturales omnes inter ſe connectuntur (§. 81.), adeoque omnes cum lege generali de committendis actionibus ad perfectionem ſui aliorumque tendentibus (§. *152. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*) connectuntur (§. *12. Coſmol.*), conſequenter in ſyſtemate manifeſtatur nexus actionis cujuslibet cum perfectione ſui aliorumque, fine actionum humanarum ultimo (§. 28.). Quamobrem ſi ex ſyſtemate leges naturales ſibi perſpectas reddit, dubium nullum ſupereſſe poteſt, quin actiones juxta easdem determinatæ cum fine ultimo connectantur. *Quod erat primum.*

Quoniam tamen ſyſtema non conditur, niſi quatenus leges naturales demonſtrantur (§. 83. 84.), conſequenter

ter nexus earum non perſpicitur, niſi vi demonſtrationum (§. 81.), adeoque nec actionis cujuslibet cum fine ultimo nexus aliter, quam vi demonſtrationis percipi poteſt (*per demonſtrata*); qui vim demonſtrationum percipit, is quoque nexum actionum cum fine ultimo perſpicit, qui vero illas inſuper habet, eundem perſpicere nequit. *Quod erat ſecundum atque tertium.*

Non eſt, quod excipias, ſi agens nexum actionis committendæ cum fine ultimo perſpicere velit, eum omnem demonſtrationum ſeriem diſtincte perpendere debere: id quod ut in dato quolibet caſu fiat impoſſibile eſſe nemo non ultro concedet. Etenim ſufficit, nexum hunc diſtincte perſpectum fuiſſe antea, quam agendi occaſio ſeſe offerret, & perſpectum fuiſſe ſucceſſive, non uno intuitu. In actiones enim humanas præſentes influunt etiam præcedentes, quantocunque intervallo ab iisdem remotæ, & rectitudo præſentium a rectitudine præcedentium, quæ in eas influunt, dependet. Ultra humanam vero conditionem poſitum eſt, nexum actionis cujuslibet cum fine ultimo uno obtutu diſtincte comprehendere: id enim ſolius Dei eſt omnia ſimul cognoſcentis (*§. 160. Part. I. Theol. nat.*) atque intuitive (*§. 207. Part. I. Theol nat.*). Non tamen ideo perinde eſt, ſive vi demonſtrationum nexum iſtum perſpexeris, ſive his inſuper habitis familiares experiaris propoſitiones, quibus actiones cum fine ultimo connexæ determinantur. Etenim qui nexum iſtum nunquam perſpexit, in ejus actionem præſentem nec influere poſſunt actiones intellectus præteritæ, quibus perſpicitur, conſequenter in rectitudine actionis præſentis ex parte intellectus quidam notatur defectus, quatenus ea omnem facultatum noſtrarum uſum requirit, etſi omiſſio invincibilis agendi non imputetur (*§. 550. Part. I. Phil. pract. univ*). Qui ea rite perſpexit, quæ de ſucceſſiva aſſenſus generatione alibi (*§. 992. 993. Log.*) demonſtravimus & in Horis ſubſec. A. 1729. Trim vern. num. 3. uberius explicavimus; de hac dicta ad perſpicientiam nexus actionis patrandæ cum fine ultimo haud difficulter applicabit. Quemadmo-

Digitized by Google

admodum enim qui veritati propoſitionis a principiis primis procul diſtantis aſſentitur, ejus nexum cum principiis perſpicit, quatenus demonſtrationum antea perceptarum recordatur; ita nexum actionis præſentis cum fine ultimo quoque perſpicit agens, quatenus meminit ſe vi demonſtrationum antea diſtincte expenſarum nexum actionum legi naturali conformium cum fine earundem ultimo certo cognoviſſe. Si quis in hiſce lucem majorem deſiderat, is obſcuritatem, quæ menti ipſius offunditur, non nobis, ſed ſibi imputet, quod aliis nondum cognitis intelligere velit, quæ nonniſi aliis ante cognitis intelliguntur, & uno intellectus actu comprehendere velit, quæ nonniſi actu multiplici ſucceſſive comprehenduntur. Id autem velle perinde eſt, ac prætendere, ne lumen ſolis, quod aquila intuetur, noctuæ caliginem offundat.

§. 87.

Acumen ad mentem acuendam, ut nexus actionum cum fine ultimo perſpiciatur, requiſitum.

Si mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quolibet caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, acumine opus eſt. Etenim ſi mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quolibet caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, perfectio quoad animam, corpus & ſtatum externum, actiones liberæ omnes tam internæ, quam externæ & res præterea omnes, quibus quomodocunque indigemus, dividendæ in ſua genera ſuasque ſpecies (§. 80.). Enimvero genera conſtituuntur per ſimilitudinem ſpecierum (§. *234. Ontol.*) & ſpecies per ſimilitudinem individuorum (§. *233. Ontol.*); adeoque illa per ea, quæ in ſpeciebus, hæc autem per ea, quæ in individuis eadem ſunt (§. *195. Ontol.*). Mentis adeo aciem ad gradum deſideratum elevaturus diſtincte cognoſcere tenetur, quæ & in individuis, & in ſpeciebus eadem inſunt. Quoniam itaque acumine diſtinguuntur, quæ in diverſis eadem ſunt (§. *332. Pſych. empir.*); ſi mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu

Digitized by Google

caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, acumine opus eſt.

Nemo non videt, qui ad demonſtrationem animum advertit, ſermonem hic eſſe de acumine ejus, qui theoriam condere voluerit ad dijudicandum nexum actionum cum fine ultimo neceſſariam, quando agendi occaſio offertur (§. 79.), juxta regulas, quas eo fine exhibuimus (§. 80.). Acumen hoc prærequiritur, antequam illud acquiſitu poſſibile, quod in dijudicando actionum nexu cum fine ultimo requiritur.

§. 88.

Ingenium ad idem requiſitum.

Si mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, ingenio eſt opus. Si enim mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur; tum perfectio hominis, qua animam, corpus & ſtatum externum, tum actiones liberæ internæ atque externæ, tum denique res, quibus quomodocunque indigemus, in ſua genera ſuasque ſpecies dividendæ ſunt (§. 80.). Quamobrem cum ſpecies in ſimilitudine individuorum (§. *233 Ontol.*), genera in ſimilitudine ſpecierum conſiſtant (§. *234 Ontol.*); mentis aciem ad datum gradum elevaturus facilitate obſervandi rerum ſimilitudines pollere debet, conſequenter cum ingenium in facilitate obſervandi ſimilitudines rerum conſiſtat (§. *476. Pſych. empir*), ingenio valeat neceſſe eſt. Patet itaque ingenio opus eſſe, ſi mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque transferenda: id quod etiam de ſequente tenendum.

§. 89.

Ars inveniendi ad idem requiſita.

Si mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur; arte inveniendi opus eſt. Si enim mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, ex diſtinctis notionibus generum & ſpecierum perfectionis animæ, corporis ac ſtatus externi, nec non actionum tam internarum, quam externarum, rerumque, quibus quomodocunque indigemus, eruendum ſeu ratiocinando colligendum eſt, quænam actiones ad noſtram aliorumque perfectionem tendant, quænam eidem adverſentur (§. 80.). Enimvero arte inveniendi ex notionibus acquiſitis colligitur veritas adhuc incognita (§. *461. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur, arte inveniendi opus eſt.

Equidem hic nobis de arte inveniendi a priori potiſſimum ſermo eſt (§. *461. Pſych. empir.*), quæ habitum ratiocinandi ac ſoliditatem ſupponit (§. *463. Pſych. empir.*); non tamen ideo excluditur ars inveniendi a poſteriori, quæ veritatem eruit ex obſervationibus & experimentis (§. *457. Pſych. empir.*). Etenim in cognitione humana experientia & ratio ubivis concurrunt, ubi a Matheſi pura receſſeris, adeoque perpetuo viget rationis & experientiæ connubium. Absque experientia nihil profeceris in theoria actionum humanarum; ſed parum præſtabis, niſi ratiocinatio acceſſerit.

§. 90.

Quomodo in dijudicando nexu actionum cum

Qui mentis aciem ope ſyſtematis legum naturalium ad hunc gradum elevat, ut in dato quocunque caſu nexum actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpicere poſſit, alieno acumine atque

atque ingenio & arte inveniendi aliena juvatur. Etenim cum principia ad perſpiciendum nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque, adeoque fine ultimo (§. 28.), in dato quocunque caſu neceſſaria ſint leges naturales (§. 79.), adeoque in ſyſtemate legum naturalium contineantur (§. 81); qui ope hujus ſyſtematis mentem acuit ad pervidendum nexum actionis patrandæ in dato quolibet caſu, principia iſta ex ſyſtemate haurit, non vero ex notionibus generum & ſpecierum perfectionis animæ, corporis ac ſtatus externi actionumque liberarum & rerum, quibus quomodocunque indigemus, eruit ipſe, quemadmodum requiritur, ubi nullum adhuc ſyſtema proſtat (§. 80.). Enimvero qui per ſe mentis aciem ad iſtam nexus actionum cum fine ultimo perſpicientiam elevare debet, conſequenter principia iſta inveſtigare, quibus ad eum dijudicandum habemus opus, & quæ in ſyſtema legum naturalium compinguntur, acumine (§. 87.), ingenio (§. 88.) & arte inveniendi habet opus (§. 89.). Acumine igitur iſto, ingenio & arte inveniendi opus non eſt ei, qui principia ab aliis inveſtigata & demonſtrata ſibi cognita, perſpecta atque familiaria reddit. Defectum adeo proprii acuminis ac ingenii, artisque inveniendi propriæ ſupplet acumen & ingenium alienum, ars inveniendi aliena. Patet igitur, qui mentis aciem ſyſtematis legum naturalium ope ad hunc gradum elevat, ut in dato quocunque caſu nexum actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpicere poſſit, alieno acumine atque ingenio, arte inveniendi aliena juvari.

fine ultimo alterius acumine, ingenio & arte inveniendi juvemur.

Hac propoſitione tollitur difficultas, quam nonnulli adverſus ea movent, quæ de elevanda mentis acie ad perſpiciendum nexum actionis cujuslibet cum fine ultimo in dato quocunque caſu demonſtravimus. Oſtendimus nimirum ad hæc requiri acu-

men, ingenium, artem inveniendi (§. 87. & ſeqq.). Conſtat enim a poſteriori, haſce animi dotes parca admodum manu inter mortales eſſe diſtributas, cum tamen acies iſta requiratur ad vitam perfectam (§. 77.), ad quam adſpirare debet, quicunque virtutem colere (§. 26.) & ab omni culpa vacuum habere animum voluerit (§. 24.). Virtutem autem colere debet homo omnis, & magni intereſt unumquemque nullius ſibi culpæ conſcium eſſe. Videri adeo poterat virtutis ſtudium & animum a ſenſu culpæ vacuum ad paucos, immo pauciſſimos reſtringi, quod tamen utrumque omnibus commune eſſe debebat. Enimvero ex propoſitione præſente intelligitur, pleroſque alieno auxilio juvari, ut, in quo ſibi ſoli minime ſufficiebant, id eodem conſequantur. Non opus eſt, ut ſinguli ſint veritatum moralium inventores & ſyſtematum conditores: pauci ſua opera ceteris ſufficiunt omnibus. Immo illud acumen, illud ingenium, illa ars inveniendi, ſine quibus nexus actionum humanarum cum fine ultimo detegi nequit, nec in ſyſtemate demonſtrari poteſt, non unius eſt hominis, ſed multorum, quorum unusquisque pro ea, quam natura ipſi conceſſit, facultate ſymbolam confert. Id enim proprium eſt intellectus finiti, ut, qui pluribus ſubjectis inhæret, ſubeat vicem unius. Unde ab intellectu humano expectari posſunt, quæ cujuslibet hominis in ſe ſpectati intellectum longe ſuperant, & hebetioribus prodeſt acumen eorum, quibus interiora rimari datum eſt, ad quæ illis acceſſus negatur. Huc velim animum advertant, qui, quæ de praxi morali in genere præcipiuntur, ardua nimis ac difficilia exiſtimant, ne præcipitato judicio damnent, quod veritati conſentaneum.

§. 91.

Cognitio modi, quo fine quæſito potiamur, ad vitam perfectam requiſita.

Qui vitam perfectam vivere voluerit, ei conſtare debet, quomodo fine quæſito potiamur. Etenim qui vitam perfectam vivere vult, nihil unquam agere debet absque fine, fines autem particulares omnes ita ſibi invicem ſubordinare tenetur, ut propiores ſint media remotioris, omnes autem ſimul

ſimul medium perfectionis ſui aliorumque, finis actionum omnium ultimi (§. 58.). Quoniam itaque per ſe patet, non agi propter finem, niſi ea intentione (§. 617. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ut eodem potiamur, cumque ideo media velimus, quia finem volumus (§. 941. *Ontol.*), finium particularium ſubordinatio non alia de cauſa præcipitur, quam ut finibus omnibus intermediis tandemque ultimo potiamur; qui vitam perfectam vivere voluerit, ei utique conſtare debet, quomodo fine quæſito potiamur.

Quid juvat intendere finem, & finem unum intendere propter alterum, niſi fine, quem intendis, potiaris? Sane qui finem intendit, ſed quomodo eodem potiatur, ignorat; is nec dici poteſt agere propter finem. Perfecta igitur vita concipi nequit ſine cognitione modi finem, quem intendis, conſequendi. Non jam quæritur, quid in hominis poteſtate poſitum ſit, ſed quid ad vitam perfectam requiratur, unde judicium pendet de perfectione vitæ, quatenus in poteſtate noſtra exiſtimari poteſt. Multum nocet virtuti nimis anxia nonnullorum ſollicitudo de limitibus uſus facultatum noſtrarum in componendis actionibus ad legem naturalem, qua nulla opus eſt: ſucceſſus enim, qui conanti vel datur, vel negatur, optimus eſt magiſter, ubi doceri volueris, quantum valeant humeri, quantum ferre recuſent.

§. 92.

Si quis fine quæſito potiri voluerit: 1. ſollicite diſtinguere debet caſus omnes in executione actionis poſſibiles, 2. inveſtigare tenetur media, in quolibet caſu via breviſſima ad finem ducentia, 3. detegat neceſſe eſt impedimenta, quæ in caſu unoquoque ſeſe offerre poſſunt, tandemque 4. inquirat opus eſt in remedia, ſeu modum, quo impedimenta iſta removentur. Etenim ſi omnes caſus poſſibiles habuerit perſpectos, nullus ipſi ex improviſo occurrere poteſt, ad quem ſeſe non præparaverit. Quamobrem cum media quoque inveſtigaverit in quoli- *Quid fieri debeat, ut fine quæſito potiamur.*

 bet

Digitized by Google

bet caſu via breviſſima ad finem ducentia, per media autem finem certo conſequamur, niſi quid obſtiterit (§. *937. 118. 726. Ontol.*); perſpectum ipſi eſt, quomodo finem certo conſequi detur, modo nullum objiciatur impedimentum. Quodſi ergo impedimenta detexerit & in modum, quo tollantur, inquiſiverit; nec ipſum fugit, quid fieri debeat, ne impediri poſſit, quo minus mediis uſus finem ſibi propoſitum conſequatur. Quamobrem cum omnia noverit, quæ ad finem certo conſequendum requiruntur; ubi mediis caſui, qui ſeſe offert, convenientibus utitur, & remedia ad impedimenta tollenda adhibet, quæ ipſi objiciuntur; quin fine quæſito potiatur, dubitandum non eſt. Patet itaque, ſi quis fine quæſito potiri voluerit, eum facere debere, quæ de caſibus a ſe invicem diſtinguendis & de mediis, impedimentis ac remediis inveſtigandis præcipiuntur.

Solutio problematis, quam hic proponimus, generalis, non ſpectata moralitate actionis, aliunde dignoſcenda. Quales enim ſint fines, qui ab agente intendi debent, ex anterioribus abunde patet, ſuo autem loco docebitur, quænam ſint virtutum media, quæ in ſtudio virtutis objiciantur impedimenta, & quibus adverſus ea utendum ſit remediis. Pertinet propoſitio præſens ad principia heuriſtica philoſophiæ practicæ, quæ animum noſtrum dirigunt in praxi morali rite tradenda.

§. 93.

Quomodo actionis diſtincta acquiratur notio.

Si actionis diſtinctam notionem acquirere velis: 1. ea reſolvenda eſt in ſimplices, ex quibus componitur, 2. ſi in harum numero fuerint, quæ denuo ex aliis componuntur, eædem itidem in eas reſolvendæ, donec ad tales perveneris, quæ ulterius reſolvi nequeunt, aut quas ulterius reſolvi in dato caſu non eſt opus; 3. de-

3. *denique perpendendum, quo ordine actiones ſeſe invicem excipiant.* Etenim ſi actionem datam in ſimpliciores reſolvis, ex quibus quaſi componitur, &, ſi ulterius reſolubiles in numero harum ſint, eas denuo reſolvas, donec ad tales perveneris, quas reſolvi non opus eſt, earumque ordinem tibi perſpectum reddis; ea, quæ in notione actionis ſigillatim enunciabilia inſunt, diſtinguis. Quamobrem cum rem diſtincte percipiamus, ſi, quæ in eadem ſigillatim enunciabilia inſunt, a ſe invicem diſtinguamus (§. 38. *Pſych. empir.*); quin iſta actionum reſolutione & ordinis in ſucceſſione determinatione notio earundem diſtincta acquiratur, dubitandum non eſt.

In propoſitione præcedente præcepimus, quæ fieri debeant, ut fine quæſito potiamur. Diſtinguendi ſunt caſus, invenienda ſunt media, detegenda impedimenta, inveſtiganda remedia (§. 92.). Quoniam vero ad praxin transferri nequit problema, niſi ea, quæ in reſolutione præcipiuntur, in poteſtate ſint (§. 875. *Log.*); doceri jam porro debet, quomodo determinandi ſint caſus diverſi, quomodo invenienda media, detegenda impedimenta, inveſtiganda remedia. Etſi enim in ſcripto dogmatico problemata ita ordinanda ſint, ut ſolutiones poſteriorum non præcipiant, niſi quod fieri poſſit per præcedentia (§. 876. *Log.*); ubi tamen anlytice procedere volueris (quod ſubinde fieri conſultum eſt, ut ad artem inveniendi præparemur), in poſterioribus quoque doceri poteſt, quomodo ſatisfiat iis, quæ in anterioribus præcipiuntur, præſertim ubi hoc ordine collocata ſubſidium memoriæ præſtant, quod, ubi ad praxin transferenda, non exiguum habet uſum: qui caſus obtinet in Philoſophia practica univerſali. Sufficit nimirum non præcipi, niſi quæ per anteriora intelligi poſſunt, & in demonſtrandis ſequentibus evitari circulum vitioſum Quamobrem ut nunc porro doceri poſſit, quomodo iis ſatisfiat, quæ in reſolutione problematis præcedentis requiruntur; ea nobis præmittenda ſunt, quæ tanquam cognita præſup-

Digitized by Google

præſupponenda. Eo fine igitur præſentem quoque appoſuimus propoſitionem, ſaltem non alia de cauſa præſentem obtinuit locum. Uſus enim ejus latius patet, quem mox faciemus. Immo in ſequentibus diſtinctæ notionis actionum uſus clariſſime eluceſcet, veluti ubi de evitanda culpa agemus. Quemadmodum enim diſtinctis notionibus evitantur errores, in quos confuſæ nos præcipites dant in theoria; ita etiam diſtinctis actionum notionibus cavetur, ne in praxi a rectitudine aberremus.

§. 94.

Determinationes actionum quomodo differant.

Determinationes intrinſecæ actionis ſunt actus tam interni, quam externi ſimplices, qui compoſitam ingrediuntur: *Extrinſecæ* autem ſunt, quæcunque ex accidente ſuperveniunt & in actionem quomodocunque influunt. *Influit* autem *in actionem*, quod ad determinandam actualitatem vel moralitatem actionis quidpiam confert.

E. gr. Die dominica ire in templum actio compoſita eſt: ad eam enim requiruntur intellectus judicium de moralitate hujus actus, actus voluntatis & varii motus corporis, quibus id ex ædibus in templum confertur. Atque hi actus omnes ſunt determinationes intrinſecæ actionis, quæ eſſentialium nomine veniunt (*§. 143. Ontol.*), ipſamque actionis ſpeciem conſtituunt (*§. 236. 247 Ontol.*). Enimvero ſi eo tempore, quo te in templum conferre vis, pluit & procella ſævit, neque valetudine uteris ſatis firma; tempeſtatis immitis & valetudinis vacillantis in determinanda volitione vel nolitione habetur ratio, adeoque in actionem influit. Unde eædem ad extrinſecas actionis determinationes referuntur, quas ad actum eundi in templum per ſe non requiri, ſed ex accidente ſupervenire nemo non agnoſcit. Per eas igitur, quas dedimus, definitiones determinationes intrinſecæ ab extrinſecis in quovis caſu dato facile diſtinguuntur. Qui notionem entis cum in genere, tum entium univerſalium in ſpecie notiones ex philoſophia prima cognitas atque perſpectas habet, ei haud difficile fuerit actiones per determinationes intrinſecas concipe-

Digitized by Google

cipere & ab iis, quæ extrinſecus ſuperveniunt, diſtinguere nullo negotio poterit. Neque enim differentia determinationum intrinſecarum & extrinſecarum ſolis actionibus propria, ſed in omni ente conſideratur: inde enim eſt differentia propoſitionum categoricarum & hypotheticarum in Logica, cum determinationes extrinſecæ non minus influant in prædicatum ſubjecto tribuendum, quam in actionem.

§. 95.

Circumſtantia dicitur quælibet determinatio extrinſeca actionis. Quamobrem cum determinationes extrinſecæ actionis in eandem influant, adeoque ad determinandum ejusdem actualitatem vel moralitatem aliquid conferant (§. 94.); *Circumſtantiæ ad determinandum actualitatem actionis & moralitatem ejusdem aliquid conferunt.* *Circumſtantia.*

Vides hinc, quænam ad circumſtantias referri debeant, ſi quidem agendi occaſio offertur. Et ſatis liquet, modo ad actiones hominum, quas committunt, vel omittunt, animum advertere velis, eos circumſtantias non aliunde dijudicare, quam ex eo, num quid ad actualitatem actionis vel ejus moralitatem conferant, ut adeo a communi notione minime receſſerimus. Opus autem eſt diſtincta circumſtantiæ notione, ut in circumſtantiis obſervandis ſis acutior: id quod omnino requiritur, ſi a culpa omni immunis eſſe velis. Exempli loco eſſe poteſt, quod ad definitiones præcedentes (§. 94.) in medium attulimus. Etenim tempeſtas minus favens & valetudo vacillans ſunt circumſtantiæ in determinando actu eundi in templum obſervandæ & ab hominibus obſervari ſolitæ. Circumſtantia inter terminos difficiles refertur. Unde *Armandus* in Declaratione terminorum difficilium eandem quoque explicare conatur: quæ vero affert, etſi obſcuriora videantur, cum noſtra definitione in gratiam redeunt & per eandem intelliguntur. Quicquid, inquit, non pertinet ad ſubſtantiam actus, ut eſt in ſpecie naturæ, & tamen aliquo modo attingit ipſum actum, dicitur circumſtantia. Per ſubſtantiam

tiam intelligit, quod nos eſſentiam appellamus (*§. 143. Ontol.*). Quando itaque dicit, circumſtantiam non pertinere ad ſubſtantiam actus, ut eſt in ſpecie naturæ; eam eximit ex numero eſſentialium determinationum, per quas genera & ſpecies conſtituuntur (*§. 236. 247. Ontol.*). Dum vero addit, quod aliquo modo attingat ipſum actum; eo ipſo innuit, quod in actualitatem & moralitatem ejus influat. Hinc negat circumſtantias ullas eſſe actui internas, quod attinet ad eſſentiam actus (unde patet, eſſentiam & ſubſtantiam ab eodem promiſcue dici), nec mutare ejus ſpeciem quoad eſſe naturæ (quoniam ſcilicet actio per easdem determinationes eſſentiales concipitur, circumſtantiis iſtis ſive præſentibus, ſive abſentibus). Et hoc ipſo circumſtantias pro determinationibus extrinſecis declarat; quemadmodum & nos fecimus. Dum vero affirmat, quasdam circumſtantias actui eſſe intrinſecas, quod bonitatem vel malitiam moralem attinet, hanc addens rationem, quod eam mutare, vel novam addere priore non mutata poſſit; hoc ipſo indigitat, circumſtantias per modum determinationum intrinſecarum conſiderari poſſe, quatenus in moralitatem actionum influunt. Nil tamen obſtat, quo minus moralitas actionis intrinſeca a determinationibus extrinſecis dependeat, ut adeo non opus ſit, determinationes extrinſecas, quæ ad notionem actionis determinatam requiruntur, quatenus moralitas ejus ſpectatur, intrinſecas ſeu internas appellari, quoniam ſic notio circumſtantiæ magis intricatur, quam explicatur.

§. 96.

Determinationes actionis intrinſecæ a circumſtantiis pendentes.

Si quis actus notionem actionis ingreditur propter circumſtantiam præſentem, qua abſente ex eadem exularet; actus iſte determinatio actionis intrinſeca eſt, nec ipſe in numerum circumſtantiarum referendus. Etenim ſi quis actus notionem actionis ingreditur propter circumſtantiam præſentem, qua abſente ex eadem exularet, cum actio compoſita ex actibus ſimplicibus conſtet, ſine eo in dato caſu actio concipi nequit.

Digitized by Google

nequit. Quamobrem cum actus, qui actionem compoſitam ingrediuntur, ſint determinationes ejus intrinſecæ (§. 94.); ſi quis actus notionem actionis ingreditur propter circumſtantiam præſentem, qui alias ex eadem exularet, is ipſe determinatio actionis intrinſeca eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero actionis determinationes intrinſecæ non ſunt extrinſecæ (§. 94.). Quoniam itaque nonniſi extrinſecæ actionis determinationes circumſtantiæ ſunt (§. 95.), actus autem, qui actionis notionem ingrediuntur propter circumſtantiam præſentem, alias ex eadem exulaturi, intrinſecæ ejusdem determinationes ſunt (*per demonſtrata*); ſi quis actus notionem actionis ingreditur propter circumſtantiam præſentem, qua abſente ex eadem exularet, is ipſe actus circumſtantia non eſt. *Quod erat alterum.*

E. gr. Ponamus furtum committi cum effractione violenta ciſtæ, in qua res ablatæ recondebantur. Effractio iſta tanquam actus, ſine quo furtum in dato caſu committi minime poterat, notionem furti ingreditur, quæ tamen in aliis caſibus ex eadem exulat. Eſt igitur ea in numero determinationum intrinſecarum, per quas furtum in dato caſu concipitur: ſine ea enim notio ejus in dato caſu determinata non eſt. Ipſa tamen effractio circumſtantia non eſt: ſed clauſtra a ciſta revellenda, antequam res in eadem depoſitæ auferri poterant, in circumſtantiarum numero ſunt. Equidem non nego, vulgo pro circumſtantia haberi, quod furtum cum effractione violenta fuerit commiſſum; ſed inconſtantia loquendi fert, ut actus cum circumſtantia, quæ eidem locum fecit, confundatur. Philoſophi vero eſt, ut accurate cogitare, ita etiam accurate loqui: neque enim philoſophia inconſtantiam loquendi admittit (*§. 143. Diſc. prælim.*). Ceterum hoc exemplo patet, quomodo circumſtantia, aut, ſi accuratius loqui volueris, actus poſitivus, cui locum fecit circumſtantia, moralitatem novam ſuperaddat priore manente (*not. §. 95.*), majorem nempe malitiæ gradum.

§. 97.

Circumſtantiarum fontes.

Circumſtantiæ dependent vel a perſonis, agente ſcilicet atque aliis, vel a rebus, vel a loco atque tempore. Etenim actio committitur, vel omittitur ab agente, nec fieri poteſt, niſi in tempore atque in loco certo, ſæpeque a rebus aliis non uno modo dependet: id quod a poſteriori ſatis notum absque ulteriori probatione ſumi poteſt. Quamobrem ſi quid ex accidente ſupervenire debet, quod notionem actionis per ſe non ingreditur, & ad actualitatem vel moralitatem ejus quidpiam confert, adeoque in eandem quomodocunque influit (§. 94.); id vel a perſona agentis, qualitatibus ejusdem atque ſtatu, vel a perſonis aliis, vel a certis rebus, vel denique a loco atque tempore derivandum. Quoniam igitur determinationes extrinſecæ ſunt, quæ ex accidente ſuperveniunt & in actualitatem vel moralitatem actionis influunt (§. 94.); determinationes extrinſecæ actionum a perſonis, agente ſcilicet, atque aliis, a rebus, a loco atque tempore petendæ. Quamobrem, cum circumſtantiæ ſint quælibet determinationes extrinſecæ, quæ ſcilicet ad actualitatem & moralitatem ejus aliquid conferunt (§. 95.); circumſtantiæ dependent a perſonis, a rebus, a loco atque tempore.

Habes hic fontes circumſtantiarum, quas omnes ad has quatuor claſſes reduci debere vi demonſtrationis propoſitionis præcedentis liquet. Equidem vulgo circumſtantiæ hoc verſiculo continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando; ubi quis circumſtantiam perſonæ agentis, ubi circumſtantiam loci, quando circumſtantiam temporis, quibus auxiliis circumſtantiam perſonarum aliarum denotat, adeoque adhuc reſtant circumſtantiæ vocabulis quid, cur & quomodo indicatæ, conſequenter numero ſeptem conſtituuntur illarum fontes: non tamen ideo

Digitized by Google

ideo exiſtimandum eſt, quaſi numerum circumſtantiarum imminuerimus. Patebit enim deinceps, ubi evicerimus, quomodo circumſtantiæ influant in actualitatem & moralitatem actionis, quænam ſint iſtæ, quæ vocabulis quid, cur & quomodo reſpondeant. Verſiculus iſte circumſtantias minime explicat, ſed earum notiones aliunde jam notas in memoriam revocat. Noſtrum eſt explicare notiones, quæ ſunt directrices in caſibus determinandis & ad alia demonſtranda aptæ.

§. 98.

Circumſtantiæ perſonarum dicuntur, quæ vel a qualitate ac ſtatu agentis, vel ab aliis perſonis deſumuntur. *Circumſtantiæ rerum* ſunt, quæ petuntur a rebus ad actionem quomodocunque ſpectantibus. *Circumſtantia loci* eſt, quæ a loco petitur: *Circumſtantia* denique *temporis*, quam tempus ſuppeditat. *Circumſtantiarum genera.*

§. 99.

Quicquid motivum præbet volitionis vel nolitionis, vel ad actionem abſolvendam aliquem ſui præbet uſum, aut ad eandem alio quocunque modo concurrit; id in actualitatem actionis influit. Etenim cum actio libera, de qua jam nobis ſermo eſt, a libertate animæ dependeat (§. 12. *Part. I. Phil. pract. univ.*), anima autem in volendo ac nolendo libera ſit (§. 942. *Pſych. empir.*); actio libera non committitur, niſi anima volente, nec omittitur, niſi eadem nolente, conſequenter quod ad determinandum actum volitionis vel nolitionis aliquid confert, id in actualitatem actionis influit (§. 94.). Enimvero motiva ſunt ratio ſufficiens actuum volitionis ac nolitionis (§. 887. *Pſych. empir.*), quibus convenienter anima ſeſe determinat ad volendum, vel nolendum (§. 932. *Pſych. empir.*). Quicquid igitur motivum præbet volitionis vel nolitionis, id in actualitatem actionis influit. *Quod erat unum.* *Quomodo quid influat in actualitatem actionis.*

Quod ad actionem abſolvendam aliquem ſui præbet uſum, ab eo actualitas actionis dependet (§. *646. Part. I. Theol. nat.*), conſequenter ratio in eo continetur, cur actio actu ſit (§. *851. Ontol.*), adeoque ad eam determinandam aliquid confert (§. *116. Ontol.*), conſequenter in eandem influit (§. 94). *Quod erat ſecundum.*

Denique quod ad actionem quocunque modo concurrit, id ad ejus actualitatem determinandam quidpiam conferre debere dubium non eſt (§. *113. Ontol.*). Patet igitur, quod in eandem influat (§. 94.). *Quod erat tertium.*

Quoniam in circumſtantiarum numero ſunt determinationes extrinſecæ, quæ in actualitatem actionis influunt (§. *95.*); propoſitione præſente utimur in eruendis circumſtantiis. Agedum itaque exemplo quodam eandem illuſtremus. Si quis furtum committit inopia preſſus, ut non habeat, unde vivat; inopia motivum præbet furti committendi, adeoque in ejus actualitatem influit. Quodſi inops nummos auferat diviti, quod iis commode carere poſſe exiſtimet, nec jacturam eorum ipſi admodum damnoſam arbitretur, divitiæ alterius motivum præbent furti committendi in ædibus divitis, adeoque in ejus actualitatem influunt. Quodſi fur ſcalas applicet, per quas in contignationem ædium ſuperiorem aſcendit, quo ſine iis pervenire non poterat; ſcalæ uſum præbent ad furtum committendum, adeoque in ejus actualitatem influunt. Denique ſi Titius furi ſcalas apportet, per quas furtum commiſſurus aſcendit; ad furtum committendum hac actione ſua concurrit, adeoque in ejus actualitatem influit. Similiter ſi is fure præſente narret, quæ Mævius in loco quodam ædium ſuarum recondita poſſidet, & fur conſilium furti in ædibus Mævii committendi init, de quo alias non cogitaſſet; Titius ad furtum committendum aliquid confert, ſeu narratione ſua ad idem concurrit, adeoque in actualitatem ejus influit. Nimirum omne id, ex quo intelligitur, cur furtum fuerit commiſſum, & quod ideo rationis loco eſt, cur commiſſum fuerit,

Digitized by Google

rit, etſi ratio unica non ſit, nec ſola ſufficiens (*§. 56. Ontol.*); id in actualitatem quoque actionis influit. Idemque in genere intelligitur in omni actionum humanarum genere.

§. 100.

Quicquid huc facit, ut actio aliqua tendat ad perfectionem noſtram aut alterius cujuscunque; id in moralitatem actionis influit. Quicquid enim huc facit, ut actio aliqua tendat ad perfectionem vel imperfectionem agentis aut alterius cujuscunque; id efficit, ut eidem legi naturæ ſit conformis, vel difformis (§. *152. 233. Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero quatenus actio legi naturali conformis, eatenus moraliter bona eſt, & quatenus legi naturali difformis, eatenus moraliter mala eſt (§. *244. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quicquid igitur huc facit, ut actio aliqua tendat ad perfectionem vel imperfectionem noſtram aut alterius cujuscunque, id ad moralitatem actionis determinandam quidpiam confert, conſequenter in actionis moralitatem influit. *Quænam in moralitatem actionis influant.*

Per propoſitionem præſentem in genere intelligitur, quænam in moralitatem actionis influant. Quodſi itaque in ſpecie demonſtratum fuerit, quænam ad perfectionem hominis accidentalem requirantur, & quænam ad imperfectionem ejus pertineant, conſequenter conſtiterit, quandonam actio aliqua ad illam, quando ad hanc tendat; influxus in actionum moralitatem ex principiis ſpecialibus dijudicabitur.

§. 101.

Quoniam actio legi naturæ conformis ad perfectionem agentis vel alterius cujusdam, eidem autem difformis ad imperfectionem alterius tendit (§. *152. 233. Part. I. Phil. pract. univ.*); quicquid vero huc facit, ut actio aliqua tendat *Idem adhuc aliter definitur.*

tendat

tendat ad perfectionem vel imperfectionem noſtram, aut alterius cujuscunque, id in moralitatem ipſius influit (§. 100. *Part. I. Phil. pract. univ.*): *quicquid efficit, ut actio aliqua ſit legi naturali conformis vel difformis, id in moralitatem ejus influit.*

Quamobrem ſi ſyſtema legum naturalium fuerit conditum & in eodem contineatur principium, quod definit moralitatem actionis per determinationem quandam accidentalem (§. 123. *Part. I. Phil. pract. univ.*); determinatio iſta accidentalis erit id, quod influit in moralitatem actionis. Quodſi adeo in ſyſtemate legum naturalium extent propoſitiones determinatæ & demonſtrationibus ſuis munitæ; ex notione ſubjecti & demonſtratione intelligitur, quid influat in moralitatem actionis & ex hac inprimis elucefcit, quomodo in eandem influat, ſiquidem demonſtratio in prima ſua principia reducitur. Ceterum ex ipſa demonſtratione propoſitionis præſentis, quæ per modum corollarii ex præcedente infertur, patet, eam non eſſe ſpectandam tanquam principium a priori diverſum, quod ex alio fonte deducat influxum in moralitatem actionis; ſed tanquam principium propius, ex eodem fonte influxum deducens, etſi non adeo manifeſta ratione. Etenim ſi influxum diſtincte, aut ſi mavis, adæquate concipere volueris, redeundum eſt ad principium prius. Atque hinc denuo colligitur neceſſitas ſyſtematis legum naturalium, in quo ex notione perfectionis humanæ demonſtrativa methodo eædem deducuntur.

§. 102.

Principium generale determinandi circumſtantias.

Determinationes extrinſecæ, quæ præbent motivum volitionis vel nolitionis, aut ad actionem abſolvendam aliquem ſui uſum, aut ad eandem alio quocunque modo concurrunt, & quæ huc faciunt, ut actio aliqua tendat ad perfectionem vel imperfectionem agentis aut alterius cujuscunque, ſeu ut actio ſit legi naturali conformis aut difformis, circumſtantiæ ſunt. Etenim ſi determinatio præbet motivum

tivum volitionis vel nolitionis, vel aliquem ſui ad abſolvendam actionem uſum, aut ad eandem alio quocunque modo concurrit, in actualitatem actionis influit (§. 99.); ſi vero huc facit, ut actio aliqua tendat ad imperfectionem vel perfectionem agentis, aut alterius cujuscunque, ſeu ut actio aliqua ſit legi naturali conformis aut difformis, in moralitatem actionis influit (§. 100. 101.). Quamobrem cum determinationes extrinſecæ in actualitatem vel moralitatem actionis influentes circumſtantiæ ſint (§. 95.); in omni hypotheſi propoſitionis præſentis determinationes extrinſecæ actionis circumſtantiæ ſunt.

Habemus adeo principium generale inveſtigandi circumſtantias, per quas determinantur caſus in quolibet actionum genere. Quoniam tamen haud raro converſa utendum eſt, ſi accurata lege ratiocinari volueris; ne quid prætermiſiſſe videamur, quod apprime uſui eſt, eandem demonſtrare lubet. Quoniam vero ad eam demonſtrandam convertenda ſunt principia; præmittenda eſt propoſitio ſequens.

§. 103.

Quod in actualitatem actionis influit, vel præbet motivum volitionis aut nolitionis, vel alium quendam ſui uſum ad actionem abſolvendam, vel quocunque modo alio ad eandem concurrit. Et quod in moralitatem actionis influit, id huc facit, ut actio aliqua tendat ad perfectionem vel imperfectionem noſtram, aut alterius cujuscunque, ſeu efficit, ut actio aliqua ſit legi naturali conformis aut difformis. Etenim quod in actualitatem actionis influit, adeoque ad eam determinandam aliquid confert (§. 94.), id rationem aliquam continere debet, cur actio ab agente committatur, vel omittatur, ſeu committi vel omitti potuerit (§. *116. Ontol.*). Enimvero ratio ſufficiens actuum volitionis & nolitionis eſt motivum (§. *887. Pſych. empir.*), ſine quo nulla datur voli-

Influxus in actualitatem & moralitatem actionis undenam ſit.

tio atque nolitio (§. *889. Pſych. empir.*); conſequenter nec ulla actio libera, utpote a libertate animæ (§. *12. Part. I. Phil. pract. univ.*), quæ eidem quoad volitionem & nolitionem competit (§. *942. Pſych. empir.*), dependens. Et ſi quid aliquem ſui præbet uſum ad actionem abſolvendam, vel alio quocunque modo ad eandem aliquid confert, ex eo intelligitur, cur actio ab agente committi vel omitti potuerit, adeoque denuo rationem aliquam continet, cur actio ab agente committi vel omitti potuerit (§. *56. Ontol.*). Patet itaque quod in actualitatem actionis influit, id præbere vel motivum volitionis aut nolitionis, aut aliquem ſui uſum ad actionem abſolvendam, aut alio quocunque modo ad eandem concurrere. *Quod erat primum.*

Quodſi quid in moralitatem actionis influit, ad eam determinandam aliquid confert (§. 94.). Quamobrem cum moraliter bonum ſit, quod legi conforme, moraliter vero malum, quod eidem difforme (§. *244. Part. I. Phil. pract univ.*); quod in moralitatem actionis influit, id huc facere debet, ut actio aliqua fiat legi naturali (de hac enim ſola in philoſophia practica nobis ſermo eſt, niſi expreſſe contrarium moneatur) conformis aut difformis. Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ac aliorum tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram aliorumque tendunt (§. *152. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*); quod in moralitatem actionis influit, huc facere debet, ut eadem ad imperfectionem vel perfectionem agentis aut alterius cujuscunque tendat. *Quod erat ſecundum.*

Habes adeo notionem directricem, quotiescunque inquirendum eſt, num quid in actualitatem, vel moralitatem actionis influat.

§. 104.

§. 104.

Circumſtantiæ aut præbent motivum volitionis vel nolitionis, aut aliquem ſui uſum ad actionem abſolvendam, aut alio quocunque modo ad eandem concurrunt, aut efficiunt, ut actio aliqua tendat ad perfectionem vel imperfectionem noſtram aliorumque, ſeu, ut actio ſit legi naturali conformis vel difformis. *Circumſtantias diſcernendi principium.* Etenim circumſtantiæ aliquid conferunt ad determinandum actualitatem vel moralitatem actionis (§. 95.), conſequenter in alterutram influunt (§. 94.). Enimvero quicquid in actualitatem actionis influit, vel præbet motivum volitionis aut nolitionis, vel aliquem ſui uſum ad actionem abſolvendam, vel ad eandem alio quocunque modo concurrit: & quicquid in moralitatem actionis influit, id efficit, ut actio aliqua tendat ad perfectionem vel imperfectionem noſtram, aut alterius cujuscunque, ſeu ut ea ſit legi naturali conformis aut difformis (§. 103). Quamobrem circumſtantiæ aut præbent motivum volitionis, aut aliquem ſui uſum ad actionem abſolvendam, aut alio quocunque modo ad eandem concurrunt, aut efficiunt, ut actio aliqua tendat ad perfectionem noſtram aliorumque, ſeu, ut actio aliqua ſit legi naturali conformis aut difformis.

Abunde igitur docuimus, quomodo in circumſtantias ſit inquirendum: id quod non modo uſui eſt in condendo ſyſtemate, verum etiam in praxi morali. Ad ſyſtema legum naturalium condendum perſpectus eſſe debet influxus circumſtantiarum in moralitatem actionum, quoniam hæc in eodem demonſtranda, is autem efficit, ut actio in ſe indifferens abeat in bonam, vel malam, aut gradum moralitatis jam aliunde pendentis intendit vel minuit, aut moralitati aliunde pendenti novam ſuperaddit, quemadmodum ſuo loco per ſe patebit. Ad praxin prodeſt noſſe influxum circumſtantiarum in actualitatem actionis, etſi eædem nihil conferant ad moralitatem. Etenim haud raro contingit, ut circumſtantiæ ſimul & in moralitatem, & in actua-

Digitized by Google

litatem influant, immo quæ in moralitatem influunt, ſemper quoque in actualitatem influere poſſunt, quatenus moralitas præbet motivum volitionis vel nolitionis (*§. 890. Pſych. empir.*). Ne autem quis exiſtimet, quaſi propoſitio præſens non ſufficienter determinet circumſtantiarum in actionum moralitatem & actualitatem influxum; quædam adhuc annotari conſultum ducimus. Cum omnis actionum moralitas pendeat ex eo, quod per eas promoveatur perfectio vel imperfectio agentis, aut alterius cujuscunque (*§. 152. 223. 244. Part. I. Phil. pract. univ.*); nec fieri poteſt, ut circumſtantia aliter influat in moralitatem actionis, quam ubi aliquid ad hoc confert, ut actio perfectionem vel imperfectionem agentis aut alterius cujuscunque promoveat, conſequenter legi cuidam naturali conformis aut difformis evadat. Si quæ actio ab agente actu committenda, neceſſe eſt, ut agere velit, & ſi ad agendum rebus quibusdam aliis indigeat, aut aliorum opera opus habeat, illarum uſum facere tenetur, & hi operam ſuam conferre debent. Quamobrem ſi quid in actualitatem influit, aut motivum, aut ſui uſum præbet, aut ad actionem quocunque modo concurrit. Quod ſi quis ad exempla ubivis obvia animum advertere velit, abunde intelliget, non alium dari in actionem agentis influxum, quam quem in propoſitione præſente definivimus. Sed operæ pretium non eſt, ut in re ſatis manifeſta ſimus prolixiores.

§. 105.

Circumſtantias perſonarum detegendi principium.

Qualitas & ſtatus perſonarum, tam agentis, quam aliarum, quatenus præbent motivum volitionis & nolitionis, & quatenus illam, vel hunc, aut etiam agentem reſpectu alterius actio decet, aut dedecet, ſunt circumſtantiæ perſonarum. Etenim circumſtantiæ perſonarum deſumuntur a qualitate vel ſtatu agentis (§. 98.). Quamobrem cum circumſtantiæ ſint, quæ præbent motiva volitionis & nolitionis (§. 104.); qualitas & ſtatus perſonarum, tam agentis, quam aliarum, ſunt circumſtantiæ perſonarum, quatenus præbent motivum volitionis & nolitionis. *Quod erat unum.*

Qua-

Digitized by Google

Quatenus actio decet, vel dedecet qualitatem aut ſtatum agentis, vel etiam agentem reſpectu qualitatis aut ſtatus perſonæ alterius, eatenus decora vel indecora eſt (§. 194. 195. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actionem decoram indecoræ præferendum (§. 203. *Part. I. Phil. pract. univ.*); actio legi naturæ conformis aut difformis evadit, quatenus qualitatem aut ſtatum agentis decet aut dedecet, aut etiam agentem decet vel dedecet reſpectu alterius. Quoniam itaque circumſtantiæ faciunt, ut actio aliqua ſit legi naturali conformis aut difformis (§. 104.); qualitas aut ſtatus agentis, tum perſonarum aliarum ſunt circumſtantiæ, ſi actio qualitatem vel ſtatum agentis decet vel dedecet, aut etiam agentem decet vel dedecet reſpectu alterius. *Quod erat alterum.*

Propoſitionem præſentem cum aliis ſequentibus non alio fine apponimus, quam ut uſui ſint in circumſtantiis inveſtigandis: tum etiam ut excitetur attentio, qua agens uti debet, ubi earum rationem habere voluerit, ne inadvertentiæ reus fiat, & ea agat, quorum poſtea pœniteat. Quamobrem conſultum ducimus quædam in medium proferre exempla. Non decet adoleſcentem loqui niſi interrogatum, ubi viri in dignitate conſtituti verba miſcent. Moralitas actionis hic determinatur per circumſtantiam deſumtam a ſtatu adoleſcentis & ſtatu virorum colloquentium. Si quis propter inopiam, qua premitur, furtum committit, ſtatus egeni motivum præbet ipſi ad furtum committendum, & circumſtantia hæc facit, ut excuſatius peccet alio, qui idem delictum committit. Dedecet Theologum faſtus magis, quam alium, judicio omnium: nemo enim eſt, qui non eundem magis reprehendat in Theologo, quam in Medico aut JCto. Moralitatis gradus hic dependet a circumſtantia agentis.

 §. 106.

§. 106.

Concurſus ad actionem alterius.

Si quis actione quadam ſua ad determinandum actualitatem actionis alterius quidpiam confert; is ad actionem alterius concurrit, & contra. Etenim ſi quis actione quadam ſua ad determinandum actualitatem actionis alterius quidpiam confert, ex ipſius actione ex parte intelligitur, cur agens agat, adeoque in eadem aliquid rationis continetur, cur hic agat (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum ad actionem alterius is concurrat, in cujus actione continetur quidpiam rationis, cur alter agat (§. *872. Part. I. Theol. nat.*); qui actione quadam ſua ad determinandum actualitatem actionis alterius quidpiam confert, is ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quodſi quis ad actionem alterius concurrit, in actione quadam ipſius continetur aliquid rationis, cur alter agat (§. *872. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. *118. Ontol.*); actio alterius non ponitur, niſi poſita ſimul actione concurrentis. Neceſſe igitur eſt, ut, qui ad actionem alterius concurrit, is ad determinandum actualitatem ejusdem quidpiam conferat. *Quod erat alterum.*

Patet adeo, quomodo detegatur concurſus ad actionem alterius: inquirendum ſcilicet eſt in rationem ſufficientem actionis agentis, ſciſcitando cur egerit vel agat. Ita nimirum conſtabit, num actio quædam alterius aliquid ad hoc contulerit, ut alter egerit. Et vice verſa, ſi expenderis, quænam ſint actiones, quibus aliquid ad hoc conferri poteſt, ut alter agat, in theoria detegetur concurſus. Quæ vero in eadem de eodem demonſtrantur, proderunt etiam ad inquirendum in concurſum in dato caſu ſingulari.

§. 107.

Digitized by Google

§. 107.

Specialius explicatur.

Quoniam actio humana ex actionibus intellectus, voluntatis vel noluntatis, atque facultatis locomotivæ conſiſtit (§. 70. *Part. I. Phil. pract. univ*); qui vero ad actionem alterius concurrit, is ad determinandum actualitatem ejusdem quidpiam confert (§. 106.); *qui ad actionem alterius concurrit, vel ad actum intellectus, vel voluntatis aut noluntatis, vel facultatis denique locomotivæ quidpiam confert.* Et viciſſim cum ad actionem alterius concurrat, qui ad determinandum actualitatem ejus actione quadam ſua quid confert (§. *cit.*); *qui vel ad determinandum actum intellectus, vel voluntatis aut noluntatis, vel facultatis locomotivæ quidpiam confert actione quadam ſua, is ad actionem alterius concurrit.*

Habes hic principia, per quæ detegendum eſt, quot modis quis ad actionem alterius concurrere poſſit. Concurſus cum conſiſtat in actione concurrentis, actiones autem vel poſitivæ ſint, vel privativæ (§. 24. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ubi in illum inquirimus, non minus actionum privativarum, quam poſitivarum habenda eſt ratio. Ita non minus ad actionem alterius concurrit, qui cum alterum admonere poſſet periculi acturo imminentis, hoc tamen minime facit; quam qui alterum inſtruit, quomodo inſidias ſtruere poſſit inimico, vel ad alterum injuria afficiendum adhortatur. Etenim ſi periculi admonitus fuiſſet, idem non ſubiiſſet, adeoque ab agendo deſtitiſſet, conſequenter actio privativa influit in determinationem actualitatis alterius.

§. 108.

Principium alterum detegendi circumſtantias perſonarum.

Concurſus ad actionem alterius reſpectu hujus ad circumſtantias perſonarum pertinet. Etenim ſi quis ad actionem alterius quomodocunque concurrit, actione quadam ſua ad determinandum actualitatem actionis alterius quidpiam confert (§. 106.). Enimvero cum alterius actio non ſit in numero actuum agentis, qui actionem ejus abſolvunt, in numero deter-

determinationum intrinſecarum actionis agentis non eſt, ſed ad extrinſecas referenda (§. 94.). Quamobrem cum determinatio actionis extrinſeca quocunque modo ad actionem agentis concurrens circumſtantia ſit (§. 102.); concurſus ad actionem alterius reſpectu hujus circumſtantia eſt. Ad circumſtantias vero perſonarum referenda eſt, quæ deſumitur a perſonis quibuscunque aliis, quam agente (§. 98.). Quamobrem concurſus ad actionem alterius reſpectu hujus ad circumſtantias perſonarum pertinet.

Patet itaque, ubi in circumſtantias perſonarum inquirere volueris, rationem quoque habendam eſſe concurſus aliorum ad actionem agentis. Et ſane concurſus hic inter circumſtantias perſonarum ampliſſimum locum occupat, & multam caſuum diverſitatem inducit. Etenim plura ſunt ejusdem genera (§. 107.), quæ in plures denuo abeunt ſpecies. Idem vero non modo in actualitatem actionis influit, verum etiam in moralitate ejusdem determinanda haud exiguum ſæpiſſime habet momentum, præſertim ubi de imputatione agitur. Ad eum igitur reſpiciendum non modo in theoria actionum, verum etiam in praxi morali. Abunde hoc patebit ſuo tempore ſuoque loco.

§. 109.

Significatio ſufficiens actus interni.

Actus internus animæ ſufficienter ſignificari dicitur, ſi ex actu ſignificantis externo ſive poſitivo, ſive privativo certo colligi poſſit, qualis ſit actus internus.

E. gr. Si quis alteri dicit ſuum de actione patranda judicium, is eidem actum intellectus ſufficienter ſignificat: etenim ex verbis alterius intelligit, quid de actione patranda ſentiat, utrum ſcilicet eam habeat pro bona, an pro mala; utrum cenſeat eam eſſe committendam, an vero omittendam. Si quis alterius conſenſum requirit, nutu idem ſufficienter ſignificatur (*§. 667. Part. I. Phil. pract. univ.*). Si quis vultu non mutato tacet, ubi conſenſum aut diſſenſum declarare debet, is conſentit (*§. 669. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque conſen-

Digitized by Google

ſenſus ſufficienter ſignificatur actu quodam privativo, ex quo certo colligitur. Conſenſus actus voluntatis eſt (*§. 658. Part. I. Phil. pract. univ.*). Habemus adeo exempla actus voluntatis actu quodam externo poſitivo & privativo ſufficienter indicati.

§. 110.

Quot modis quis concurrat ad actionem alterius.

Qui ad actionem alterius concurrit, aut actu quodam intellectus, aut voluntatis vel noluntatis, ſeu appetitus & averſationis in genere ſufficienter ſignificato, aut actu quodam externo concurrit ſive poſitivo, ſive privativo. Etenim qui ad actionem alterius concurrit, is actione quadam ſua ad determinandum actualitatem ejusdem quid confert (§. 106.), conſequenter concurſus in actione quadam ejus conſiſtit. Actio humana ex actionibus intellectus, voluntatis vel noluntatis atque facultatis locomotivæ conſtat (§. *70. Part. I. Phil. pract. univ.*) & ad actus animæ actus quoque appetitus ſenſitivi vel averſationis ſenſitivæ, quales ſunt affectus (§. *603. Pſych. empir.*), pertinent. Quamobrem qui ad actionem alterius concurrit, is actu quodam intellectus, vel voluntatis aut noluntatis, aut appetitus & averſationis in genere, vel actu quodam externo concurrit. Enimvero quoniam actus interni, quales ſunt actus intellectus & actus voluntatis vel noluntatis, aut appetitus vel averſationis in genere ad determinandum actualitatem alterius nihil conferre poſſunt, niſi eidem innoteſcant; neceſſe eſt eas vel verbis vel actu quodam alio externo ſufficienter ſignificari (§. 109.). Actu adeo interno qui concurrit ad actionem alterius, eundem alteri ſufficienter ſignificare debet.

Videmus adeo in determinando concurſu ad actionem alterius non minus diſpiciendum eſſe, qua actione ſive interna, ſive externa quis concurrat, quam ad quamnam actionem ſive

Digitized by Google

internam, ſive externam concurrat (§. 107.). Qui igitur ad hæc principia animum advertit, eum non fugiet, quo vertere debeat animum in caſu dato concurſum ad alterius actionem detecturus. Ceterum ſi quis ad actionem alterius concurrit, præter concurſum qualitas quoque & ſtatus concurrentis in actualitatem actionis influere poteſt, quatenus præbet agenti motivum volitionis & nolitionis (§. 105.). Quamobrem ubi in concurſum alterius ad actionem agentis inquiritur, non negligenda eſt circumſtantia altera, cujus haud raro magnum momentum eſt in imputationibus actionum, ut alia taceamus, quæ ſuo loco per ſe patebunt.

§. 111.

Quomodo quis concurrat ad actionem alterius actu intellectus.

Quicunque id dicit, ſeu alio quocunque actu externo ſignificat, ſine quo alter deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita; is actu intellectus ad actionem alterius concurrit. Etenim ſi quis id dicit, ſeu alio quocunque actu externo ſignificat, ſine quo alter deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita; ex ejus actu intellectus ſufficienter ſignificato intelligitur, cur alter non deſtitutus fuerit ea notitia, ſine qua actionem committere vel omittere minime potuiſſet, conſequenter in quadam ejus actione continetur rationis quidpiam, cur agens actionem commiſerit vel omiſerit (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum ens unum ad actionem alterius concurrat, quatenus in actione ipſius continetur aliquid rationis, cur alterum agat (§. *872. Part. I. Theol. nat.*); ſi quis id dicit, ſeu alio quocunque actu externo ſignificat, ſine quo alter deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita, ad actionem alterius concurrit, & quidem actu intellectus (*per demonſtrata*).

Habes

Habes hic principium generale, quod ambitu ſuo complectitur omnem concurſum ad actionem alterius actu intellectus factum. Diximus in ſuperioribus ad furtum a fure commiſſum concurrere eum, qui eidem narrat, ubinam Mevius nummos ſuos vel res alias pretioſas recondiderit. Pertinet hoc exemplum ad illuſtrandam propoſitionem præſentem. Etenim niſi hoc furi dictum fuiſſet, nec is de furto in ædibus Mevii committendo cogitare potuiſſet. Deſtitutus enim fuiſſet ea notitia, ſine qua furti cogitatio animum ejus ſubire minime poterat, ſcilicet quod Mevius habeat pecuniam paratam, vel res pretioſas alias, & ubi iſtas reconditas ſervet. Similiter qui alteri conſilium dat vel de eo, quid ſibi videatur de actione, utrum ſit committenda, an vero omittenda, vel de modo agendi; is agenti ſuggerit eam notitiam, qua ad agendum opus habet, adeoque ad actionem ejus concurrit actu intellectus. Similiter ſi quis alteri ſigno quodam indicat, non tutum eſſe ipſius acceſſum propter præſentiam inimici, ut ſalvus abire poſſit; is in abitum hujus influit actu intellectus. Probe autem notandum eſt, nos non omnem concurſum ad actionem alterius referre ad intellectum ſeu facultatem cognoſcitivam concurrentis, quando alteri quid verbis aut ſigno quodam alio indigitamus: etenim patebit deinceps ſermonem quoque per ſe, quatenus ſpectatur ut actus externus, etſi ſignificandi naturam retineat, influere in actionem alterius. Hic enim tantummodo nobis ſermo eſt de concurſu ad theoriam actionis, atque adeo nos quoque alteri non ſignificare ſupponimur, niſi quæ ad eam facere poſſunt: id quod etiam fieri poteſt absque ulla intentione ad alterius actionem concurrendi, veluti in exemplo furis, quod modo in medium attulimus. Etenim fieri poteſt, ut quis præſente fure, quem non novit, in caupona vel diverſorio loquatur de nummis & rebus pretioſis Mevii, quo in caſu inſcius ac præter omnem intentionem ad furtum concurrit. Unde concurſus in foro ipſi non imputatur, etſi in conſcientia non ſemper vacet ab omni culpa, quatenus improvidentiæ ſe reum agnoſcit.

Digitized by Google

§. 112.

Quando quis actu voluntatis ad actionem alterius concurrat.

Si quis alteri ſufficienter ſignificet, quid ab eo fieri velit vel nolit; is actu voluntatis vel noluntatis, aut appetitus & averſationis in genere ad actionem alterius concurrit, quatenus voluntas vel noluntas aut appetitus & averſatio in genere eſt agenti motivum agendi vel non agendi. Etenim ſi quis alteri ſignificet, quid velit, vel nolit fieri, aut affectu quodam prodit actum appetitus ſenſitivi vel averſationis ſenſitivæ (§. *603. Pſych. empir.*) actione committenda vel omittenda elicitum, & voluntas ſeu noluntas, aut actus appetitus ſenſitivi ſeu averſationis ſenſitivæ illius fuerit alteri motivum agendi ſeu non agendi, in actu appetitus ſeu averſationis in genere ipſius continetur ratio cur alter egerit, vel non egerit (§. *887. Pſych. empir.*). Quoniam itaque ens unum ad actionem entis alterius concurrit, quatenus in actione ipſius continetur aliquid rationis, cur agat alterum (§ *872. Part. I. Theol. nat.*); qui alteri ſufficienter ſignificat, quid ab eo fieri velit, vel nolit, is actu voluntatis vel noluntatis, aut appetitus & averſationis in genere ad actionem alterius concurrit, quatenus voluntas vel noluntas aut appetitus vel averſatio ipſius in genere eſt agenti motivum agendi vel non agendi.

Principium hoc itidem generale eſt, ut ambitu ſuo complectatur concurſum omnem ad actionem alterius actu voluntatis ac noluntatis, aut, ſi mavis, appetitus & averſationis in genere factum. Non jam diſquirimus, quænam ſint rationes, cur voluntas vel noluntas tua ſit alteri motivum agendi vel non agendi: etenim hoc in dato caſu quocunque vi notionis motivi colligitur (§. *890. Pſych. empir.*). Id tantummodo monemus, quod etiam actu voluntatis vel noluntatis privativo concurrere poſſimus ad actionem alterius, quatenus ſcilicet eum non ſignificamus, ubi poterat alteri eſſe motivum agendi vel non agendi. Sed demus

demus exemplum. Si quis facere nolit, quæ tibi diſplicent, ne animum tuum a ſe alienet; ei noluntas tua non minus, quam voluntas loco motivi eſt. Quamobrem ubi eidem diſſuades ne faciat, vel ſuades, ut faciat; actu noluntatis, vel voluntatis tuæ ad actionem ipſius concurris. Ita legislator alterum obligans ad aliquid faciendum, vel non faciendum, actu voluntatis & noluntatis ad ejus actionem concurrit. Hinc & Theologi ad concurſum Dei ad actiones hominum referunt, quod bonas præcipiat, malas prohibeat, quia voluntas Dei motivum eſt actionum committendarum, noluntas vero actionum omittendarum. Sed hæc uberius elucefcent ex ſequentibus, quæ de motivis actionum committendarum vel omittendarum tradituri ſumus.

§. 113.

Quando quis actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurrat,

Si alter absque facto tuo, vel etiam non facto agere vel non agere non potuiſſet; actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris. Etenim cum facultas locomotiva ſit potentia localiter movendi corpus ejusque partes (§. *66. Part. I. Phil. pract univ.*); omne factum in motu quodam corporis vel quarundam ejus partium conſiſtit, conſequenter omne non factum in omiſſione illorum motuum, qui a libera tua dependebant voluntate (§. *24. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter factum eſt actus facultatis locomotivæ poſitivus, non factum privativus. Quamobrem ſi alter absque facto tuo, vel etiam non facto, agere vel non agere non potuiſſet; ex actu facultatis locomotivæ tuæ intelligitur, cur egerit, vel non egerit, conſequenter eodem rationis quidpiam continetur, cur agere, vel non agere potuerit (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum ens unum ad actionem entis alterius concurrat, quatenus in actione ipſius continetur aliquid rationis, cur agat alterum (§. *172. Part. I. Theol. nat.*); ſi alter absque facto vel etiam non facto tuo agere vel non agere non potuiſſet, actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris.

Digitized by Google

Principium hoc etiam generale eſt, ut ambitu ſuo complectatur concurſum omnem ad actionem alterius, qui facultati locomotivæ debetur. Innumeræ ſunt actiones hominum externæ, & totidem actiones ſunt privativæ, quot poſitivæ (*§. 24. Part. I. Phil. pract. univ.*) Unde haud obſcure intelligitur, quam late pateat propoſitionis præſentis uſus. Sed agedum exemplis aliquot eandem illuſtremus. Si quis furi concedit uſum ſcalæ ſuæ, ſine qua in ædes alterius aſcendere non poterat, vel etiam ipſe ſcalas applicat, & in ſitu fixo detinet, ut aſcendere poſſit; is actu facultatis locomotivæ, eodemque poſitivo, ad furtum concurrit. Quodſi clamando vel alio quodam facto efficere potuiſſet, ut fur per ſcalas applicatas aſcenſurus aufugiſſet, id vero facere intermittit; denuo actu facultatis locomotivæ, ſed negativo ad furtum concurrit. Si quis alteri mutuo dat nummos, ut iter ingredi poſſit; is actu facultatis locomotivæ ad iter alterius concurrit. Similiter ſi nummos dare nolis, ut iter intermittere cogatur; actu facultatis locomotivæ negativo ad actionem alterius privativam concurris. Qui in bivio ſtat furi ſignum daturus adventantium hominum, qui in ipſo furti actu eum deprehendere poterant; ad furtum actu facultatis locomotivæ concurrit, tum poſitivo, quatenus ſe contulit in bivium, tum privativo, quatenus nullum dat ſignum, nemine adventante.

§. 114.

Quomodo ope conſilii ad actionem alterius quis concurrat.

Si quis alteri conſilium dat, is actu intellectus ad actualitatem ejus concurrit. Qui enim alteri conſilium dat, is eidem ſignificat, quid ſibi videatur de actione patranda (§ *983. Part. I. Theol. nat.*). Quoniam vero conſilium datur de eo, utrum quid facere debeat alter, nec ne, aut de modo exequendi propoſitum; qui alteri conſilium dat, aut eidem ſignificat, num judicet, actionem datam eſſe committendam, an vero exiſtimet, eam eſſe omittendam, aut ipſum docet, quomodo propoſitum ſuum exequi debeat, conſequenter id ipſi dicit, ſine quo alter deſtitue-

Digitized by Google

ſtitueretur notitia ad actionem committendam, vel omittendam requiſita. Enimvero qui id dicit, ſine quo alter deſtitueretur notitia ad actionem committendam, vel omittendam requiſita; is actu intellectus ad actionem alterius concurrit (§. 111.). Quamobrem qui alteri conſilium dat, is actu intellectus ad actualitatem ejus concurrit.

Docuimus hactenus, quomodo quis ad actionem alterius concurrat vel actu intellectus, vel actu voluntatis aut noluntatis, vel actu facultatis locomotivæ, non alio fine, quam ut ope horum principiorum excitetur attentio atque acumen, quando in concurſum ad actionem alterius inquirendum. Enimvero ut acumen tanto facilius excitetur, ſpecialia addi non inconſultum ducimus. Eo igitur fine hic docemus actu intellectus nos concurrere ad actionem alterius, quando alteri conſilium damus. Unde liquet, quoties inquirendum num quis ad actionem alterius concurrerit; ſciſcitandum quoque eſſe, num quis eidem conſilium dederit, & quale fuerit conſilium. Quo etiam pertinet, num conſilii ſui attulerit rationes & quales iſtæ fuerint, an nullas dederit. Plurimum enim refert noſſe, ubi quis conſilium alterius ſecutus, num id rationibus firmaverit, & quænam fuerint iſtæ rationes, an vero nullas adjecerit: nec minus intereſt idem noſſe, ubi agens conſilium alterius ſprevit. Huc reſpiciendum eſt & in imputationibus actionum ex parte agentis, & ex parte conſilium dantis, tum etiam conſilii ipſius. Immo ubi certi eſſe uoluerimus, quod conſcientia nos excuſet, huc quoque animum advertere debemus. Prodeſt etiam notaſſe hanc differentiam, ubi de conſiliorum uſu agendum. Conſilium rationibus munitum propius ad ſuaſionem accedit, quemadmodum ex notione ſuaſionis haud obſcure colligitur (*§. 983. Part. I. Theol. nat.*). Qui enim rationes conſilii adfert, is alteri conſilium ſuum ſi non perſuadere nititur, eum tamen docere intendit, quod conſilium ſuum non ſit inane, nec temere idem ſequatur alter. Alia jam tacemus, quæ vel experientia ſuggerere poterit oculata.

§. 115.

nem committendam vel omittendam requiſita. Quoniam itaque actu intellectus ad actionem alterius concurrit, qui id ipſi dicit, ſine quo deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita (§. 111.); qui alteri dicit circumſtantias in dato caſu obvias, is actu intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quod vero ad eandem concurrat actu facultatis locomotivæ, qui circumſtantias facto quodam ſuo alteri perſpectas reddit, eodem modo patet, quo in propoſitione præcedente (§. 116.) oſtendimus, eum concurrere ad actionem alterius actu facultatis locomotivæ, qui facto ſuo notionem actionis, quam ignorat alter, ejusdem animo inſinuat. *Quod erat alterum.*

Prioris exemplum habemus in eo, qui præſente fure loquitur de nummis & rebus pretioſis a Mævio poſſeſſis & refert, ubinam easdem aſſervet, commemoratis adhuc aliis circumſtantiis, veluti quod eas penes ſe habeat in cubiculo, ubi ſolus dormit, remotus ab omnibus domeſticis & aliis, qui in iisdem habitant ædibus. Ecquis enim non videt, notitiam harum circumſtantiarum eſſe e re furis, qui absque ea de furto in ædibus Mævii committendo alias non cogitaſſet, nec conſilium de eo committendo cum ſociis inire potuiſſet? Quodſi apertis foribus vel feneſtris, per quas ex aliis ædibus in conclave introſpicere licet, aperias ciſtam, in qua nummos vel res pretioſas alias reponis, & hoc videat, qui furandi animum habet, facto tuo eum circumſtantias doces, quarum in furto committendo rationem habere debet. Ceterum hæc ipſa exempla docent, quod principia de concurſu ad actiones alterius proſint, ne improvidentia noſtra vel nobiſmet ipſis, vel aliis noceamus. Nemo itaque per præcipitantiam judicet, quaſi præter neceſſitatem principia ſterilia multiplicemus, quod eorum uſum prævidere nequeat.

§. 118.

§. 118.

Qui alterum inſtruit de bonitate vel malitia actionis, ſive vera dicat, ſive falſa; is ad actionem alterius concurrit actu intellectus. Quodſi vero facto ſuo alteri perſuadeat actionis alicujus bonitatem vel malitiam; is actu facultatis locomotivæ ad eandem concurrit. Quoniam nil volumus, niſi quod repræſentamus tanquam bonum, nec quicquam nolumus, niſi quod nobis repræſentamus tanquam malum (§. *892. Pſych. empir.*), ita ut ne appetitus quidem ſenſitivus feratur niſi in bonum, nec averſatio ſenſitiva abhorreat niſi a malo (§. *893. Pſych. empir.*); nec malum appetamus niſi ſub ratione boni, nec bonum averſemur niſi ſub ratione mali (§. *896. Pſych. empir.*), ad actionem vero humanam actus voluntatis & noluntatis requiritur (§. *70. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui alterum inſtruit de bonitate vel malitia actionis, ſive vera dicat, ſive falſa, is ipſi id dicit, ſine quo deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita. Quamobrem cum actu intellectus ad actionem alterius concurrat, qui id ipſi dicit, ſine quo deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita (§. 111.); qui alterum inſtruit de bonitate vel malitia actionis, ſive vera dicat, ſive falſa; is ad actionem alterius concurrit actu intellectus. *Quod erat unum.*

Quomodo quis concurrat ad actionem alterius eum inſtruendo de bonitate vel malitia actionis.

Quod vero actu facultatis locomotivæ ad eandem concurrat, ſi facto vel non facto ſuo alteri perſuadeat actionis alicujus bonitatem vel malitiam, eodem modo patet, quo paulo ante (§. 116.) oſtendimus, eum concurrere ad actionem alterius actu facultatis locomotivæ, qui facto ſuo notionem actionis, quam ignorat alter, ejusdem animo inſinuat. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Concurſus hic probe notandus eſt, cum vulgo ad eum animum non advertant, qui vel ore vel ſcriptis alios inſtruunt. Etenim ſi quis ad errorem ſeducit alios, ipſi imputabuntur actiones ex errore commiſſæ ab aliis, aut in poſterum committendæ. Idem tenendum eſt de iis, qui exemplo ſuo ſeducunt alios, aut exemplo ſuo deſunt aliis (*§. 650. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ceterum conſtat, concurſum hunc ad actionem alterius eſſe frequentiſſimum. Quis enim eſt, qui neſciat, pleroſque in dijudicanda actionum bonitate atque malitia ab aliorum pendere judicio aliorumque facta imitari? Pauciores profecto ſunt, quam vulgo putatur, qui bonitatis ac malitiæ actionum convincuntur. Sane a priori veritatis nemo convincitur niſi demonſtrationibus (*§. 990. Log.*). Quotquot vero ſunt, qui demonſtrationes capere poſſunt? Et ubinam demonſtrationes magis hucusque deſiderantur, quam in theoria actionum humanarum? Immo quis eſt qui neſciat, dari plurimos, qui veritates morales demonſtrari poſſe negant?

§. 119.

Quomodo quis concurrat ad actionem alterius docendo ipſum motiva actionum committendarum vel omittendarum.

Qui alterum docet motiva actionis committendæ vel omittendæ, actu intellectus ad ejus actionem concurrit. Quodſi vero factum ejus vel non factum alteri motivum actionis committendæ vel omittendæ præbet, actu facultatis locomotivæ ad eandem concurrit. Quoniam ad actionem humanam requiritur actus voluntatis vel noluntatis (§. *70. Part. I. Phil. pract. univ.*), voluntas vero & noluntas per motiva determinatur (§. *932. Pſych. empir.*); qui alterum docet motiva actionis committendæ vel omittendæ, is ei dicit id, ſine quo deſtitueretur notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita. Quamobrem cum actu intellectus ad actionem alterius concurrat, qui eidem dicit id, ſine quo notitia ad actionem committendam vel omittendam requiſita deſtitueretur (§. 111.); qui alterum docet motiva actionis com-

committendæ vel omittendæ, is actu intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quod vero actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurrat, qui facto ſuo vel non facto alteri præbet motivum actionis committendæ vel omittendæ, eodem modo patet, quo ſupra (§. 116.) oſtendimus, ad actionem alterius actu facultatis locomotivæ concurrere eum, qui facto ſuo alterius animo inſinuat notionem actionis, quam ignorat. *Quod erat alterum.*

In hoc concurſu ad actionem alterius non conſideramus rectitudinem actionis, conſequenter nec quæſtio nobis jam eſt de moralitate motivorum. Cum enim motiva ſint repræſentatio boni ac mali diſtincta (*§. 890. Pſych. empir.*); per errorem quoque bonum atque malum apparens haberi poſſunt pro vero.

§. 120.

Quoniam motivum nolitionis in repræſentatione mali conſiſtit (*§. 890. Pſych. empir.*), *qui alterum admonet mali ex actione aliqua emerſuri*, eum docet motivum actionis omittendæ, conſequenter *actu intellectus ad actionem ejus concurrit.* *Concurſus per admonitionem.*

Hoc corollarium non alio fine addimus, quam ut appareat, principia generalia lato ambitu multa ſpecialia ſub ſe comprehendere. Excitanda enim attentio eſt, qua opus, ut omnem eorum faciamus uſum, quem habere poſſunt. Caſus corollarii præſentis ſunt, ſi alterum admonemus periculi, quod incurrere poteſt, vel damni, quod ex actione emergit.

§. 121.

Qui agentem docet impedimenta in dato caſu ſeſe offerentia, is actu intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quomodo ad actionem alterius con-*

O 3 Etenim

curratur docendo impedimenta. Etenim qui ſine quæſito potiri voluerit, noſſe quoque debet impedimenta, quæ in caſu dato ſeſe offerre poſſunt (§. 92.). Quamobrem qui agentem eadem docet, is ei dicit id, ſine quo deſtitueretur notitia ad actionem committendam requiſita. Enimvero qui alteri dicit id, ſine quo deſtitueretur notitia ad actionem committendam requiſita, is actu intellectus ad actionem ejus concurrit (§. 111.). Ergo qui alterum docet impedimenta in dato caſu ſeſe offerentia, is actu intellectus ad actionem ipſius concurrit.

Notitia impedimentorum agenti ſcitu maxime neceſſaria, niſi temere agere voluerit. Ea igitur cum influat in actualitatem actionis, nec dubitandum, quin ad eandem concurrat, cui eam acceptam referimus.

§. 122.

Concurſus quis ſit docendo alterum media & remedia. *Qui alterum docet media & modum tollendi impedimenta, is actu intellectus ad actionem ipſius concurrit.* Qui enim alterum docet media & modum tollendi impedimenta, is ipſi conſilium dat de executione propoſiti (§. *983. Part. I. Theol. nat.*). Enimvero qui alteri conſilium dat, is actu intellectus ad actionem ejusdem concurrit (§. 114.). Quamobrem qui alterum docet media & modum tollendi impedimenta, is actu intellectus ad actionem ipſius concurrit.

Idem oſtenditur vi principii generalis de concurſu ad actionem alterius actu intellectus facto (§. 111.) eodem prorſus modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus (§. 92.).

Abunde igitur docuimus, quomodo quis actu intellectus ad actionem alterius concurrat. Ex iis autem, quæ ſpecialius oſtendimus, nemo non videt, principium generale, quod dedimus (§. 111.), omnibus caſibus ſpecialibus abunde ſufficere: ex

Digitized by Google

ex eo enim ſpecialia deduximus, teſtibus demonſtrationibus. Horum adeo principiorum ope facile obtinebimus, ne noſtrum in detegendo concurſu alieno ad aliorum actiones deſiderari patiamur attentionem, nec noſtrum deficiat acumen. Ceterum ex eadem tractatione una elucescit, quomodo intellectus alterius fungatur vice intellectus noſtri, conſequenter quomodo quis intellectu ſuo prodeſſe poſſit aliis.

§. 123.

Inſtigare alterum dicitur, qui dat operam, ut alterum permoveat ad aliquid committendum adverſus alterum, quod ſua ſponte non fuerat facturus, aut quod num facturus ſit adhuc dubitatur. Vernacula dicimus, verhetzen, item, aufhetzen. *Inſtigare, quid ſignificet.*

Inſtigamur ad actionem alteri vel damnoſam, vel quocunque modo moleſtam, ſeu ex qua mali quidpiam redundat in alterum. Unde inſtigatio locum ſaltem habet in certo actionum genere. Requiritur autem, ut alter de actione iſta committenda vel prorſus non cogitet, vel ſaltem ad eam committendam non ſit pronus, vel ab eadem omnino abhorreat, vel ut dubitetur, num idem ſit facturus. Qui igitur id agit, ut alterum permoveat ad actionem iſtam committendam, ſuppeditando motiva, quibus determinetur voluntas, vel etiam ſimpliciter jubendo, ſi voluntas ejus poſſit eſſe motivum determinandæ voluntatis alterius, & eximendo ſcrupulos, qui alteri adſunt; is eum inſtigat. Nimirum non eædem ſemper adſunt circumſtantiæ, ob quas inſtigatione eſt opus. Ex. gr. Si Rex unus omnem movet lapidem, ut Regem alterum permoveat ad bellum inferendum tertio cuidam, contra quem arma ſua ſponte non fuerat ſumturus; ille hunc ad bellum inferendum inſtigare dicitur. Similiter, ſi Titium eo adducere coneris, ut injuria afficiat Mævium, a qua inferenda erat alienus; eum ad injuriam inferendam inſtigas. Quodſi Titius equidem mallet injuria afficere Mævium, adſunt tamen rationes in contrarium, ob quas hoc facere vere-tur,

tur, tu autem omnem des operam, ut hiſce non obſtantibus eundem ad hoc faciendum adducas; eundem adhuc inſtigas. Actus nimirum inſtigandi variat pro diverſis circumſtantiis agentis, ut adeo inſtigatio omnis non fiat eodem modo.

§. 124.

Inſtigantis quod ſit velle factum alterius.

Quoniam qui alterum inſtigat operam dat, ut alterum ad aliquid committendum adverſus alterum permoveat, quod ſua ſponte non erat facturus, aut quod num facturus ſit adhuc dubitatur (§. 123.); *Qui alterum ad quid faciendum inſtigat, is omnino vult ut alter hoc faciat, & ſeſe hoc velle eidem ſufficienter ſignificat* (§. 109.).

Propoſitio hæc axiomatis loco eſt (*§. 262. Log.*). Neque enim operam dare poteras, ut alterum ad aliquid faciendum inſtigares, niſi hoc ab eodem fieri velles.

§. 125.

Adhortatio & Dehortatio quid ſit.

Adhortari alterum dicimur, ſi verbis ipſi ſignificamus, ſeriam & conſtantem nobis eſſe voluntatem, ut hoc faciat, ad quod faciendum obligatur. Vernacula dicimus, vermahnen. Ex adverſo autem *Dehortari alterum* dicimur, ſi noluntatem nobis eſſe ſeriam & conſtantem verbis ei ſignificamus, ne hoc faciat, ad quod non faciendum obligatur. Vernacula dicimus, abmahnen.

Ita pater moribundus adhortatur filium, ſi eidem ſignificet, velle ſeſe, ut matri ſe mortuo obſequium præſtet, ad quod præſtandum lege naturali obligatur, & ut Dei in omnibus actionibus ſuis meminerit, quod ut faciat, non minus eadem lege obligatur. Idem vero dehortatur filium, ſi eidem ſignificet, nolle ſeſe, ut cuidam injuriam faciat, ad quod omittendum lege naturali obligatur. Similiter Dux exercitus adhortatur milites, ſi ipſis ſignificet velle ſeſe, ut in prœlio fortes

Digitized by Google

fortes ſe præſtent, id quod ut faciant officii ipſorum eſt. Dehortatur, ſi ſignificet, nolle ſe ut prædæ inhient, quod ne faciant non minus ipſorum eſt officii. Adhortamur adeo alios ad actiones bonas committendas; dehortamur a malis committendis. Sumitur autem hic tam bonum, quam malum in omni ſua latitudine, quam ſignificatus utriusque vocabuli admittit in philoſophia morali.

§. 126.

Orare alterum dicitur, *ut quid faciat, vel non faciat,* ſi ita ſignificet alteri ſeriam ac conſtantem voluntatem ſuam, ut quid faciat, vel noluntatem, ne faciat, ut intelligat, intereſſe volentis, vel nolentis, ut hoc faciat, vel non faciat. Vernacula dicimus, bitten.

Orare alterum, ut quid faciat, vel non faciat, quid ſit.

Intereſt parentum, ne liberi fiant infelices. Quamobrem ſi lugubri voce eos dehortantur a facinore committendo, eos ſimul orant, ne hoc faciant. Quodſi ex Titii facto in te quoque redundat mali quidpiam, eum oras, ne hoc faciat: ſin ex adverſo boni quidpiam ex eodem in te proficiſcitur, eum oras, ut faciat. Orans alterum ut quid faciat, vel non faciat, factum alienum ſemper ad ſe refert, & quale ſit reſpectu ſui perpendit, atque hoc ipſum motivum eſt, ut velit vel ut nolit hoc ab altero fieri. Alio igitur reſpectu alterum adhortamur & dehortamur; alio eundem oramus. Quoniam vero reſpectus unus non repugnat alteri, neque enim repugnat, ut, qui perpendit, factum alterius ſibi fore proficuum, vel damnoſum, ſimul perpendat obligationem alterius ad quid faciendum, vel omittendum; alterum ſimul orare & adhortari vel dehortari valemus.

§. 127.

Qui amat alterum, ejus intereſt, ne is actionem quandam committat, ex qua in ipſum quidpiam redundat mali, & ne omittat actionem, ex qua boni quidpiam in ipſum redundat.

Quomodo interſit amantis, ne amatus quid

faciat vel non faciat.

Etenim qui alterum amat, is eundem conſiderat tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych. empir.*), adeoque quod alteri bonum eſt, id ſibi bonum eſſe exiſtimat, & quod alteri malum eſt, id ſibi malum eſſe arbitratur. Quamobrem ſi ex actione alterius quidpiam reſultat, quod agenti bonum, vel malum eſt; ex ea quoque reſultare exiſtimat, quod ſibi bonum, vel malum eſt. Qui igitur alterum amat, ejus intereſt, ne is actionem quandam committat, ex qua in ipſum quidpiam redundat mali, & ne omittat actionem, ex qua in ipſum boni quidpiam redundat.

Nimirum qui alterum amat, ex ejus voluptate ipſemet voluptatem (§. 640. *Pſych. empir.*), & ex tædio alterius ipſemet tædium percipit (§. 642. *Pſych. empir.*). Atque hoc nomine quod alteri bonum eſt, nobis quoque bonum exiſtimamus, & quod alteri malum eſt, nobis quoque malum putamus. Inde eſt quod alterum, quem amamus, per propriam oremus ſalutem, ut quid faciat, vel ut quid non faciat. Hoc probe notandum eſt, ne quis arbitretur, quaſi definitio præcedens ab uſu loquendi recedat, cum etiam alterum oremus, ut quid faciat, vel ne faciat, etiamſi noſtra non interſit, ut hoc faciat, vel non faciat, cum ex alterius facto nihil boni vel mali in nos redundet.

§. 128.

Cujusnam ſit orare alterum, ut quid faciat vel non faciat.

Amantis eſt orare amatum, ut quid faciat vel non faciat. Etenim qui alterum amat, ejus intereſt, ne is actionem quandam committat, ex qua in ipſum mali quidpiam redundat, & ne actionem omittat, ex qua boni quidpiam in ipſum redundat (§. 127.). Quoniam itaque alterum orat, ut quid faciat vel non faciat, cujus intereſt, ut alter id faciat, vel non faciat (§. 126.); amantis utique eſt orare amatum, ut quid faciat, vel non faciat.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam parentum eſt amare liberos, eos nec dedecet orare liberos, ut quid faciant, vel non faciant per ipſorum ſalutem: quamvis prudentia exigat, ne intempeſtive adhortationi ac præcepto & prohibitioni jungant preces, quibus tum demum locus eſt, ubi amore flectenda eſt eorum voluntas. Ita Paſtori Eccleſiæ, qui amare debet gregem curæ ſuæ commiſſum, convenit cum adhortatione orare ſuos, ut faciant quod voluntati divinæ conforme, omittant autem, quod eidem contrariatur. Similiter amicus orat amicum, ut quid faciat, vel non faciat. Quando vero hoc ſit amoris ſignum, ex definitione paulo ante (§. 126.) tradita colligitur.

§. 129.

Exhortari quid ſit.

Exhortari dicitur alterum, qui adhortationi jungit motiva, quibus agens ad lubenter agendum determinatur. Vernacula dicimus, einen aufmuntern etwas zu thun.

Equidem vulgo dicitur exhortari idem eſſe ac valde adhortari; ſed hæc termini explicatio nimis adhuc vaga eſt. Exhortatio enim gradu differre debet ab adhortatione, ſed in quonam gradus iſte conſiſtat, explicandum erat. Defectum hunc ſupplet definitio noſtra. Apparet enim, exhortationem eo tendere, ut alter permoveatur ad lubenter faciendum, quod ab eo fieri volumus. Neque enim ſemper lubenter agit, qui autore alio agit. Dum vero lubenter agimus, proprio veluti motu agimus; & ex actione voluptatem percipimus. Unde & animum addit agenti, qui exhortatur.

§. 130.

Quod exhortator velit alterum agere.

Quoniam exhortatio adhortationem in ſe continet (§. 129.), qui vero alterum adhortatur, is vult, ut alter hoc faciat (§. 125.); ideo, *qui alterum exhortatur, vult ut alter hoc faciat.*

Digitized by Google

Addit exhortator rationes, cur velit alterum hoc facere, quæ eidem adeo evidentes videntur, ut eum ad lubenter agendum inducant, atque adeo bonitatem actionis perſuadeant.

§. 131.

Comminatio quid ſit.

Comminari alteri dicitur, qui eidem ſignificat ſe vel alium ipſi inflicturum mali quidpiam ob actionem vel perpetratam, vel perpetrandam. Vernacula dicimus, drohen. Unde *ſub comminatione alterum adhortatur vel dehortatur*, qui adhortationi vel dehortationi jungit comminationem.

Ita Orator ſacer (quem Prædicatorem, itemque Concionatorem vulgo vocant), ſub comminatione divina adhortatur auditores, ſi ipſis ſignificat mala a Deo non facientibus immittenda. Et idem ſub comminatione divina dehortatur auditores ſuos, ſi iisdem annunciat mala a Deo ipſis infligenda, niſi actiones quasdam omiſerint, aut ſi eas commiſerint, veluti ſi ſcortati & mœchati fuerint.

§. 132.

Blandimentum quid dicatur.

Blandimenta dicuntur actus quilibet externi, ad id unice compoſiti ut alteri placeant. Iſtiusmodi actus qui edit, alteri *blanditur*.

Nimirum qui blanditur alteri, is intendit actibus ſuis, ut eidem placeant (*§. 616. Part. I. Phil. pract. univ.*) adeoque, non alio fine hæc potius loquitur, quam alia, & hoc potius facit, quam aliud, quam ut quæ loquitur & quod facit placeant alteri (*§. 617. Part. I. Phil. pract. univ.*). Unde qui blanditur alteri, ſolam ſequitur in determinandis actibus externis opinionem ejus, cum quo ipſi negotium eſt, nulla habita ratione veritatis.

§. 133.

Blandimentorum effectus.

Qui blanditur alteri, ejus amorem ſibi conciliare ſtudet. Etenim qui alteri blanditur actus externos ad id unice com-

componit, ut alteri placeant (§. 132.). Enimvero ſi alteri actus, quos in ipſius gratiam edis, placent, amore tui capitur (§. 645. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet, blandientem velle, ut alter amore ſui capiatur. Qui adeo alteri blanditur, ejus amorem ſibi conciliare ſtudet.

Non jam inquirimus, cur qui alteri blanditur, ejus amorem ſibi conciliare ſtudeat: neque enim ſemper rationes ſunt eædem. Neque nego blandimentorum effectum a blandiente intendi tanquam finem. Etſi enim modo dixerimus, blandimenta adhiberi eo fine, ut placeant alteri (*not.* §. *132.*); non tamen repugnat, ut finis unus ſit propter alterum, & unus alteri ſubordinetur per modum medii (§. 58.). Præterea acutiores haud difficulter vident, ſi quis tanquam finem intendit, ut alteri placeant actus ſui externi, hos nondum ſpectari ut blandimenta, ſed ipſum finem intentum, dum ad eos accedit, efficere ut ſint blandimenta. Notandum denique blandimentorum effectum non eſſe in poteſtate blandientis, adeoque fieri poſſe, ut effectu ſuo deſtituantur. Effectus iſte a blandiente intenditur, quatenus vult, ut is illorum ſit effectus. Sed non una de cauſa accidit, ut idem fruſtra ſperetur, tum quod blandimenta ferre nequit alter, tum quod non ſunt ad alterius palatum. Sed hic locus non eſt, quo blandimentorum theoria tradenda, ubi eorum tantummodo habetur ratio, quatenus in concurſum ad actionem alterius influunt.

§. 134.

Allicere alterum dicitur, qui blandimentis eum permovere vult ad aliquid faciendum. *Allicere quid ſit.*

Quoniam jam explicavimus, quid ſibi velint blandimenta (§. 132.), haud difficulter intelligitur, quomodo alterum alliciamus. Nimirum ea loquimur, ea facimus, quæ alteri placent, ut amore noſtro captus non modo verbis noſtris facilem habeat fidem, verum etiam voluntas ejus inclinetur ad faciendum, quod volumus. Et quoniam naturam rerum & animantia nobis ima-

 ginamur

Digitized by Google

ginamur tanquam entia libere agentia; ideo ob actuum cum humanis ſimilitudinem etiam ipſis tribuimus blandimenta & allectationem, quatenus iidem nobis placent & propterea nos permovent ad faciendum, quod alias non faceremus, quemadmodum naturæ quoque & animantibus tribuere ſolemus amorem.

§. 135.

Concurſus ſuadentis ad actionem alterius.

Qui alteri ſimpliciter ſuadet, ut actionem aliquam committat, is actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. Quodſi vero rationes addat, cur ſuadeat; actu ſimul intellectus ad eundem concurrit. Etenim qui alteri ſuadet, ut actionem aliquam committat; is eidem ſignificat, quid fieri velit, in ejus tamen arbitrio relinquit, quid facere velit (§. 983. *Part. I. Theol. nat.*). Quodſi ergo actu facis, quia alter ſuadet, atque adeo alter ſimpliciter ſuadet; voluntas ſimpliciter ſuadentis eſt tibi motivum agendi (§. 887. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum actu voluntatis ad actionem alterius concurrat, qui alteri ſufficienter ſignificat, quid ab eo fieri velit, quatenus voluntas ipſius eſt agenti motivum agendi (§. 112.); qui alteri ſimpliciter ſuadet, ut actionem aliquam committat, is actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quodſi ſimul rationes addat, cur ſuadeat, conſequenter cur velit hoc ab altero fieri (§. 983. *Part. I. Theol. nat.*); motiva ſimul volendi eum docet (§. 887. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ad actionem alterius actu intellectus concurrit, qui eum docet motiva actionis committendæ (§. 119.); qui rationes addit, cur ſuadeat, is ſimul actu intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Qui alteri ſuadet, ut hoc faciat, vult utique, ut idem faciat, adeoque non vult, ut non faciat (§. 28. *Ontol.*); in ipſius tamen

tamen arbitrio relinquit, num facere velit, ne ipſi imputare poſſit actionem ſuam, ubi ejusdem pœnituerit. Etenim ubi in arbitrio ipſius relinquit, num facere velit, utique vult, ut alter ſe ſua ſponte & quaſi independenter a voluntate alterius determinet ad agendum, ne dicere poſſit, ſe ideo feciſſe, quod alter voluerit. Subinde in ſuaſionem alterius determinationem voluntatis noſtræ reſolvimus, ubi ancipites hæremus, quid facere debeamus, quemadmodum quoque in ſimili caſu ſorti relinquimus deciſionem, num quid fieri debeat, an non. Quodſi ſuadens addat rationes, cur hoc ab altero fieri conſultum judicet; caſus non amplius ſimplex eſt, ſed compoſitus: etenim cum ſimplici ſuaſione conjungitur conſilium (*§. 983. Part. I. Theol. nat.*). Unde nec mirum videri debet, quod duplex ſit concurſus, quorum alter ſit actu intellectus, alter vero actu voluntatis. Ceterum etſi ſuadens nolit, alterum ipſi imputare actionem ſuam, hoc tamen non obſtante recte eidem imputatur, etſi minus, quam ſi juſſerit (*§. 656. Part. I. Phil. pract. univ.*). Immo nemo eſt, qui neſciat, ſuadentem ſibi imputare factum alienum, ubi ex eo conſequitur, quod alteri bonum, & ideo alterum ſibi obligatum exiſtimare, quod ſuaſerit, etſi ex adverſo ſe excuſet, ubi factum alienum ipſi imputatur, ſi quid mali ex eo fuerit conſecutum. Ex. gr. ſuades alteri, ut cum Sybilla matrimonium ineat. Ubi hoc fecerit alter, & matrimonium voto reſpondet; tibi imputas, quod negotium adeo anceps ipſi feliciter ceſſerit. Enimvero ſi male ceſſerit, te excuſas, quod in ipſius arbitrio poſitum fuerit, quid facere vellet, nec te ipſum coëgiſſe, ut faceret, & ubi rationes, cur ſuaderes, in medium attuliſti, ad tritum illud confugis: Conſilia non neceſſitant.

§. 136.

Diſſuadentis concurſus ad actionem alterius.

Qui alteri ſimpliciter diſſuadet actionem committendam; is actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. Quodſi vero rationes addat, cur diſſuadeat; actu ſimul intellectus ad eandem concurrit. Etenim qui alteri diſſuadet actionem committendam, is ei ſignificat nolle ſe, ut hoc faciat, ita tamen ut

ut in ejus arbitrio poſitum relinquat, utrum id omittere velit, nec ne (§. 985. *Part. I. Theol. nat.*). Quodſi ergo ſimpliciter diſſuadente altero non agis, noluntas ejus tibi motivi loco eſt (§. 887. *Pſych. empir.*). Enimvero actu noluntatis ad actionem alterius concurrit, qui ſufficienter eidem ſignificat, quid ab eo fieri nolit, quatenus noluntas ipſi motivum eſt non agendi (§. 112.). Quamobrem qui alteri ſimpliciter diſſuadet actionem committendam, is actu noluntatis ad actionem alterius concurrit. *Quod eras unum.*

Quodſi vero rationes addat, cur diſſuadeat, conſequenter cur hoc ab altero fieri nolit (§. 985. *Part. I. Theol. nat.*), motiva nolendi ipſum docet (§. 887. *Pſych. empir.*). Enimvero qui alterum docet motiva nolendi, ſeu actionis non committendæ, is actu intellectus ad ejus actionem concurrit (§. 119.). Quare qui rationes addit, cur diſſuadeat; is actu intellectus ſimul ad actionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotata ſunt, ea mutatis mutandis ad præſentem quoque trahenda. Suademus & diſſuademus, quando ratio nulla eſt, cur alter ſecundum voluntatem noſtram agere teneatur, ut ideo in ipſius arbitrio ſit relinquendum, quid facere velit. Quoniam tamen homines plus ſibi juris haud raro ſumunt, quam ipſis competit; voluntatem quoque & noluntatem ſuam pro imperio alteri eſſe volunt, ubi nullum ipſis in alterum imperium eſt. Atque adeo extra limites ſuaſionis ac diſſuaſionis egrediuntur. Unde non repugnat, ut, quemadmodum ad propoſitionem præcedentem monuimus, eo fine in alterius arbitrio ultro relinquant, quid facere velit, ut ab imputatione ſint immunes. In actionibus hominum non ſemper ſpectanda eſt veritas: videndum quoque, quid eorum tribuendum ſit opinioni. Opinionibus autem hominum haud raro contradictoria inſunt, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ ad propoſi-

poſitionem præcedentem annotata ſunt. Ceterum in præſente ſermonem eſſe de actionibus privativis, nemo non videt (*§. 24. Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 137.

Concurſus jubentis & præcipientis ad actionem alterius.

Qui alterum ſimpliciter jubet, ut hoc faciat, vel præcipit: actu voluntatis ad actionem ejus concurrit. Quodſi juſſus vel præcepti rationes addat, aut agenti præmium promittat, non agenti pœnam comminetur; actu ſimul intellectus ad eandem concurrit. Etenim qui jubet alterum, ut hoc faciat, quid fieri velit eidem ſignificat, in ejus tamen arbitrio non relinquit, quid fieri velit (§. *983. Part. I. Theol. nat.*), & ubi præcipit, alterum obligandi jus habet (§. *984. Part. I. Theol. nat.*). Quodſi ergo facis, quod ſimpliciter jubet, vel præcipit alter; voluntas ejus tibi loco motivi eſt (§. *887. Pſych. empir.*). Enimvero ad actionem alterius actu voluntatis concurrit, quatenus voluntas ſua alteri motivum eſt agendi, qui alteri ſufficienter ſignificat, quid ab eo fieri velit (§. 112.), & tanto majus motivum eſt voluntas alterius, ubi is in arbitrio tuo non relinquit, quid facere velis, immo adhuc fortius, ubi te obligandi jus habet (§. *973. 954. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem actu voluntatis ad actionem alterius concurrit, qui ſimpliciter jubet vel præcipit, ut alter hoc faciat. *Quod erat unum.*

Quodſi juſſus vel præcepti rationes addat, conſequenter alteri ſignificet, cur velit hoc ab ipſo fieri, vel cur non in arbitrio ipſius relinquat, num facere velit (§. *983. 984. Part. I. Theol. nat.*); alterum docet motiva agendi (§. *887. Pſych. empir.*). Quodſi agenti præmium promittat, vel non agenti pœnas comminetur, cum non minus pœnæ (§. *287. Part. I. Phil. pract. univ.*), quam præ-

mia ſint motiva actionum committendarum (§. 296. *Part. I. Phil. pract. univ.*): eum quoque docet motiva agendi. Quamobrem cum actu intellectus ad alterius actionem concurrat; qui ipſum docet motiva actionis committendæ (§. 119.); qui juſſus vel præcepti rationes addit, aut agenti præmium promittit, non agenti pœnam comminatur, actu ſimul intellectus ad alterius actionem concurrit. *Quod erat alterum.*

Juſſum a præcepto diſtinximus in Theologia naturali, ubi notiones haſce explicavimus (§. 983. 984. *Part. I.*), nec abſque ratione. Etenim haud raro hominibus facultas phyſica eſt imponendi alteri neceſſitatem agendi moralem, in qua obligatio conſiſtit (§. 973. *Part. I. Theol. nat.*), etſi deſit facultas moralis eandem imponendi, quæ juris obligandi nomine venit (§. 954. *Part. I. Theol. nat.*). Nec inutiliter juſſus a præcepto diſtinguitur: ſæpe enim adſunt rationes haud leves, cur voluntati alterius ſatisfacere velis, etiamſi nullum te obligandi jus habeat, ubi noſti eum in arbitrio tuo non relinquere, num quod vult, facere velis. Metuenda eſt jactura amicitiæ, quæ plurimum tibi prodeſt; metuenda inimicitia, quæ plurimum obeſſe poteſt. Sed talia ſuo loco luculentius patebunt, ubi demonſtraverimus ea, unde illorum veritas pendet. Moneri tamen lectorem conducit ad avertendam præcipitantiam in judicando, ipſi magis, quam nobis nocuam. Cum enim nos præcoces aliorum cenſuras, quas facile prævidemus, æquo ferre animo dudum didicerimus; non minus tamen dolemus, ſi qui utilia contemnentes, quæ non ſatis intelligunt, ſibi viam ad ulteriora præcludunt. Lectoris adeo utilitati, non famæ noſtræ conſultum volumus. Quemadmodum enim fama, quam ſervare tenemur, a frivolis aliorum judiciis minime pendet; ita nec philoſophi eſt ſtudere, ut placeat imperitis. Non jam inquirimus in rationes, cur jubeant, qui præcipere nequeunt, nec cur juſſui obtemperent, qui ad obſequium non obligantur: neque enim earundem diſcuſſio hujus loci eſt.

§. 138.

Digitized by Google

§. 138.

Qui ſimpliciter vetat vel prohibet, ne alter hoc faciat, actu voluntatis ad ejus actionem concurrit. Quodſi vetationi vel prohibitioni rationes addat, aut agenti pœnam comminatur, non agenti præmium promittit, actu ſimul intellectus ad eandem concurrit. Etenim qui vetat, ne alter hoc faciat, noluntatem ſuam eidem ita ſignificat, ut in ejus arbitrio poſitum non relinquat, utrum id omittere velit, nec ne, & ubi prohibet, alterum obligandi jus habet, ne faciat (§. *985. Part. I. Theol. nat.*). Quodſi ergo non facis, quod vetatur vel prohibetur, quia vetatur vel prohibetur; noluntas ſimpliciter vetantis vel prohibentis tibi motivi loco eſt (§. *887. Pſych. empir.*). Enimvero actu noluntatis ad actionem concurrit, qui ſufficienter eidem ſignificat, quid ab eo fieri nolit, quatenus noluntas ipſi eſt motivum non agendi (§. 112.). Qui igitur ſimpliciter vetat vel prohibet, ne alter hoc faciat, actu noluntatis ad ejus actionem concurrit. *Quod erat unum.*

Concurſus vetantis & prohibentis ad actionem alterius.

Quodſi vetatio non fuerit ſimplex, nec prohibitio, ſed addantur rationes, cur vetetur, vel prohibeatur, ne hoc *fiat*; qui vetat vel prohibet, alterum quoque docet motiva nolendi (§ *887. Pſych. empir.*). Et quia non minus pœnæ (§. *287. Part. I. Phil. pract. univ.*); quam præmia ſunt actionum omittendarum motiva (§. *296. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſi agenti pœnam comminetur, non agenti præmium promittat, denuo motiva non agendi ipſum docet. Sed qui alterum docet motiva nolendi, ſeu actionis non committendæ, is actu intellectus ad ejus actionem concurrit (§. 119.). Qui ergo vetationi vel prohibitioni rationes addit, aut agenti pœnam comminetur,

 non

Digitized by Google

non agenti præmium promittit; is actu ſimul intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Cur vetationem a prohibitione diſtinguamus alibi jam docuimus (*not.* §. *985. Part I. Theol. nat.*). Opponimus vetationem juſſui, prohibitionem præcepto. Unde quæ paulo ante (*not.* §. *137.*) de differentia juſſus & præcepti inculcavimus mutatis mutandis de vetatione ac prohibitione etiam tenenda ſunt. Vetans & prohibens, ſive addat rationes, cur vetet, vel prohibeat, ſive non addat, ſive pœnam comminetur aut præmium promittat, ſive neutrum horum faciat, ſemper vult, ut noluntas ipſius ſit noluntas tua, ſeu ut tu quoque nolis, quod ipſe non vult, quemadmodum ex adverſo jubens & præcipiens conſtanter intendit identitatem voluntatis tuæ cum ſua, ſeu ut idem velis, quod ipſe vult. Adduntur rationes in utroque caſu, ſpes excitatur præmiorum, metus incutitur pœnarum non alio fine, quam ut voluntate & noluntate alterius utaris tanquam motivo, hoc eſt, ideo agas, quia te agere vult alter, & ideo non agas, quia te agere non vult. Ex intentione adeo jubentis ac præcipientis, vetantis atque prohibentis voluntas & noluntas ipſius ſemper eſſe debet motivum agendi & non agendi. Unde concurſus ad actionem alterius conſtanter in actu voluntatis & noluntatis conſiſtit (§. 112.).

§. 139.

Sollicitatio ad agendum.

Sollicitare ad agendum dicitur, qui omnem dat operam, ut alterum permoveat ad faciendum id, a quo animum habet alienum, ſeu quod facere non vult. Eſt vero *Sollicitatio* vel *nuda*, ubi tantum verbo imperativo ſæpius repetito ad faciendum alterum permovere conamur: vel *veſtita*, ſi motiva tam generalia, quam ſpecialia hujus ipſius actus, a circumſtantiis nempe particularibus deſumta adhibentur. Germani dicunt einem anliegen, daß er etwas thue.

Divi-

Dividimus ſollicitationem in nudam & veſtitam, quia experientia conſtat, nos in ſollicitando vel nullis uti motivis, vel motivis locum dare. Unde etiam in anterioribus juſſionem & vetationem, præceptum & prohibitionem, ſuaſionem & diſſuaſionem eodem modo dividere poteramus. Terminos autem mutuamus a JCtis, qui pacta in nuda & veſtita dividere ſolent.

§. 140.

Quoniam qui alterum inſtigat, omnem dat operam, ut alterum permoveat ad aliquid committendum adverſus alterum, quod ſua ſponte non fuerat facturus, aut quod num facturus ſit adhuc dubitatur (§. 123.), qui vero alterum ad agendum ſolicitat, omnem dat operam, ut eum ad faciendum id permoveat, a quo animum habet alienum, ſeu quod facere non vult (§. 139.); *Inſtigatio ſollicitationis quædam ſpecies eſt* (§. 241. *Ontol.*). *Inſtigatio ſollicitationis ſpecies.*

Unde apparet, inſtigationem quoque diſtingui poſſe in *nudam*, ubi tantum verbo imperativo celeriter repetito alterum ad committendum quid adverſus alterum permovere conamur, & in *veſtitam*, ubi motiva adjicimus, ſeu ea proferimus verba, quibus appetitum ſenſitivum alterius ſtimulamus.

§. 141.

Si quis alterum nuda ſollicitatione ad agendum ſtimulat, actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. Quodſi vero veſtita utatur ſollicitatione, actu intellectus ſimul concurrit. Etenim qui nuda ſollicitatione utitur, is tantummodo verbo imperativo ſæpius repetito ad agendum alterum permovere conatur (§. 139.), adeoque ipſi ſeriam ac conſtantem ſuam voluntatem ſignificat, quod ſcilicet velit, ut alter agat, cumque nullo utatur motivo alio (§. *cit.*), vult utique, ut voluntas ſua ſit alteri loco motivi. Enimvero *Concurſus ſollicitantis ad actionem alterius.*

aĉtu voluntatis ad aĉtionem alterius concurrit, qui alteri ſufficienter ſignificat, quid ab eo fieri velit, quatenus voluntas ipſius alteri eſt motivum agendi (§. 112.). Quamobrem ſi quis alterum nuda ſollicitatione ad agendum ſtimulat; is aĉtu voluntatis ad aĉtionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quodſi vero ſollicitatione utatur veſtita, motiva tam generalia, quam ſpecialia adhibet, quibus alterum ad agendum permoveat, qui agere non vult (§. 139.). Quamobrem cum aĉtu intelleĉtus ad aĉtionem alterius concurrat, qui eum motiva agendi docet (§. 119.); qui alterum ad agendum ſollicitans ſollicitatione veſtita utitur, aĉtu etiam intelleĉtus ad aĉtionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Modos ſollicitandi ut hic diſtinĉtius exponamus, inſtituti noſtri ratio non eſt, ubi id agimus, ut ad obſervandum concurſum ad alterius aĉtionem attentionem provocemus: id quod in præſenti ſufficit.

§. 142.

Inſtigantis concurſus ad aĉtionem alterius.

Quoniam inſtigatio ſollicitationis ad agendum quædam ſpecies eſt (§ 140.), qui alterum *inſtigat ad quid faciendum, aĉtu voluntatis ad aĉtionem alterius concurrit, ubi inſtigatio nuda eſt; aĉtu ſimul intelleĉtus, ubi veſtita* (§. 141.).

Poterat idem eodem modo demonſtrari, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. Et quæ modo de ſollicitatione ad agendum annotavimus (*not. §. 141.*), ea etiam de inſtigatione tenenda.

§. 143.

Qualis ſit adhortatio

Qui ſub comminatione alterum adhortatur, is eum exhortatur. Etenim qui ſub comminatione alterum adhortatur, is adhortationi jungit comminationem, adeoque ſigni-

ſignificat, ſe vel alium ipſi inflicturum mali quidpiam, ſi actionem committere recuſet (§. 131.). Quoniam itaque repræſentatio mali eſt motivum nolitionis (§. *890. Pſych. empir.*), adeoque in præſenti caſu non omittendæ actionis, conſequenter motivum actionis committendæ; qui alterum ſub comminatione adhortatur, adhortationi motivum jungit, quo alter ad agendum lubenter determinatur, quatenus ſcilicet placet evitare malum alias metuendum (§. *938. Pſych. empir.*). Exhortatur alterum, qui adhortationi jungit motiva, quibus agens ad lubenter agendum determinatur (§. 129). Quamobrem qui alterum ſub comminatione adhortatur, is eum exhortatur. *ſub comminatione.*

Quædam circa demonſtrationem propoſitionis præſentis adhuc monenda ſunt, ne perverſa interpretatione in dubitationem adducantur, quæ certa ſunt. Qui alterum exhortatur, iis uti debet motivis, quibus agens ad lubenter agendum determinantur (§. 129.). Qui lubenter quid facit, quod ſibi placet, facit: minus vero lubenter facit, qui facit, quod in ſe ſpectatum ipſi diſplicet (*ſ. 938 Pſych. empir.*). Enimvero qui comminatur alteri, mala infligenda prædicit non acturo (§. 131.), conſequenter qui comminationi cedit, facere videtur, quod in ſe diſplicet, conſequenter minus lubenter agere videtur. A veritate adeo alienum videtur, quod adhortatio ſub comminatione facta ſit exhortatio. Atat! quamvis hoc dubium veritatis ſpeciem mentiatur, ſtatim tamen evaneſcit, ubi accuratius examinatur. Alterum adhortamur ad id, ad quod faciendum obligatur (§ 125.), conſequenter malum, quod ipſi comminamur, aliud non eſt niſi pœna (*ſ. 285. Part. I. Phil. pract. univ.*), quam ut evitet, alter vult, qui eum adhortatur. Quamobrem qui alterum ſub comminatione adhortatur, non indignabundo idem facit animo, qui in aliis comminationibus locum habet; ſed benevolo potius, qui amorem adhortantis prodit, immunitatem alterius a malo, quod incurrere poterat, intendentis. Hæc ipſa

Digitized by Google

nim qui alterum dehortatur, is ei ſignificat ſeriam ſibi ac conſtantem eſſe voluntatem, ne hoc faciat, ad quod omittendum obligatur (§. 125.); adeoque vult, ne alter actionem omittat. Unde porro patet eodem modo, noluntatem dehortantis eſſe aliquod motivum non agendi, quo in propoſitione præcedente collegimus, adhortantis voluntatem eſſe motivum agendi. Quamobrem cum actu noluntatis ad actionem alterius concurrat, qui eidem ſufficienter ſignificat, nolle ſeſe ut agat, quatenus noluntas ſua ipſi motivum eſt non agendi (§. 112.); qui alterum ſimpliciter dehortatur, actu noluntatis ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quodſi dehortationi addat motiva non agendi, eum inſuper docet non agendi motiva. Quoniam itaque actu ſimul intellectus ad actionem alterius, privativam ſcilicet, concurrit, qui eundem non committendæ actionis motiva docet (§. 119.); qui dehortationi addit motiva non agendi, actu ſimul intellectus ad actionem privativam concurrit. *Quod erat alterum.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem de adhortatione annotavimus, ea etiam de dehortatione tenenda ſunt. Ceterum noluntas dehortantis motivum eſt, quatenus ea, ſi quis non attenta dehortatione actionem committit, ad quam omittendam obligabatur, in cauſa eſt, ut actio ipſi magis imputetur, & conſcientia eum magis accuſet, conſequenter majora tædia creet. Et eodem reſpectu voluntas adhortantis eſt motivum agendi, quatenus efficit, ut, qui non attenta adhortatione actionem committit, quam omittere tenebatur, non reperiat, quo omiſſionem actionis excuſare poſſit: qua de cauſa denuo actio privativa ipſi magis imputatur, & conſcientia magis eum accuſat, pluraque tædia creat. Accidit quod non minus adhortans, quam dehortans ipſa adhortatione prodat amorem ſuum erga eos,

Digitized by Google

eos, quos adhortatur & dehortatur, ſimulque amorem ſui in hiſce excitet: id quod in cauſa eſt, ut voluntas ipſius hiſce ſit motivum agendi & non agendi. Hæc omnia ex principiis Pſychologiæ empiricæ atque theoria de imputatione & conſcientia, quam in parte prima philoſophiæ practicæ univerſalis dedimus, demonſtrari poſſunt, & experientia confirmantur. Sed noſtrum jam non eſt hæc & alia demonſtrare, ubi theoriam adhortationis & dehortationis minime condimus; ſed ea tantummodo in medium afferre conſtituimus, quæ modum concurſus adhortantis & dehortantis ad actionem alterius definiunt. Non tamen ſilentio prorſus prætermittenda fuere, ne quis exiſtimet, perperam in demonſtratione propoſitionis præſentis ac præcedentis voluntatem adhortantis haberi pro motivo agendi, noluntatem dehortantis pro motivo non agendi. Non deſunt plura, quæ de influxu adhortantis & dehortantis in motivum agendi & non agendi addi poterant; ſed cum eum data opera nunc explicare non conſtituerimus, ea, quæ diximus, abunde ſufficiunt.

§. 146.

Orantis concurſus ad actionem alterius.

Qui alterum orat, ut quid faciat, vel non faciat, is & actu voluntatis, vel noluntatis, & actu intellectus ad actionem alterius concurrit. Etenim qui alterum orat, ut quid faciat, vel non faciat, alteri ſeriam ac conſtantem ſuam voluntatem, ut quid faciat, vel noluntatem, ne faciat, ita ſignificat, ut intelligat intereſſe volentis vel nolentis, ut hoc faciat, vel non faciat (§. 126.). Vult igitur, ut hoc faciat alter, quia ipſe vult ut faciat, & non vult, ut faciat, quia ipſe non vult, ut faciat, conſequenter ratio, cur hoc facere, vel non facere debeat, eſt ipſius voluntas, vel noluntas (§. 56. *Ontol.*), adeoque voluntas ipſius, vel noluntas motivum alteri eſſe debet (§ 887. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum actu voluntatis vel noluntatis ad actionem alterius concurrat, qui eidem ſufficienter ſignificat

Digitized by Google

mia ſint motiva actionum committendarum (§. 296. *Part. I. Phil. pract. univ.*): eum quoque docet motiva agendi. Quamobrem cum actu intellectus ad alterius actionem concurrat; qui ipſum docet motiva actionis committendæ (§. 119.); qui juſſus vel præcepti rationes addit, aut agenti præmium promittit, non agenti pœnam comminatur, actu ſimul intellectus ad alterius actionem concurrit. *Quod erat alterum.*

Juſſum a præcepto diſtinximus in Theologia naturali, ubi notiones haſce explicavimus (§. 983. 984. *Part. I.*), nec absque ratione. Etenim haud raro hominibus facultas phyſica eſt imponendi alteri neceſſitatem agendi moralem, in qua obligatio conſiſtit (§. 973. *Part. I. Theol. nat.*), etſi deſit facultas moralis eandem imponendi, quæ juris obligandi nomine venit (§. 954. *Part. I. Theol. nat.*). Nec inutiliter juſſus a præcepto diſtinguitur: ſæpe enim adſunt rationes haud leves, cur voluntati alterius ſatisfacere velis, etiamſi nullum te obligandi jus habeat, ubi noſti eum in arbitrio tuo non relinquere, num quod vult, facere velis. Metuenda eſt jactura amicitiæ, quæ plurimum tibi prodeſt; metuenda inimicitia, quæ plurimum obeſſe poteſt. Sed talia ſuo loco luculentius patebunt, ubi demonſtraverimus ea, unde illorum veritas pendet. Moneri tamen lectorem conducit ad avertendam præcipitantiam in judicando, ipſi magis, quam nobis nocuam. Cum enim nos præcoces aliorum cenſuras, quas facile prævidemus, æquo ferre animo dudum didicerimus; non minus tamen dolemus, ſi qui utilia contemnentes, quæ non ſatis intelligunt, ſibi viam ad ulteriora præcludunt. Lectoris adeo utilitati, non famæ noſtræ conſultum volumus. Quemadmodum enim fama, quam ſervare tenemur, a frivolis aliorum judiciis minime pendet; ita nec philoſophi eſt ſtudere, ut placeat imperitis. Non jam inquirimus in rationes, cur jubeant, qui præcipere nequeunt, nec cur juſſui obtemperent, qui ad obſequium non obligantur: neque enim earundem diſcuſſio hujus loci eſt.

§. 138.

§. 138.

Qui ſimpliciter vetat vel prohibet, ne alter hoc faciat, actu voluntatis ad ejus actionem concurrit. Quodſi vetationi vel prohibitioni rationes addat, aut agenti pœnam comminatur, non agenti præmium promittit, actu ſimul intellectus ad eandem concurrit. Etenim qui vetat, ne alter hoc faciat, noluntatem ſuam eidem ita ſignificat, ut in ejus arbitrio poſitum non relinquat, utrum id omittere velit, nec ne, & ubi prohibet, alterum obligandi jus habet, ne faciat (§. *985. Part. I. Theol. nat.*). Quodſi ergo non facis, quod vetatur vel prohibetur, quia vetatur vel prohibetur; noluntas ſimpliciter vetantis vel prohibentis tibi motivi loco eſt (§. *887. Pſych. empir.*). Enimvero actu noluntatis ad actionem concurrit, qui ſufficienter eidem ſignificat, quid ab eo fieri nolit, quatenus noluntas ipſi eſt motivum non agendi (§. 112.). Qui igitur ſimpliciter vetat vel prohibet, ne alter hoc faciat, actu noluntatis ad ejus actionem concurrit. *Quod erat unum.*

Concurſus vetantis & prohibentis ad actionem alterius.

Quodſi vetatio non fuerit ſimplex, nec prohibitio, ſed addantur rationes, cur vetetur, vel prohibeatur, ne hoc *fiat*; qui vetat vel prohibet, alterum quoque docet motiva nolendi (§ *887. Pſych. empir.*). Et quia non minus pœnæ (§. *287. Part. I. Phil. pract. univ.*); quam præmia ſunt actionum omittendarum motiva (§. *296. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſi agenti pœnam comminetur, non agenti præmium promittat, denuo motiva non agendi ipſum docet. Sed qui alterum docet motiva nolendi, ſeu actionis non committendæ, is actu intellectus ad ejus actionem concurrit (§. 119.). Qui ergo vetationi vel prohibitioni rationes addit, aut agenti pœnam comminetur,

 non

Digitized by Google

non agenti præmium promittit; is actu ſimul intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Cur vetationem a prohibitione diſtinguamus alibi jam docuimus (*not. §. 985. Part I. Theol. nat.*). Opponimus vetationem juſſui, prohibitionem præcepto. Unde quæ paulo ante (*not. §. 137.*) de differentia juſſus & præcepti inculcavimus mutatis mutandis de vetatione ac prohibitione etiam tenenda ſunt. Vetans & prohibens, ſive addat rationes, cur vetet, vel prohibeat, ſive non addat, ſive pœnam comminetur aut præmium promittat, ſive neutrum horum faciat, ſemper vult, ut noluntas ipſius ſit noluntas tua, ſeu ut tu quoque nolis, quod ipſe non vult, quemadmodum ex adverſo jubens & præcipiens conſtanter intendit identitatem voluntatis tuæ cum ſua, ſeu ut idem velis, quod ipſe vult Adduntur rationes in utroque caſu, ſpes excitatur præmiorum, metus incutitur pœnarum non alio fine, quam ut voluntate & noluntate alterius utaris tanquam motivo, hoc eſt, ideo agas, quia te agere vult alter, & ideo non agas, quia te agere non vult Ex intentione adeo jubentis ac præcipientis, vetantis atque prohibentis voluntas & noluntas ipſius ſemper eſſe debet motivum agendi & non agendi. Unde concurſus ad actionem alterius conſtanter in actu voluntatis & noluntatis conſiſtit (§. 112.).

§. 139.

Sollicitatio ad agendum. *Sollicitare ad agendum* dicitur, qui omnem dat operam, ut alterum permoveat ad faciendum id, a quo animum habet alienum, ſeu quod facere non vult. Eſt vero *Sollicitatio* vel *nuda*, ubi tantum verbo imperativo ſæpius repetito ad faciendum alterum permovere conamur: vel *veſtita*, ſi motiva tam generalia, quam ſpecialia hujus ipſius actus, a circumſtantiis nempe particularibus deſumta adhibentur. Germani dicunt einem anliegen, daß er etwas thue.

Divi-

Dividimus ſollicitationem in nudam & veſtitam, quia experientia conſtat, nos in ſollicitando vel nullis uti motivis, vel motivis locum dare. Unde etiam in anterioribus juſſionem & vetationem, præceptum & prohibitionem, ſuaſionem & diſſuaſionem eodem modo dividere poteramus. Terminos autem mutuamus a JCtis, qui pacta in nuda & veſtita dividere ſolent.

§. 140.

Quoniam qui alterum inſtigat, omnem dat operam, ut alterum permoveat ad aliquid committendum adverſus alterum, quod ſua ſponte non fuerat facturus, aut quod num facturus ſit adhuc dubitatur (§. 123.), qui vero alterum ad agendum ſolicitat, omnem dat operam, ut eum ad faciendum id permoveat, a quo animum habet alienum, ſeu quod facere non vult (§. 139.); *Inſtigatio ſollicitationis quædam ſpecies eſt* (§. 241. *Ontol.*). *Inſtigatio ſollicitationis ſpecies.*

Unde apparet, inſtigationem quoque diſtingui poſſe in *nudam*, ubi tantum verbo imperativo celeriter repetito alterum ad committendum quid adverſus alterum permovere conamur, & in *veſtitam*, ubi motiva adjicimus, ſeu ea proferimus verba, quibus appetitum ſenſitivum alterius ſtimulamus.

§. 141.

Si quis alterum nuda ſollicitatione ad agendum ſtimulat, actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. Quodſi vero veſtita utatur ſollicitatione, actu intellectus ſimul concurrit. Etenim qui nuda ſollicitatione utitur, is tantummodo verbo imperativo ſæpius repetito ad agendum alterum permovere conatur (§. 139.), adeoque ipſi ſeriam ac conſtantem ſuam voluntatem ſignificat, quod ſcilicet velit, ut alter agat, cumque nullo utatur motivo alio (§. *cit.*), vult utique, ut voluntas ſua ſit alteri loco motivi. Enimvero *Concurſus ſollicitantis ad actionem alterius.*

actu voluntatis ad actionem alterius concurrit, qui alteri ſufficienter ſignificat, quid ab eo fieri velit; quatenus voluntas ipſius alteri eſt motivum agendi (§. 112.). Quamobrem ſi quis alterum nuda ſollicitatione ad agendum ſtimulat; is actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quodſi vero ſollicitatione utatur veſtita, motiva tam generalia, quam ſpecialia adhibet, quibus alterum ad agendum permoveat, qui agere non vult (§. 139.). Quamobrem cum actu intellectus ad actionem alterius concurrat, qui eum motiva agendi docet (§. 119.); qui alterum ad agendum ſollicitans ſollicitatione veſtita utitur, actu etiam intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Modos ſollicitandi ut hic diſtinctius exponamus, inſtituti noſtri ratio non eſt, ubi id agimus, ut ad obſervandum concurſum ad alterius actionem attentionem provocemus: id quod in præſenti ſufficit.

§. 142.

Inſtigantis concurſus ad actionem alterius.

Quoniam inſtigatio ſollicitationis ad agendum quædam ſpecies eſt (§ 140.), qui alterum *inſtigat ad quid faciendum, actu voluntatis ad actionem alterius concurrit, ubi inſtigatio nuda eſt; actu ſimul intellectus, ubi veſtita* (§. 141.).

Poterat idem eodem modo demonſtrari, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. Et quæ modo de ſollicitatione ad agendum annotavimus (*not. §. 141.*), ea etiam de inſtigatione tenenda.

§. 143.

Qualis ſit adhortatio

Qui ſub comminatione alterum adhortatur, is eum exhortatur. Etenim qui ſub comminatione alterum adhortatur, is adhortationi jungit comminationem, adeoque ſigni-

Digitized by Google

ſignificat, ſe vel alium ipſi inflicturum mali quidpiam, ſi actionem committere recuſet (§. 131.). Quoniam itaque repræſentatio mali eſt motivum nolitionis (§. *890. Pſych. empir.*), adeoque in præſenti caſu non omittendæ actionis, conſequenter motivum actionis committendæ; qui alterum ſub comminatione adhortatur, adhortationi motivum jungit, quo alter ad agendum lubenter determinatur, quatenus ſcilicet placet evitare malum alias metuendum (§. *938. Pſych. empir.*). Exhortatur alterum, qui adhortationi jungit motiva, quibus agens ad lubenter agendum determinatur (§. 129.). Quamobrem qui alterum ſub comminatione adhortatur, is eum exhortatur. *ſub comminatione.*

Quædam circa demonſtrationem propoſitionis præſentis adhuc monenda ſunt, ne perverſa interpretatione in dubitationem adducantur, quæ certa ſunt. Qui alterum exhortatur, iis uti debet motivis, quibus agens ad lubenter agendum determinantur (§. 129.). Qui lubenter quid facit, quod ſibi placet, facit: minus vero lubenter facit, qui facit, quod in ſe ſpectatum ipſi diſplicet (§. *938 Pſych. empir.*). Enimvero qui comminatur alteri, mala infligenda prædicit non acturo (§. 131.), conſequenter qui comminationi cedit, facere videtur, quod in ſe diſplicet, conſequenter minus lubenter agere videtur. A veritate adeo alienum videtur, quod adhortatio ſub comminatione facta ſit exhortatio. Atat! quamvis hoc dubium veritatis ſpeciem mentiatur, ſtatim tamen evaneſcit, ubi accuratius examinatur. Alterum adhortamur ad id, ad quod faciendum obligatur (§ 125.), conſequenter malum, quod ipſi comminamur, aliud non eſt niſi pœna (§. *285. Part. I. Phil. pract. univ.*), quam ut evitet, alter vult, qui eum adhortatur. Quamobrem qui alterum ſub comminatione adhortatur, non indignabundo idem facit animo, qui in aliis comminationibus locum habet; ſed benevolo potius, qui amorem adhortantis prodit, immunitatem alterius a malo, quod incurrere poterat, intendentis. Hæc ipſa

ipſa cum in bonorum numero ſit, nemine diffitente, bonum vero, ex quo voluptatem percipimus, quamprimum cognoſcitur (§. 558. *Pſych. empir.*), nobis placet (§. 542. *Pſych. empir.*); quin immunitas a malo, conſequenter actio, quæ eam præſtat, nobis placere debeat, dubitandum non eſt. Ad eam igitur reſpiciens, quemadmodum ad eandum animum ab agente adverti vult ſub comminatione adhortans, lubenter agit (§. 938. *Pſych. empir.*). Majore acumine opus eſt in moralibus, quam in aliis veritatum generibus, ne diverſa inter ſe confuſa pro iisdem habeantur. Etenim eadem actio externa diverſam admodum induit formam pro diverſitate actuum internorum, qui eandem influunt & plurimum variant. Ceterum cum actus iſti interni haud raro difficulter pateant, nec cujusvis ſit ex ſignis externis eadem colligere; ideo inconſtantia loquendi nullibi magis, quam in hoc genere regnat, nec mirum videri debet, ſi definitiones perperam applicatæ non videntur genuinæ.

§. 144.

Concurſus adhortantis & exhortantis ad actionem alterius.

Qui alterum adhortatur, actu voluntatis ad alterius actionem concurrit: qui vero exhortatur, vel etiam ſub comminatione adhortatur, actu ſimul intellectus ad alterius actionem concurrit. Etenim qui alterum adhortatur, verbis ſignificat, ſeriam ſibi & conſtantem eſſe voluntatem, ut hoc faciat, ad quod faciendum obligatur (§. 125.), conſequenter ut obligationi ſuæ ſatisfaciat. Quatenus itaque adhortatione alterius agens permovetur, ut eidem ſatisfaciat, voluntas adhortantis aliqua ratio eſt, cur agens obligationi ſuæ ſatisfacere voluerit (§. 56. *Ontol.*), conſequenter aliquod motivum præbet (§. 887. *Pſych. empir.*). Actu voluntatis ad actionem alterius concurrit, qui eidem ſufficienter ſignificat, quid ab eo fieri velit, quatenus voluntas agenti motivum eſt agendi (§. 112.). Quamobrem qui alterum adhortatur, actu voluntatis ad alterius actionem concurrit. *Quod erat primum.*

Qui

Digitized by Google

Qui alterum exhortatur, adhortationi jungit motiva, quibus ad lubenter agendum determinatur (§. 129.), adeoque ipſum docet motiva lubenter agendi. Sed qui motiva agendi, adeoque & lubenter agendi alterum docet, is actu intellectus ad actionem alterius concurrit (§. 119.). Qui ergo alterum exhortatur, actu ſimul intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero qui ſub comminatione alterum adhortatur, is eum exhortatur (§. 143.). Quoniam itaque actu ſimul intellectus ad alterius actionem concurrit, qui eundem exhortatur (*per demonſtrata n. 2.*), qui alterum ſub comminatione adhortatur, actu ſimul intellectus ad actionem alterius concurrit. *Quod erat tertium.*

Qui alterum adhortatur, is minime intendit docere alterum, ad quodnam faciendum obligetur; ſed permovere, ut ſatisfaciat obligationi ſuæ. Unde alterum adhortamur ad faciendum id, ad quod ſeſe obligatum eſſe, quod norit, ſatis ſuperque novimus. Equidem fieri poteſt, ut is quem adhortamur, non norit, ſe ad hoc faciendum eſſe obligatum, adeoque ex noſtra demum adhortatione id ipſi pateſcat; ſed non jam nobis de eo quæſtio eſt, ad quemnam actum agentis quis concurrat, ſed quo actu quis concurrat ad alterius actionem. Deinde probe hic perpendendum eſt, ad motiva agendi plurima concurrere, & quæ ad eadem concurrunt, non ſemper concurrere eodem modo. Quamvis itaque voluntas adhortantis ſola non ſit motivum agendi, nec adhortans alterum velit, ut ideo tantummodo agit, quod ipſe vult eum agere; hoc tamen non obſtante adhortantis volũntas influit in motivum actionis alterius.

§. 145.

Qui alterum ſimpliciter dehortatur, actu voluntatis concurrit ad alterius actionem: Quodſi dehortationi addat motiva non agendi, actu ſimul intellectus ad eandem concurrit. Etenim

Concurſus dehortantis ad actionem alterius.

nim qui alterum dehortatur, is ei ſignificat ſeriam ſibi ac conſtantem eſſe voluntatem, ne hoc faciat, ad quod omittendum obligatur (§. 125.); adeoque vult, ne alter actionem omittat. Unde porro patet eodem modo, noluntatem dehortantis eſſe aliquod motivum non agendi, quo in propoſitione præcedente collegimus, adhortantis voluntatem eſſe motivum agendi. Quamobrem cum actu noluntatis ad actionem alterius concurrat, qui eidem ſufficienter ſignificat, nolle ſeſe ut agat, quatenus noluntas ſua ipſi motivum eſt non agendi (§. 112.); qui alterum ſimpliciter dehortatur, actu noluntatis ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quodſi dehortationi addat motiva non agendi, eum inſuper docet non agendi motiva. Quoniam itaque actu ſimul intellectus ad actionem alterius, privativam ſcilicet, concurrit, qui eundem non committendæ actionis motiva docet (§. 119.); qui dehortationi addit motiva non agendi, actu ſimul intellectus ad actionem privativam concurrit. *Quod erat alterum.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem de adhortatione annotavimus, ea etiam de dehortatione tenenda ſunt. Ceterum noluntas dehortantis motivum eſt, quatenus ea, ſi quis non attenta dehortatione actionem committit, ad quam omittendam obligabatur, in cauſa eſt, ut actio ipſi magis imputetur, & conſcientia eum magis accuſet, conſequenter majora tædia creet. Et eodem reſpectu voluntas adhortantis eſt motivum agendi, quatenus efficit, ut, qui non attenta adhortatione actionem committit, quam omittere tenebatur, non reperiat, quo omisſionem actionis excuſare poſſit: qua de cauſa denuo actio privativa ipſi magis imputatur, & conſcientia magis eum accuſat, pluraque tædia creat. Accidit quod non minus adhortans, quam dehortans ipſa adhortatione prodat amorem ſuum erga eos,

Digitized by Google

eos, quos adhortatur & dehortatur, ſimulque amorem ſui in hiſce excitet: id quod in cauſa eſt, ut voluntas ipſius hiſce ſit motivum agendi & non agendi. Hæc omnia ex principiis Pſychologiæ empiricæ atque theoria de imputatione & conſcientia, quam in parte prima philoſophiæ practicæ univerſalis dedimus, demonſtrari poſſunt, & experientia confirmantur. Sed noſtrum jam non eſt hæc & alia demonſtrare, ubi theoriam adhortationis & dehortationis minime condimus; ſed ea tantummodo in medium afferre conſtituimus, quæ modum concurſus adhortantis & dehortantis ad actionem alterius definiunt. Non tamen ſilentio prorſus prætermittenda fuere, ne quis exiſtimet, perperam in demonſtratione propoſitionis præſentis ac præcedentis voluntatem adhortantis haberi pro motivo agendi, noluntatem dehortantis pro motivo non agendi. Non deſunt plura, quæ de influxu adhortantis & dehortantis in motivum agendi & non agendi addi poterant; ſed cum eum data opera nunc explicare non conſtituerimus, ea, quæ diximus, abunde ſufficiunt.

§. 146.

Orantis concurſus ad actionem alterius.

Qui alterum orat, ut quid faciat, vel non faciat, is & actu voluntatis, vel noluntatis, & actu intellectus ad actionem alterius concurrit. Etenim qui alterum orat, ut quid faciat, vel non faciat, alteri ſeriam ac conſtantem ſuam voluntatem, ut quid faciat, vel noluntatem, ne faciat, ita ſignificat, ut intelligat intereſſe volentis vel nolentis, ut hoc faciat, vel non faciat (§. 126.). Vult igitur, ut hoc faciat alter, quia ipſe vult ut faciat, & non vult, ut faciat, quia ipſe non vult, ut faciat, conſequenter ratio, cur hoc facere, vel non facere debeat, eſt ipſius voluntas, vel noluntas (§. *56. Ontol.*), adeoque voluntas ipſius, vel noluntas motivum alteri eſſe debet (§ *887. Pſych. empir.*). Quamobrem cum actu voluntatis vel noluntatis ad actionem alterius concurrat, qui eidem ſufficienter ſignificat

Digitized by Google

velle ſeſe, ut hoc faciat, vel nolle ſeſe, ut faciat, quatenus voluntas & noluntas alteri motivum agendi vel non agendi eſt (§. 112.); qui alterum orat, ut quid faciat, is actu voluntatis ad actionem alterius concurrit. *Quod erat unum.*

Quoniam vero voluntatem & noluntatem ſuam alteri ita ſignificat, ut intelligat intereſſe volentis aut nolentis, ut hoc faciat vel non faciat (§. 126.); eo ipſo vult, ut per hoc, quod ipſius interſit, ut hoc fiat, vel non fiat, actionem committendam vel omittendam ſibi repræſentet tanquam bonam vel malam. Quare cum repræſentatio boni ſit motivum volitionis, repræſentatio mali motivum nolitionis (§. 890. *Pſych. empir.*); motivum agendi vel non agendi ipſum docet. Enimvero qui alterum docet motivum agendi & non agendi, actu intellectus ad actionem ejus concurrit (§. 119.). Ergo qui alterum orat, ut quid faciat, vel non faciat, actu intellectus etiam ad actionem alterius concurrit. *Quod erat alterum.*

Ut concurſus hic duplex diſtincte percipiatur, exemplo uno atque altero eundem declarari conſultum ducimus. Si Titius orat Sempronium, ut Cajo amico ſuo certam pecuniæ vim credat, nemo dubitat, quin Titius velit amico ſuo nummos quærenti eſſe conſultum, adeoque ipſius intereſſe, ut a Sempronio pecunia eidem credatur. Motivum adeo Sempronio eſſe debet, ut Cajo pecuniam credat, quod Titii interſit, ut hoc fiat. Enimvero hoc non obſtante etiam voluntas Titii eidem Sempronio motivum eſt credendæ pecuniæ Cajo, quatenus intereſt Sempronio, ut faciat, quod ipſi placet, vel ne faciat, quod diſplicet. Motivum hoc poſterius generale eſt, in omni caſu locum habens, quo quis alterum orat, ut faciat hoc, vel non faciat. Aſt motivum prius valde variat pro varietate circumſtantiarum. Similiter ſi Titius orat Sempronium, familiarem ſuum ne faciat, quod offendat Cajum, quia hac offenſa alienabitur ab ipſo orante; denuo patet, quod interſit Titii, ne

Digitized by Google

ne Sempronius Cajum offendat. Voluntas Titii Sempronio motivum eſt non offendendi Cajum, quatenus hic non vult facere, quod ille ægre fert. Enimvero actionem, qua Cajum offendit, ſibi repræſentat tanquam malam, quatenus eadem animus Caji a Titio alienatur. Quomodo interſit amantis, ut is, quem amat, quid faciat, vel non faciat, etiamſi in ſe nullum inde redundet emolumentum vel damnum, in ſuperioribus jam docuimus (§. 127.), ut adeo opus non ſit hic tolli difficultates, quas unus alterve adverſus demonſtrationem propoſitionis præſentis faceſſere hinc poterat.

§. 147.

Qui alteri comminatur, niſi quid fecerit, aut ubi fecerit; is & actu voluntatis vel noluntatis, & intellectus ad actionem alterius concurrit. Etenim qui alteri comminatur, niſi quid fecerit, aut non fecerit, is eidem ſignificat, ſeſe vel alium ipſi inflicturum quidpiam mali niſi hoc fecerit, aut ubi fecerit (§. 131.). Nemo non videt, nos metu mali alterum in caſu priori permovere velle, ut quid faciat, in altero autem ne faciat. Cum malum iſtud ex intentione comminantis habeat rationem pœnæ (§. 285. *Part. I. Phil. pract. univ.*); pœnæ autem ſint motiva tam actionum committendarum, quam omittendarum (§. 287. *Part. I. Phil. pract. univ.*); patet utique comminantem & ſerio velle, ut hoc facias, vel nolle ut facias, & ſimul te docere motiva agendi vel non agendi. Unde porro liquet eodem prorſus, quo in propoſitione præcedente modo, eum, qui comminatur alteri, niſi quid fecerit, aut ubi fecerit, & actu voluntatis vel noluntatis, & actu intellectus ad actionem alterius concurrere.

Concurſus comminantis ad actionem alterius.

Nimirum voluntas vel noluntas comminantis alterum permovere debet ad agendum vel non agendum, adeoque agens actionem ſibi ideo repræſentare debet tanquam bonam, quia vo-

luntati ejus conformis, & ex adverſo tanquam malam, quia noluntati ipſius conformis, ſeu, quod perinde eſt, voluntati ejusdem difformis (*§. 890. Pſych. empir.*). Atque adeo comminans hoc intendit, ut voluntas ſua ſit alteri motivum agendi, noluntas vero non agendi. Quoniam vero vel prævidet, vel ſuſpicatur, ſolam voluntatem non fore motivum agendi, nec noluntatem ſolam motivum nolendi, ideo comminatione utitur. Unde patet voluntatem & noluntatem agentis influere in actionem alterius per modum motivi. Et hoc tenendum eſt mutatis mutandis in aliis caſibus, ſicuti ex adverſo ad præſentem quoque applicari poſſunt in anterioribus dicta. Voluntas tua & noluntas in actionem alterius influere nequit, niſi per modum motivi (§. 112). Enimvero voluntas & noluntas tua per ſe motivum agendi & non agendi alteri eſſe nequit (*§. 896. Pſych. empir.*). Quamobrem ſemper adeſſe debet aliqua ratio, cur motivi indolem induat, quæ pro diverſitate circumſtantiarum variat, & vel manifeſta eſt alteri, ut eam eundem doceri non ſit opus, vel manifeſta non eſt, adeoque ſignificanda eſt agenti. Qui adeo in caſu dato ſatis circumſpectum ſe præbet, & acumine ſufficiente pollet, is rationes haud difficulter deteget, ob quas voluntas, vel noluntas alicujus fiat motivum agendi vel non agendi alteri, ut eadem ad actionem alterius concurrere poſſit. Id adhuc probe conſiderandum eſt, voluntatem & noluntatem tuam non poſſe influere in voluntatem & noluntatem alterius, ut ejus voluntas voluntati tuæ & noluntas noluntati tuæ identificetur, ſeu ut alterius voluntas quaſi in tuam voluntatem & noluntas alterius quaſi in noluntatem tuam degeneret, niſi mediante intellectu alterius (*§. 892. Pſych. empir.*). Unde adſint neceſſe eſt rationes alteri perſpectæ, ob quas voluntatem vel noluntatem tuam ſibi repræſentare poteſt tanquam bonam vel malam, aut potius conformitatem actionis cum voluntate, aut difformitatem ejusdem tanquam bonam vel malam ſibi. Rationes iſtæ ubi per ſe manifeſtæ fuerint, ſola voluntate tua ad actionem alterius concurris. Ubi vero per ſe non patent, atque

adeo

Digitized by Google

adeo alterum eas demum docere teneris, actu ſimul intellectus ad eandem concurris.

§. 148.

Concurſus allicientis ad actionem alterius.

Qui alterum allicit ad aliquid faciendum, is & actu intellectus, & voluntatis ad alterius actionem concurrit. Etenim qui alterum allicit ad aliquid faciendum, is eum blandimentis ad hoc permovere vult (§. 134.). Unde patet, eum alteri ſignificare voluntatem ſuam, ut hoc faciat, conſequenter eodem prorſus modo, quo in anterioribus colligitur, quod actu voluntatis ſuæ ad actionem alterius concurrat, ubi is allicienti morem gerit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam blandimenta ſunt actus externi, quibus alterius amorem blandiens ſibi conciliare ſtudet (§. 133.), & his ipſis eum permovere vult ad aliquid faciendum (§. 134.); ubi alter iisdem locum dat, ejus viciſſim amore capitur (§. *645. Pſych. empir.*), adeoque voluptatem eidem creaturus (§. *652. Pſych. empir.*), quod vult facit. Quoniam itaque ex blandimentis intelligitur, cur faciat, quod vult alter, ea ratio ſunt, cur facere velit, quod vult alter (§. *56. Ontol.*), conſequenter motiva volendi (§. *887. Pſych. empir.*). Qui alterum docet motiva volendi, ſeu, quod perinde eſt, alterius animo eadem inſinuat, is actu intellectus ad actionem alterius concurrit (§ 119.). Quamobrem qui alterum allicit ad aliquid faciendum, is actu intellectus ad alterius actionem concurrit. *Quod erat alterum.*

Qui alteri blanditur ſive verbis, ſive factis, ut eum ad aliquid faciendum permoveat, is ſibi blandimenta repræſentat tanquam medium, quo voluntas alterius flecti poſſit, conſequenter ea habet pro motivo volitionis. Unde non blanditur alio fine, quam ut alterius animo inſinuet motivum volendi. Non eſt, quod

quod excipias, motiva eſſe repræſentationem boni (§. 890. *Pſych. empir.*); actionem vero non effici bonam per blandimenta allicientis. Neque enim in actionibus humanis ſemper ſpectanda eſt veritas; ſed ſufficit opinionis hominum rationem haberi. Experientia docemur, blandimentis permoveri homines ad faciendum, quod vult alter, atque adeo hinc intelligitur, quod propter blandimenta actionem in blandientis gratiam factam ſibi repræſentare debeant tanquam bonam (§. 892, 893 *Pſych. empir.*). Rationes omnibus non ſunt eædem, cur blandimentis capiantur. Effectus enim blandimentorum ab hominum opinione pendent: opiniones autem variant. Alibi erit locus de iisdem dicendi diſertius. Ceterum abunde ſatis docuimus, quomodo quis voluntate ſua ad actionem alterius concurrat, quatenus nempe is contradiſtinguitur appetitui ſenſitivo, quamvis hic plerumque rationali permiſceatur in actionibus hominum.

§. 149.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam blandimentis utimur ad alterum alliciendum (§. 134.), blandimenta autem ſunt quilibet actus externi ad id unice compoſiti, ut placeant alteri (§. 132.), & qui actu externo influit in actionem alterius actu facultatis locomotivæ ad eandem concurrit (§. 113.); *Qui alterum allicit, ad aliquid faciendum, is etiam actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurrit.*

Quemadmodum plures ſunt actus, qui alteri placent, nec omnibus placent omnes; plures quoque ſunt modi alliciendi alios ad quid faciendum, itemque variant pro diverſitate ſubjectorum alliciendorum. Sed ad ſpecialia jam non deſcendimus, ubi generalia tradere inſtituti noſtri eſt.

§. 150.

Concurſus ad actionem

Si quis ſolus facere quid non poterat, vel non facere poterat commode, aut tam brevi temporis ſpatio, & tu operas

ras tuas confers; actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris. Quodſi enim ſolus quid facere non poterat, vel non facere poterat commode, aut tam brevi temporis ſpatio, & tu operas tuas confers, absque facto tuo agere non potuiſſet vel ſimpliciter, vel ſaltem non eo modo, quo egit, vel non eo temporis ſpatio, quo actionem abſolvit. Quamobrem cum actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurras, ſi alter absque facto tuo agere non potuiſſet (§. 113.); ſi quis ſolus facere quid non poterat, vel non facere poterat commode, aut tam brevi temporis ſpatio, & tu operas tuas confers; actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris. *alterius mediantibus operis noſtris.*

Tam multiplicia ſunt actionum humanarum genera, ad quas aliena ope indiget homo, ut ampliſſimum campum ingrederemur, ſi de ſingulis agere vellemus. Enimvero ubi principia generalia ſatisfaciunt, ibi opus non eſt, ut ad ſpecialia deſcendamus. Abunde autem ſufficit propoſitio præſens, ut in caſu quocunque animum advertamus ad concurſum, qui in præſtatione operarum conſiſtit. Sed ut rectius intelligatur, demus exempla. Si quis trabem elevaturus vires ſuas non ſufficere experitur, ſolus ad agendum ſibi non ſufficit. Quare ſi vires tuas viribus alterius jungis, & eum in elevanda trabe adjuvas; actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris. Quodſi in elevanda trabe nimis defatigaretur, agere quidem poterat absque opera tua, ſed non adeo commode. Quamobrem ſi denuo eum adjuvas, non minus actu facultatis locomotivæ ad actionem ipſius concurris, quam in caſu altero. Quodſi ſocias præſtas operas agenti, ne ipſe ſolus omnia facere teneatur, quæ ad actionem abſolvendam requiruntur, veluti ſi furi affers ſcalas & ædibus applicas, ut per eas ad feneſtram aſcendere poſſit, ſi res, quas furto aufert, ex feneſtra dejectas tollis & in locum ſecurum exportas; tibi debetur, quod breviori temporis ſpatio furtum committere potuerit, etſi hæc omnia ſolus facere potuiſſet, at-

Digitized by Google

que adeo ad furtum concurris actu facultatis locomotivæ. Nimirum ſi actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris præſtitis operis, aut ea facis, quæ ipſe etiam facere potuiſſet, aut ea, quæ ab ipſo fieri non potuiſſent. In caſu adeo priore concurſus tuus hoc præſtat, ut commodius & breviori temporis ſpatio agere poſſit alter; in poſteriore, ut ſimpliciter agere poſſit. Propoſitio adeo præſens eſt directrix in omni concurſu ad actionem alterius detegendo, qui fit præſtatione operarum. Quoniam in illarum quoque actionum moralitatem inquirendum eſt, quibus ad factum alienum concurrimus; propoſitionis præſentis uſus etiam eluceſcet in condenda theoria Legum naturalium, aut, ſi mavis, Juris naturalis, in qua adeo plura occurrent exempla, quibus ea illuſtratur.

§. 151.

Concurſus ad actionem alterius ope rerum noſtrarum.

Si quis uſum rei ſuæ alteri concedit, vel eandem dat, ut facere poſſit, quod alias facere non poterat, vel non facere poterat adeo commode, aut tam brevi temporis ſpatio; actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurrit. Dare quid alteri, aut uſum rei ſuæ alteri concedere actus externus eſt, adeoque ad facultatem locomotivam pertinet (§. *66. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis uſum rei ſuæ alteri concedit, vel eandem dat, ut facere poſſit, quod alias facere non poterat, vel non facere poterat adeo commode, aut tam brevi temporis ſpatio; ex actu facultatis locomotivæ ipſius intelligitur, cur agere potuerit, conſequenter in eodem aliqua actionis ſuæ ratio continetur (§. *56 Ontol.*). Quoniam itaque ens unum ad actionem alterius concurrit, quatenus in actione ipſius continetur aliquid rationis, cur agat alterum (§. *872. Part. I. Theol. nat.*), qui uſum rei ſuæ alteri concedit, vel eandem dat, ut agere poſſit, actu facultatis locomotivæ ad eandem concurrit.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui uſum rei ſuæ alteri concedit, vel eandem dat, ut facere poſſit, quod alias facere non poterat, vel non poterat facere adeo commode, aut tam brevi temporis ſpatio, evidens eſt, quod alter absque facto tuo agere non potuiſſet. Quamobrem cum actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurrat, qui absque facto tuo agere non potuiſſet (§. 113.); ſi uſum rei tuæ concedis vel eandem das, ut facere poſſit, quod facere non poterat, vel non facere poterat adeo commode, aut tam brevi temporis ſpatio, actu facultatis locomotivæ ad actionem alterius concurris.

Ex. gr. Si alteri uſum gladii tui concedis, quo alterum vulnerat, quem absque gladio vulnerare non poterat; actu facultatis locomotivæ ad vulnerationem concurris. Si alteri mutuo das pecuniam, ut iter facere poſſit, ad iter ejus locomotivæ facultatis actu concurris. Si nummos alteri largiris, ut comœdiæ intereſſe poſſit, ad ejus frequentationem actu facultatis locomotivæ concurris. Vi propoſitionis præſentis facile in quolibet caſu detegitur concurſus, quem alteri præſtas ope rerum tuarum. Quamobrem cum actu externo, qui facultatis locomotivæ eſt (*§. 66. Part. I. Phil. pract. univ.*), aliter ad actionem alterius concurrere nequeas, niſi vel actione, vel re quadam tua, quam vel *das* alteri, vel cujus uſum concedis; propoſitio præſens cum præcedente ſufficit ad inveſtigandum in caſu quolibet dato concurſum omnem, qui facultati locomotivæ tribuitur. Equidem omnis actus facultatis locomotivæ, quatenus in actionum liberarum numero eſt, actus quoque internos intellectus & voluntatis præſupponit, quemadmodum ex adverſo actus internus intellectus & voluntatis influere nequit in actionem alterius niſi accedente actu quodam externo, ſeu facultatis locomotivæ; non tamen hinc colligi poteſt, concurſum ope actus intellectus vel voluntatis & ope actus facultatis locomotivæ factum perperam a ſe invicem diſtingui. Etenim in caſu dato probe conſideran-

S 2 dum

dum eſt, num actus externus qua talis influat in actionem alterius, ut per ſe ad eam nil conferat actus intellectus & voluntatis, a quo is pendet, & num actus intellectus & voluntatis itidem qua talis influat in alterius actionem, ita ut externo actu non ſit opus niſi ad iſtum alteri ſignificandum. Unde omnino neceſſe eſt diſtingui a ſe invicem concurſum, qui fit ope actus cujusdam intellectus, qui fit ope actus cujusdam voluntatis vel etiam noluntatis & qui fit ope actus cujusdam facultatis locomotivæ. Ceterum ex iis, quæ de concurſu poſitivo ad actiones alterius dicta ſunt, etiam intelliguntur ea, quæ de privativo tenenda ſint, ut adeo de hoc diſertius dici non ſit opus.

§. 152.

Concurſus rerum quarumcunque ad actiones hominum.

Si res quæcunque in univerſo actione quadam ſua ad determinandum actualitatem actionis noſtræ quidpiam confert, ea ad actionem noſtram concurrit, & contra. Quodſi enim res quæcunque in univerſo actione quadam ſua ad determinandum actualitatem actionis noſtræ quidpiam confert, ex actione illa intelligitur ex parte, cur actionem quandam commiſerimus vel omiſerimus, conſequenter in illa continetur rationis quidpiam, cur eandem commiſerimus, vel omiſerimus, ubi ſcilicet de privativa ſermo eſt. Quamobrem cum ad actionem alterius entis concurrat ens quodcunque, in cujus actione continetur quidpiam rationis, cur alterum agat (§. *872. Part. I. Theol. nat.*); res quæcunque in univerſo ad actionem noſtram concurrit, quæ actione quadam ſua ad actualitatem actionis noſtræ quidpiam confert. *Quod erat unum.*

Ex adverſo, ſi quæ res in univerſo ad actionem noſtram concurrit, in actione ipſius continetur rationis quidpiam, cur nos agamus (§. *872. Part. I. Theol. nat.*). Enimvero poſita ratione ſufficiente, ponitur etiam id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. *118. Ontol.*), adeo-

Digitized by Google

adeoque actio noſtra non ponitur, niſi poſita actione rei in univerſo. Neceſſe igitur eſt, ut res iſta ad determinandum actualitatem actionis noſtræ aliquid conferat (§. 113. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Principium hoc generale eſt detegendi concurſum rerum ad actiones noſtras, quare is ad circumſtantias rerum pertinere eodem modo intelligitur, quo ſupra evicimus, concurſum perſonarum ad actionem noſtram pertinere ad circumſtantias perſonarum (§. 108.). Exempli loco eſſe poteſt, quod Lutherus eligeret vitam monaſticam, cum in itinere ſocius prope ipſum fulmine tactus obiret. Etenim fulmen actione ſua concurrebat ad electionem vitæ monaſticæ. Similiter, ſi quis terræ ſemen committit, quod pluviam imminere prævidet; pluvia imminens ad actionem ipſius concurrit, quatenus ea terram madefacit, ut ſemen felicius germinare poſſit, & hæc actio pluviæ motivum præbet ſemen nunc absque mora terræ committendi. Nimirum res in hoc univerſo non minus influere poſſunt in actiones noſtras, quam perſonæ aliæ, cum quibus nobis negotium eſt. Atque concurſus iſtius in agendo non minus habenda eſt ratio, quam concurſus perſonarum. Quoniam de rebus in univerſo in genere loquimur, nemo non videt, propoſitionem præſentem intelligendam eſſe non minus de rebus animatis, quæ ſunt animantia bruta, quam inanimatis. Non vero opus eſſe exiſtimamus, ut de concurſu rerum in hoc univerſo ad actiones noſtras ſpecialiora tradamus: neque enim hic ea occurrit diverſitas, quæ in actionibus perſonarum ſpectatur, ſed omnis differentia ex parte noſtri eſt.

§. 153.

Actio dicitur *Factum*, quatenus ea quidpiam ab agente diverſum ad actum perducitur, quod ante non erat. Ut adeo actio ſit vocabulum generale, quod actionem in ſpecie ſic dictam & factum tanquam duas ſpecies ſub ſe *Actionis & facti differentia.*

 com-

Digitized by Google

comprehendit. Unde *Factum omne actio eſt, ſed non actio omnis factum.* Germanice agere eſt thun; facere machen. Sed utrobique inconſtantia loquendi vocabulorum uſus non ſemper accurate diſcernitur.

Ex. gr. Sartor actione ſua ad actum perducit veſtem, ſutor calceum; Orator componit orationem; hortulanus plantat arborem. Hi omnes itaque faciunt aliquid. Aſt qui orat, qui meditatur, qui arborem contemplatur, tantummodo agit. Qui fiſtulam inflat, agit, quatenus eandem inflat, aſt quatenus ſonum producit & certo modo modificat, facit aliquid. Vulgo dicitur, quod is faciat aliquid, qui producit effectum ſenſibilem: enimvero non minus facit, qui effectum producit minime in ſenſus incurrentem, veluti qui alterius animum imbuit doctrina, quatenus actio ad eandem tanquam ad effectum refertur. Quoniam ſubinde neceſſe eſt factum ab actione diſtingui; igitur ejus ab hac differentiam hic exponere viſum eſt.

§. 154.

Inſtrumentum quid ſit. *Inſtrumentum* dicitur res, qua agens utitur ad agendum vel faciendum, ſeu qua mediante agit vel facit, ita ut ſine ea agere vel facere nil poſſit. Quod ſi res fuerit naturalis, *Inſtrumentum* dicitur *naturale;* ſi vero artificialis, *artificiale.*

V. gr. Si pumice lævigamus metallum, pumex dicitur inſtrumentum, cumque is ſit res naturalis, inſtrumentum naturale vocatur. Utimur autem hoc inſtrumento naturali ad aliquid faciendum; quia lævitas eſt effectus, qui ope ejusdem producitur. Malleus & incus ſunt inſtrumenta, quia iisdem utimur ad cudendum ferrum, & quidem artificialia, quia tam malleus, quam incus arte paratur. Utimur autem hiſce inſtrumentis ad aliquid faciendum, quia ferro, dum cuditur, nova inducitur figura, quam antea non habebat, adeoque effectus quidam producitur, qui nondum aderat. Qui fiſtula canit, ad cantum ſuum eandem adhi-

Digitized by Google

adhibet, nec ſine ea hoc modo canere poterat. Eſt igitur ea inſtrumentum, idque artificiale, cum artis opus eſſe fiſtulam nemo ignoret. Quatenus vero qui canit, nil facit, ſed tantummodo agit (§. 153.); inſtrumento hoc utitur ad agendum. Equidem ſubinde vocabulum inſtrumenti ſumitur in ſenſu reſtrictiori pro re, quæ actione quadam ſua concurrit ad actionem agentis, non tamen vi propria agit, ſed vi in ipſo actu aliunde accepta, nimirum ab ipſo agente principali, quemadmodum fieri ſolet, ſi idem pro cauſa efficiente inſtrumentali habetur (*§. 890. 891. Ontol.*): fert tamen non modo communis loquendi uſus, veluti cum incudem inſtrumentum vocent omnes, quam tamen in cudendo ferro nonniſi quieſcere conſtat, ſed etiam, ubi de circumſtantiis agitur, apprime conſultum eſt, ut ſignificatus inſtrumenti amplietur. Qui acutiores fuerint, forſitan regerent, eundem non ampliari, propterea quod incus, dum ferrum malleo cuditur, reagit, reactio autem determinatur vi cudentis, cum ante cudentis actionem nuda inſit incudi reagendi potentia. Sciant igitur, quod nos non habeant refragantes, etſi ad evitandas ſubtilitates, quæ non ſunt ad omnium palatum, reactionis rationem habere noluerimus, ſed ſignificatum latiorem a ſtrictiori diſtinguere maluerimus. Ad ſalvandam tamen univerſalitatem notionum philoſophiæ primæ ejus utique habenda ratio eſt. Et mos hic exemplo Mathematicorum defenditur.

§. 155.

Concurſus inſtrumentorum ad actionem.

Inſtrumenta ad actionem agentis concurrunt. Etenim inſtrumenta eum præbent agenti uſum, ut ſine iis agere vel facere quid minime potuiſſet (§. 554.), conſequenter ex inſtrumenti actione aut reactione intelligitur, cur agens agere potuerit (*not.* § *cit.*), adeoque in actione vel reactione ipſius continetur aliqua ratio, cur agere potuerit (§. *56. Ontol.*). Enimvero ens unum dicitur concurrere ad actionem alterius, quatenus in actione ipſius adeoque

&

comprehendit. Unde *Factum omne actio eſt, ſed non actio omnis factum.* Germanice agere eſt thun; facere machen. Sed utrobique inconſtantia loquendi vocabulorum uſus non ſemper accurate diſcernitur.

Ex. gr. Sartor actione ſua ad actum perducit veſtem, ſutor calceum; Orator componit orationem; hortulanus plantat arborem. Hi omnes itaque faciunt aliquid. Aſt qui orat, qui meditatur, qui arborem contemplatur, tantummodo agit. Qui fiſtulam inflat, agit, quatenus eandem inflat, aſt quatenus ſonum producit & certo modo modificat, facit aliquid. Vulgo dicitur, quod is faciat aliquid, qui producit effectum ſenſibilem: enimvero non minus facit, qui effectum producit minime in ſenſus incurrentem, veluti qui alterius animum imbuit doctrina, quatenus actio ad eandem tanquam ad effectum refertur. Quoniam ſubinde neceſſe eſt factum ab actione diſtingui; igitur ejus ab hac differentiam hic exponere viſum eſt.

§. 154.

Inſtrumentum quid ſit. *Inſtrumentum* dicitur res, qua agens utitur ad agendum vel faciendum, ſeu qua mediante agit vel facit, ita ut ſine ea agere vel facere nil poſſit. Quod ſi res fuerit naturalis, *Inſtrumentum* dicitur *naturale;* ſi vero artificialis, *artificiale.*

V. gr. Si pumice lævigamus metallum, pumex dicitur inſtrumentum, cumque is ſit res naturalis, inſtrumentum naturale vocatur. Utimur autem hoc inſtrumento naturali ad aliquid faciendum; quia lævitas eſt effectus, qui ope ejusdem producitur. Malleus & incus ſunt inſtrumenta, quia iisdem utimur ad cudendum ferrum, & quidem artificialia, quia tam malleus, quam incus arte paratur. Utimur autem hiſce inſtrumentis ad aliquid faciendum, quia ferro, dum cuditur, nova inducitur figura, quam antea non habebat, adeoque effectus quidam producitur, qui nondum aderat. Qui fiſtula canit, ad cantum ſuum eandem adhi-

Digitized by Google

adhibet, nec ſine ea hoc modo canere poterat. Eſt igitur ea inſtrumentum, idque artificiale, cum artis opus eſſe fiſtulam nemo ignoret. Quatenus vero qui canit, nil facit, ſed tantummodo agit (§. 153.); inſtrumento hoc utitur ad agendum. Equidem ſubinde vocabulum inſtrumenti ſumitur in ſenſu reſtrictiori pro re, quæ actione quadam ſua concurrit ad actionem agentis, non tamen vi propria agit, ſed vi in ipſo actu aliunde accepta, nimirum ab ipſo agente principali, quemadmodum fieri ſolet, ſi idem pro cauſa efficiente inſtrumentali habetur (§. 890. 891. *Ontol.*): fert tamen non modo communis loquendi uſus, veluti cum incudem inſtrumentum vocent omnes, quam tamen in cudendo ferro nonniſi quieſcere conſtat, ſed etiam, ubi de circumſtantiis agitur, apprime conſultum eſt, ut ſignificatus inſtrumenti amplietur. Qui acutiores fuerint, forſitan regerent, eundem non ampliari, propterea quod incus, dum ferrum malleo cuditur, reagit, reactio autem determinatur vi cudentis, cum ante cudentis actionem nuda inſit incudi reagendi potentia. Sciant igitur, quod nos non habeant refragantes, etſi ad evitandas ſubtilitates, quæ non ſunt ad omnium palatum, reactionis rationem habere noluerimus, ſed ſignificatum latiorem a ſtrictiori diſtinguere maluerimus. Ad ſalvandam tamen univerſalitatem notionum philoſophiæ primæ ejus utique habenda ratio eſt. Et mos hic exemplo Mathematicorum defenditur.

§. 155.

Inſtrumenta ad actionem agentis concurrunt. Etenim inſtrumenta eum præbent agenti uſum, ut ſine iis agere vel facere quid minime potuiſſet (§. 554.), conſequenter ex inſtrumenti actione aut reactione intelligitur, cur agens agere potuerit (*not.* § *cit.*), adeoque in actione vel reactione ipſius continetur aliqua ratio, cur agere potuerit (§. 56. *Ontol.*). Enimvero ens unum dicitur concurrere ad actionem alterius, quatenus in actione ipſius adeoque *Concurſus inſtrumentorum ad actionem.*

&

& in reactione ejuſdem continetur aliquid rationis, cur agat alterum (§. *872. Part. I. Theol. nat.*). Inſtrumenta igitur ad actionem agentis concurrunt.

Concurſum hic eodem modo extendimus, quo notionem inſtrumenti ampliavimus (*not.* §. *154.*), reactionem habentes pro ſpecie actionis, quod a veritate minime abhorret. Uſus autem inſtrumenti in ipſa actione vel reactione conſiſtit, quæ vi agentis & ad actionem ſuam inſtrumentum adhibentis determinatur: quod nemo non admittit. Concurrit adeo inſtrumentum ad actionem agentis uſu ſuo, quem eidem præbet. Ita malleus concurrit ad actionem cudentis ferrum, quatenus eodem ferrum contunditur, & incus ad eandem concurrit, quatenus contuſioni reſiſtit, ut vis contundentis in ferrum cudendum impendatur, id quod ſine reactione actioni cudentis æquali fieri minime poterat, ſi quod tunditur corpori molli imponatur, quod tuſioni cedit.

§. 156.

Quod is ad circumſtantias pertineat.

Concurſus inſtrumentorum ad actionem agentis ad circumſtantias rerum pertinet. Etenim inſtrumenta eum præbent agenti uſum, ut ſine iis agere vel facere quid minime potuiſſet (§. 154.), conſequenter ad actionem abſolvendam aliquem ſui præbent uſum, ſicque ad actionem iſtam concurrunt (§. 155.). Enimvero cum concurſus iſte determinatio extrinſeca ſit (§. 94.) & determinatio extrinſeca, quæ agenti ad actionem aliquam abſolvendam aliquem præbet uſum, circumſtantia eſt (§. 102.); concurſus inſtrumentorum ad actionem agentis circumſtantia eſt. Quoniam vero inſtrumenta ſunt res (§. 154.), & circumſtantiæ, quæ deſumuntur a rebus, rerum circumſtantiæ ſunt (§. 98.); concurſus inſtrumentorum ad actionem agentis ad circumſtantias rerum pertinet.

Sub-

Digitized by Google

Subinde nonnulli ipſa inſtrumenta ad circumſtantias referunt; ſed vaga locutione. Neque enim in circumſtantiis expendendis eorum habetur ratio, niſi quatenus in actionem influunt. Influunt autem nonniſi uſu ſuo, in quo eorum concurſus conſiſtit (§. 154.), adeoque circumſtantia eſt, quod hunc concurſum præſtiterit inſtrumentum, quemadmodum concurſus alterius ad actionem tuam circumſtantia eſt (§. 108.).

§. 157.

Quod concurſus rerum in univerſo ad actionem noſtram ſit circumſtantia.

Concurſus rerum in univerſo ad actiones noſtras ad circumſtantias rerum pertinet. Quoniam actio, qua res quæcunque in univerſo ad actionem noſtram concurrit (§. 152.), determinatio extrinſeca eſt (§. 94.); omnis autem determinatio extrinſeca ad actionem noſtram quomodocunque concurrens circumſtantia eſt (§. 102.): concurſus rerum in univerſo ad actiones noſtras circumſtantia eſt. Et quia circumſtantiæ rerum ſunt, quæ a rebus deſumuntur (§. 98); concurſus rerum in univerſo ad actiones noſtras ad circumſtantias rerum pertinet.

Inſtrumenta naturalia ſub rebus in univerſo ad actiones noſtras concurrentibus continentur, atque adeo pars propoſitionis præcedentis ſub præſente continetur. Ceterum cum perinde ſit ſive perſona quædam alia, ſive res quædam in univerſo ad actionem noſtram concurrat, ex eo, quod concurſus perſonæ cujusdam ad actionem noſtram ad circumſtantias pertinet (§. 108.), colligi poterat, concurſum quoque rerum quarumcunque in hoc univerſo ad eandem inter circumſtantias referendum eſſe.

§. 158.

Occaſio quid ſit.

Occaſio eſt oblatio circumſtantiarum, ob quas fieri poteſt, ut agens tunc actu agat, vel ut actio facilius aut commodius tunc abſolvatur.

Digitized by Google

Occaſio dum ſeſe offert agendi, a nemine non agnoſcitur; ubi vero explicari debet, quid ſit, tantum non hæſitant omnes. Apparet hoc ex definitionibus, quas congeſſit *Goclenius* noſter in Lexico Philoſophico. Occaſionem definit per opportunitatem loci vel temporis. Sed ipſe dubium movet, quod haud raro occaſio multis ſtudiis quæratur, adeoque definitio anguſtior ſit definito. Addi poteſt, quod non tam tempus, vel locus offerat occaſionem, ſed alia potius, quæ iſto tempore, vel loco adſunt, ut agens commode ac facile, vel etiam ſimpliciter agere poſſit. *Piſcatori* occaſio eſt tempeſtivitas ſeu opportunitas agendi caſu oblata: quæ definitio eodem laborat defectu, quem in anteriore notat *Goclenius*. Immo non clarius intelligitur, quid ſit tempeſtivitas vel opportunitas agendi, quam quid ſit occaſio. *Melanchthon* occaſionem eſſe ait cauſam minus principalem, vel aliquam levem, vel circumſtantiam temporis & loci, quæ agentibus facultatem præbet: quæ definitio ad veritatem propius accedit, non tamen ſatis intelligitur, niſi per noſtram explicetur. *Beuthuſius* eandem definit per argumenti fructum, quod ea poſſit eſſe e cauſis, effectis, ſubjectis adjunctis, & ceteris etiam argumentis; *Scaliger* per tempeſtivitatem, quæ cauſam circumſtat; *Plato* per florem ipſum temporis, rebus agendis conferentem tempus bonum quandam ferens opem; *Franciſcus Patritius* per id, quod negotio omnia recte perficit; *Polanus* per cauſam per accidens, quæ præter naturam ſuam aliquid cauſat, cum non ſit ſua natura deſtinata, nec feratur ad hunc effectum producendum; *Petrus Martyr* per momentum temporis, quod ad rem faciendam, ſeu facile expediteque producendam ad finem magnam præbet commoditatem. Sed quis non videt, definitiones iſtas, etſi ab obſcuritate receſſeris, qua laborant, non ſatisfacere in omni caſu, ubi occaſionem agendi adeſſe nemo non agnoſcit? Sed agedum definitionem noſtram exemplis illuſtremus. Si quis in Academia ſtudiis operam navare tenetur, ubi quæ ad Matheſin ſublimiorem ducunt, non docentur, nec librorum mathematicorum copia haberi poteſt; occaſio diſcendi Matheſin ſublimiorem deeſſe dicitur. Ecquis vero non videt, deficere

Digitized by Google

deficere hic circumſtantias, quæ ad Matheſin ſublimiorem addiſcendam requiruntur? Occaſionem adeo non eſſe aliud, niſi oblationem circumſtantiarum, ob quas agens actu agat, in præſenti caſu patet. Ponamus exempli loco, te ſtudiis operam dare in Academia, ubi philoſophia ſolide ac perſpicue docetur, ita ut juxta alia, quæ diſcenda ſunt, omnes philoſophiæ partes commode ac facile addiſcere poſſis; nemo non affirmabit, eſſe tibi occaſionem addiſcendi philoſophiam. Patet denuo, occaſionem hic in eo conſiſtere, quod tales adſint circumſtantiæ, quæ ad actionem facile ac commode abſolvendam requiruntur. *Goclenius* furandi occaſionem exempli loco affert, ſi quis ſcilicet ſolus & maxime in tenebris opes alienas ſibi expoſitas habet, ut nemine ſentiente auferre eas alioque transferre poſſit. Adſunt hic circumſtantiæ, ob quas furtum facile ac commode committi poteſt. Occaſio igitur non conſiſtit, niſi in eo, quod tales offerantur circumſtantiæ, ob quas actio facile ac commode abſolui poteſt. Similiter nemo diffitetur, fuiſſe Davidi occaſionem occidendi Saulis, cum in ſpelunca ſolum dormientem deprehenderet, ut ipſo minime ſentiente alam pallii ejus abſcinderet. Ecquis vero non videt, in hoc etiam caſu occaſionem conſtitiſſe in oblatione illarum circumſtantiarum, quæ ad actionem facile ac commode abſolvendam requiruntur? Exempla abunde loquuntur, definitionem noſtram clare ac perſpicue explicare, quid ſit occaſio? Occaſionis magnum momentum eſt in moralibus & in omnibus negotiis humanis. De notione itaque diſtincta & fœcunda ejus nobis erat cogitandum, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod apprime uſui eſſe poteſt.

§. 159.

Circumſtantiæ, quæ faciunt, ut agens actu agere, vel actionem facilius & commodius abſolvere poſſit, dicuntur *favorabiles*. Unde ex aduerſo *minus favorabiles* ſunt, quæ faciunt, ut agens actionem difficulter & parum commode abſolvere poſſit. *Adverſæ* autem vocantur circumſtantiæ, quæ obſtant, quo minus agere poſſis.

Favorabiles & minus favorabiles circumſtantiæ, item adverſæ.

Digitized by Google

Exempla circumſtantiarum favorabilium ſunt ea, quæ ad illuſtrandam definitionem occaſionis in medium attulimus (*not.* §. 158.). Ita circumſtantiæ favebant Davidi, quod Saulem ſolum et profundo ſomno oppreſſum in ſpelunca deprehenderet, ad eum interficiendum. Inde vero etiam intelligitur, quænam circumſtantiæ ſint minus favorabiles. Nimirum Davidi non faviſſent circumſtantiæ, ſi Saulus in ſpelunca non fuiſſet ſolus, & ſaltem is, qui penes eum erat, non dormiviſſet, aut, ſi ſolus in ſpelunca dormiens, Davide in eam ingreſſuro, expergefactus fuiſſet. Adverſæ prorſus fuiſſent circumſtantiæ, ſi excubitores aditum ad ſpeluncam præcluſiſſent.

§. 160.

Occaſionis brevior definitio.

Quoniam occaſio eſt oblatio circumſtantiarum, ob quas fieri poteſt, ut agens tunc actu agat, vel ut actionem facilius et commodius abſolvat (§. 158.), circumſtantiæ autem favorabiles ſunt, quæ faciunt, ut agens actu agere, vel actionem nunc facilius & commodius abſolvere poſſit (§. 159.); *Occaſio eſt oblatio circumſtantiarum favorabilium agendi.*

Definitio hæc brevior eſt anteriore, quia ſupponit definitionem circumſtantiarum favorabilium, adeoque ob uſum termini: reipſa autem cum anteriore coincidit. Hunc tamen præſtat uſum, ut memoriæ facilius infigatur, eademque retineatur.

§. 161.

Quando occaſio deficiat.

Hinc conſequitur, *deficientibus circumſtantiis favorabilibus*, conſequenter, multo magis *præſentibus minus favorabilibus, deficere occaſionem.*

Conformia hæc ſunt notioni communi: id quod patet, ſi ad communia de occaſione deficiente judicia animum advertas. Unde etiam colligitur, definitionem noſtram occaſionis eſſe notioni

Digitized by Google

tioni communi conformem, & diſtincte explicare, quod in communi confuſa continetur.

§. 162.

Et quoniam circumſtantiæ adverſæ obſtant, quo minus agens actu agere poſſit (§. 159.), occaſio autem requirit circumſtantias, quæ minime obſtant, ſed ad agendum, immo ad facile & commode agendum (§. 158.); *occaſio agenti adverſa eſt, ſi adverſæ ſeſe offerunt circumſtantiæ.*

Quando occaſio adverſa.

Nec hoc a communi loquendi uſu abhorret, ſaltem in vernacula noſtra, qua in caſu propoſitionis præſentis dicere ſolemus: Wir haben gantʒ wiedrige Gelegenheit gehabt, hoc eſt, occaſionem agendi nobis fuiſſe adverſam.

§. 163.

Occaſio non eſt in poteſtate agentis. Occaſio enim non eſt niſi oblatio circumſtantiarum favorabilium (§. 160.). Enimvero nemo non novit, ut tales potius, quam aliæ ſint circumſtantiæ, & ut hæ potius, quam aliæ concurrant, ſeu ſimul ſeſe nobis offerant, non a noſtra dependere voluntate, ſeu in noſtra non eſſe poteſtate poſitum, efficere, ut hæ potius ſint circumſtantiæ, quam aliæ. Occaſio igitur in poteſtate agentis non eſt.

Occaſio num ſit in noſtra poteſtate.

E. gr. Si quis ad munus aliquod obeundum fuerit maxime aptus, ut cum ſucceſſu idem ambiat, neceſſe eſt ut Patronus, a cujus voluntate pendet collatio, velit digniſſimum eidem præficere, ut præterea habeat fautorem, cujus commendationi plenam fidem tribuit Patronus. Sed ut Patrono ea ſit voluntas, ut fautore iſtiusmodi gaudeat, in ipſius poteſtate poſitum non eſt: Quamobrem ubi contingit talem patronum, talemque fautorem reperiri ab eo, qui munus, quod vacat, ambit; fortunæ acceptum refertur, quæ hanc agenti occaſionem ſubminiſtrat. Ita occaſio interficiendi Saulum, qui in ſpelunca profundo ſomno oppreſſus jacebat, non pendebat a voluntate Davidis, in cujus

Digitized by Google

quippe poteſtatę poſitum non erat efficere, ut Saulus ſolus ſpeluncam ingrederetur, ibique ſomno indulgeret, utque ſomnus eſſet profundus. Atque hinc factum eſt, ut occaſio caſui tributa a multis (*not.* §. 158.). Exceptio *Goclenii* contra caſum ſupra allata quid valeat, ex ſequente intelligitur propoſitione.

§. 164.

Quinam occaſionem ſtudio quærat.

Qui omnem adhibet operam, ut circumſtantias favorabiles detegat agendi; occaſionem ſtudio quærit. Etenim occaſio in oblatione circumſtantiarum favorabilium agendi conſiſtit (§. 160.). Quamobrem qui omnem adhibet operam, ut circumſtantias favorabiles agendi detegat; is occaſionem detegere ſtudet, conſequenter eam ſtudio quærit.

Hinc patet occaſionem ſtudio quæri poſſe, atque adeo etiam offerri ſtudio quærenti, etſi concurſus iſte circumſtantiarum, in quo occaſio conſiſtit (§. 160.), ſit extra poteſtatem agentis. Unde *Goclenii* exceptio, de qua diximus (*not.* §. 163.), propoſitionem præcedentem minime ferit: ea enim eos tangit, qui ipſam circumſtantiarum favorabilium oblationem caſui tribuunt, non vero earundem actum & concurſum. Atque id ſatis congruit menti veterum, qui occaſionem fronte capillatam dixere, vt excitarent ſtudium quærendi; poſthac vero calvam, ut indigitarent eam eſſe extra poteſtatem agentis. Nemo dubitat, fortunam eſſe in numero eorum, quæ poteſtati noſtræ ſubjecta non ſunt: omnes tamen reprehendunt ſoporem eorum, qui fortunam quærere negligunt, perinde ac illorum oſcitantiam, qui ad oblatam animum minime advertunt. Occaſio, ſicuti fortuna, non minus caſu offertur non cogitanti de ea, quam eandem quærenti. Modus tamen, quo tibi offertur, occaſionem in ſe non variat. Occaſionem quærere in noſtra poteſtate eſt, ſed eam invenire extra eandem poſitum. Unde etiam fruſtra quærimus occaſionem, quæ nulla datur; aut ubi latentem detegere minime valemus.

§. 165.

Digitized by Google

§. 165.

Occaſionem ſtudio quæſiturus & noſſe debet, quænam ſint in eo genere actionis, quam meditatur, circumſtantiæ favorabiles agendi, & inquirere tenetur, ubinam & quando hæ circumſtantiæ reperiantur. Etenim occaſio conſiſtit in oblatione circumſtantiarum favorabilium agendi (§. 160.), & qui eam ſtudio quærit, circumſtantias iſtas detegendi omnem adhibet operam (§. 164.). Quoniam igitur eaſdem agnoſcere debemus, ſi quidem nobis offeruntur, & quod quærimus non ignotum eſſe debet; igitur neceſſe eſt, ut occaſionem quæſiturus noſcat, quænam ſint in eo genere actionis, quam meditatur, circumſtantiæ favorabiles agendi: id quod nemo non admittit, & principiorum logicorum gnarus admittere tenetur. Enimvero cum circumſtantiæ iſtæ actu adeſſe debeant, occaſione præſente (§. 160.); porro requiritur, ut hanc quæſiturus inquirat, ubinam & quando circumſtantiæ iſtæ reperiantur.

Quomodo occaſio ſtudio quæratur.

Nimirum occaſio agnoſcitur hoc Syllogismo:
Si hæ adſint circumſtantiæ, occaſio agendi adeſt,
Atqui hæ circumſtantiæ hic & nunc adſunt,
Ergo hic & nunc adeſt occaſio agendi.

Qui occaſionem adeo quærit, ante noſſe debet, propoſitionem conditionalem, ſi hæ adſint circumſtantiæ, occaſio agendi adeſt, ut num hic & nunc ponatur antecedens judicare queat. Deinde vero inquirit, ubinam & quando reperiantur circumſtantiæ iſtæ, ut judicare valeat: hic & nunc ponuntur circumſtantiæ iſtæ. Incipit ergo a theoria, quam vel aliunde notam poſſidet, vel proprio Marte detegere tenetur: deinde partim a priori, partim a poſteriori detegere conatur, ubinam & quando circumſtantiæ iſtæ actu adſint, pro earum diuerſitate & cognitionis ſuæ modulo.

§. 166.

Digitized by Google

§. 166.

Quinam occaſionem agendi arripiat.

Qui circumſtantiis favorabilibus agendi obviis in rem ſuam utitur, is occaſionem arripit. Etenim cum occaſio in oblatione circumſtantiarum favorabilium agendi conſiſtat (§. 160.); qui circumſtantiis favorabilibus agendi obviis in rem ſuam utitur, is occaſionem elabi minime patitur, conſequenter eam arripit.

Poteramus propoſitionem præſentem ſumere pro definitione nominali arripiendæ occaſionis, cum ex ipſa notione occaſionis pateat, eam aliter arripi non poſſe, quam ſi agamus, ubi circumſtantiæ favorabiles agendi adſunt, adeoque iisdem in rem noſtram utamur. Etenim ſi circumſtantiæ favorabiles agendi adſunt, aut iisdem utimur, aut non utimur. Si non utimur, occaſionem elabi patimur, moram nobis nocuam nectentes. Quodſi ergo utamur iisdem, eam arripimus.

§. 167.

Quomodo occaſio agendi arripiatur.

Occaſionem arrepturus ſollicite obſervare debet circumſtantias obvias, easque ad actionem ſuam referre. Cum enim occaſio in circumſtantiarum favorabilium oblatione agendi conſiſtat (§. 160.); occaſio agendi adeſſe non intelligitur, niſi perſpectæ nobis ſint circumſtantiæ præſentes, & eas eſſe favorabiles agnoſcamus. Quamobrem ut agens intelligat, adeſſe occaſionem, circumſtantias obvias & ſollicite obſervare, & quomodo ſeſe habeant ad actionem ſuam (§. 159.) iniquirere, conſequenter eas ad actiones ſuas referre tenetur. Enimvero per ſe patet, quod nemo occaſionem arripere queat, niſi qui eam adeſſe agnoſcit. Eam igitur arrepturus obſervare debet & circumſtantias obvias, easque ad actiones ſuas referre.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Qui circumſtan-

ſtantias ſollicite obſervat obvias, easque ad actiones ſuas refert, is judicare valet, num faciant, ut nunc vel ſimpliciter agere, vel ut facilius & commodius agere poſſit, conſequenter utrum circumſtantiæ ſint favorabiles, nec ne (§. 159.). Enimvero qui circumſtantiis favorabilibus agendi obviis in rem ſuam uti vult, noſſe utique debet circumſtantias adeſſe favorabiles: id quod per ſe patet, & ex principiis quoque pſychologicis liquet (§. *930. Pſych. empir.*). Quoniam itaque occaſionem arripit, qui circumſtantiis favorabilibus agendi obviis in rem ſuam utitur (§. *166.*); occaſionem arrepturus circumſtantias obvias ſollicite obſervare, easque ad actiones ſuas referre tenetur.

Non nego judicium, num actiones obviæ huc faciant, ut vel ſimpliciter, vel ut facile ac commode agere poſſis, conſequenter utrum ſint favorabiles, nec ne (§. 159.), ratiocinio colligi, adeoque ſupponere principium, quod tales circumſtantiæ, quales nunc obviæ ſunt, ſint favorabiles. Opus nimirum occaſionem arrepturo eodem eſt Syllogismo, quo utitur eandem quæſiturus (*not.* §. 165.). Sed quemadmodum occaſionem quæſiturus primum cogitat de principio, deinde vero inquirit, num iſtiusmodi circumſtantiæ adſint, quæ ad agendum ſimpliciter, vel ad facile & commode agendum requiruntur; ita ex adverſo occaſionem arrepturus primum animum advertit ad circumſtantias obvias, & deinde de principio cogitat, vi cujus de favorabilitate earundem ſtatuit. Principia iſta vel ex Philoſophia practica nobis eſſe debent perſpecta; vel experientia innotuere, rerum practicarum magiſtra. Et qui propriis oculis videre nequit, is uti debet alienis. Abſonum vero foret, ſi quis omnium negotiorum humanorum theoriam completam in Philoſophia practica univerſali requireret, notionibus directricibus contenta, quarum indolem atque uſum expoſuimus in Horis ſubſecivis A. 1729. Trim. Vern. num. IV.

Digitized by Google

§. 168.

Animum agendi quinam habent.

Animum agendi habere dicitur qui actionem aliquam committere decrevit, adeoque voluntatem ſuam ad agendum jam determinavit (§ *497. Part. I. Theol. nat.*): ut adeo *Animus agendi* ſit voluntas ad agendum determinata.

Ita animum occidendi habere dicitur, qui alterum interficere vult, adeoque voluntatem ſuam ad homicidium committendum jam determinavit, antequam alterum aggreditur, vel etiam in ipſo aggreſſionis actu determinat. Similiter animum ſcortandi habet, qui ſcortari vult, adeoque voluntatem ſuam ad hoc ſcelus committendum jam determinavit: ſit ita, quod quædam obſtent, quo minus actu committat. Animus enim agendi absque actu externo ſubſecuto ſubſiſtere poteſt.

§. 169.

Quando animus ad agendum diſpoſitus.

Animus ad agendum diſpoſitus dicitur, ſi in promptu ſint motiva, per quæ oblata agendi, vel de actione cogitandi occaſione voluntas ad agendum determinatur. *In promtu* autem *ſunt motiva*, quæ animum ſtatim ſubeunt, ubi de actione incidit cogitatio.

Ex. gr. Animus ad ſcortandum diſpoſitus eſt, ubi motiva eum ſtatim ſubeunt, per quæ voluntas ad ſcortandum determinatur, ſiquidem occaſio ſcortandi vel de ſcortatione cogitandi offertur.

§. 170.

Quando occaſio caſu offeratur.

Si de actione quadam non cogitanti circumſtantiæ favorabiles agendi offerantur, occaſio caſu offertur. Etenim qui de actione quadam non cogitat, is nec de circumſtantiis favorabilibus ad agendum ſollicitus eſt (§. 159.). Quamobrem cum nec ipſe eo fine quicquam agat, ut circumſtantiæ favorabiles ipſi offerantur, nec præterea cauſæ, a qui-

Digitized by Google

quibus oblatio circumſtantiarum iſtarum pendet, ideo agant, ut id fiat; quæcunque cauſæ ad oblationem circumſtantiarum favorabilium concurrunt, alterius cauſa agunt. Concurſus cauſarum ad effectum alterius gratia agentium caſus eſt (§. *460. Part. II. Theol. nat.*). Circumſtantiæ igitur agendi favorabiles de actione non cogitanti caſu offeruntur. Quoniam itaque oblatio circumſtantiarum favorabilium agendi occaſio eſt (§. 158.); ſi de actione quadam non cogitanti circumſtantiæ agendi favorabiles offeruntur, occaſio caſu offertur.

Ita ſi quis de ſcortatione non cogitans in diverſorio offendit fœminam, quæ ipſum allicit ad ſcortandum; ſcortandi occaſio caſu offertur. Adeſſe enim hic ſcortandi occaſionem nemo diffitetur, & ex definitione occaſionis atque circumſtantiarum favorabilium liquet (§. 158. 159.). Ceterum ex propoſitione præſente intelligitur, quandonam caſu incidamus in occaſionem, & cur ſubinde ejus oblatio caſui ſit tribuenda. Patet etiam, aliam eſſe quæſtionem, qua quæritur, num circumſtantiarum favorabilium concurſus, in quo occaſio conſiſtit (§. 160.), caſui ſit tribuendus, aliam vero eſſe eam, qua quæritur, num in occaſionem caſu incidamus. De poſteriori intelligenda eſt exceptio, quam contra caſum in occaſione affert *Goclenius* (*not.* §. *158.*).

§. 171.

Qui animum agendi habet, vel ſaltem animum ad agendum diſpoſitum; eum occaſio ad agendum impellit. Qui enim animum habet agendi, ejus voluntas ad agendum jam determinata eſt (§. 168.). Quamobrem ſi circumſtantiæ ipſi offerantur quomodocunque, ob quas jam actu agere, vel etiam facile ac commode agere poteſt, adeoque favorabiles agendi circumſtantiæ (§. 159.); non modo nil amplius obſtat, quo minus jam actu agat, verum etiam circumſtantiis *Quemnam occaſio ad agendum impellat.*

 præ-

Digitized by Google

præſentibus, præſertim in caſu poſteriori permovetur, ut jam actu agat. Enimvero circumſtantiæ, ob quas fieri poteſt, ut agens nunc actu agat, vel etiam facile & commode agat, favorabiles ſunt (§. 159.), & circumſtantiarum fauorabilium agendi oblatio occaſio eſt (§. 160.). Patet itaque occaſionem ad agendum impellere eum, qui animum agendi habet. *Quod erat unum.*

Cujus animus ad agendum diſpoſitus eſt, ei in promptu ſunt motiva, per quæ oblata agendi occaſione voluntas ad agendum determinatur (§. 169.). Quodſi ergo ipſi occaſio agendi offeratur, de actione cogitatio incidit, conſequenter cum motiva in promptu ſint, ea animum ejus ſubeunt (§. *cit.*), atque adeo voluntas ad agendum determinatur (§. *932. Pſych. empir.*). Quamobrem cum quis animum agendi habeat, cujus voluntas ad agendum determinata eſt (§. 168.); quam primum occaſio agendi offertur ei, cujus animus ad agendum diſpoſitus eſt, idem quoque agendi animum habet. Enimvero ſi occaſio præſens eſt ei, qui animum agendi habet, eadem ad agendum impellitur, (*per demonſtrata*). Patet itaque occaſionem agendi oblatam ad agendum quoque impellere eum, qui animum ad agendum diſpoſitum habet. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Occaſio furandi offertur furi, ſi ſolus & maxime in tenebris opes alienas ſibi expoſitas habet, ut nemine ſentiente auferre eas alioque transferre poſſit. Quoniam fur animum furandi habet, quin occaſio oblata ipſum impellat ad furtum committendum, nemo eſt qui dubitat. Ponamus vero Titium nondum equidem decreviſſe, quod furtum committere velit, adeoque animum furandi nondum habere; in promptu tamen eſſe motiva, per quæ voluntatem ad furtum committendum determinare poſſit, veluti quod rem quandam lubenter habere vellet, deſint tamen nummi, ut eam emere poſſit, eumque a furto committ-

mit-

Digitized by Google

mittendo non habere animum alienum. Quodſi jam offertur occaſio rem iſtam nemine ſentiente in loco peregrino, ubi non diu commoratur, auferendi & ſecum aliorſum transferendi, quin eum occaſio ad furtum committendum impellat, denuo non facile quisquam dubitabit. Quamvis vero occaſio ad agendum impellat, non tamen ad agendum neceſſitat, cum impulſui reſiſtere poſſit, qui libere agit homo. Sed qui animum agendi habet, aut eum ſaltem ad agendum diſpoſitum, is reſiſtere non vult, adeoque cedit impulſui.

§. 172.

Qui animum agendi, vel ſaltem ad agendum diſpoſitum habet, is occaſionem arripit. Etenim qui animum agendi, vel ſaltem ad agendum diſpoſitum habet, eum occaſio ad agendum impellit (§. 171.), conſequenter cum occaſio in oblatione circumſtantiarum favorabilium agendi conſiſtat (§. 160.), circumſtantiis iſtis utitur in rem ſuam. Enimvero qui circumſtantiis favorabilibus agendi obviis in rem ſuam utitur, is occaſionem arripit (§. 166.). Ergo qui animum agendi habet, vel cujus animus ſaltem ad agendum diſpoſitus eſt, is occaſionem arripit. *Quinam occaſionem arripiant.*

Atque adeo patet, quænam in agente præſupponantur, ut occaſionem oblatam arripiat, & circumſtantiis iſtis favorabilibus utatur. Exempla, quæ dedimus (*not.* §. 171.) id ſatis declarant. Et alia quotidie obvia ſunt, ut non opus ſit, niſi animum ad ea adverti.

§. 173.

Quoniam conſuetudo agendi conſiſtit in habitu agendi ex determinatione præterita (§. *923. Pſych. empir.*), adeoque qui ex conſuetudine agit, animum agendi jam habet, dum occaſio offertur (§. 168.), qui vero animum agendi habet, occaſionem oblatam ſibi arripit (§. 172.): ideo patet, *Conſuetudo agendi quid faciat ad occaſionem.*

patet, *eum occaſionem arripere, qui ex conſuetudine agit, ſeu agendi conſuetudinem contraxit.*

Non exigui momenti eſt in praxi morali, ut conſtet, quinam ſint illi, qui occaſionem oblatam avide arripiunt. Quamobrem conſultum eſt, ut id doceamus, ubi de occaſione agendi nobis dicendum. Quoniam vero animus agendi confirmatus eſt, ubi ex conſuetudine agitur, ita ut voluntas agendi conſtans & perpetua ſit; qui conſuetudinem agendi jam contraxit, multo quoque avidius occaſionem arripit, quam alius, cui quidem jam animus agendi eſt, nulla tamen adhuc agendi conſuetudo. Poteramus hoc uberius demonſtrare, ſufficiunt enim demonſtrationi abunde notiones conſuetudinis agendi & voluntatis conſtantis ac perpetuæ atque animi agendi, a nobis ſatis evolutæ (*§. 923. Pſych. empir. §. 1062. Part. I. Theol. nat.* & *§. 168. h.*). Tenendum vero, rationem jam non haberi eorum, quæ ex accidente ſuperveniunt, ex aliis principiis dijudicanda, quæ ſuo loco traduntur, & ab eo, qui ſatis circumſpectum ſeſe præbet, facile applicanda in caſu quolibet obvio. In actiones hominum multa admodum influunt, quemadmodum jam alias monuimus, & haud raro actiones diverſæ inter ſe colliduntur, ut exceptione ſit opus (*§. 510. Ontol.*), ſicque voluntas agentis ita determinatur, ut in agendo parum ſibi conſtet agens. Quamobrem quæ certa ſunt & explorata ab iis, qui de rebus nonniſi per tranſennam conſpectis judicare ſolent, in dubitationem adducuntur. Sed judicia iſtiusmodi præcipitata nullo loco habenda ſunt.

§. 174.

Quinam animum agendi habeant.

Qui occaſionem agendi quærit, animum agendi habet. Etenim qui occaſionem agendi quærit, is agere vult: alias enim agendi occaſionem non quæreret (§. 158.). Qui agere vult, ejus voluntas ad agendum jam determinata eſt (§. *112. Ontol.*). Quoniam itaque agendi animum habet is, cujus

cujus voluntas ad agendum jam determinata eſt (§. 168.); qui occaſionem agendi quærit, animum agendi habet.

Non licet propoſitionem invertere, quod qui animum agendi habet, occaſionem quærat: neque enim hoc obtinet ſemper. Dantur nimirum rationes complures, cur quis habeat animum agendi, non tamen quærat agendi occaſionem, pro varietate actionum & agentium plurimum variantes. Immo ſubinde videas defectum occaſionis moleſtum eſſe iis, qui agendi animum habent, nec tamen eo ad illam quærendam impelli.

§. 175.

Qui occaſionem agendi quærat.

Qui animum agendi habet, & affectu quodam ad agendum ſtimulatur; occaſionem agendi quærit. Etenim qui animum agendi habet, ejus voluntas ad agendum determinata eſt (§. 168.), adeoque agere vult. Quodſi ergo præterea affectu quodam ad agendum ſtimulatur, voluntatem quoque ſuam ipſo opere exequi vult. Quamobrem cum hoc fieri minime poſſit, niſi adſint circumſtantiæ, ob quas fieri poteſt, ut actu agat, in harum vero circumſtantiarum oblatione occaſio conſiſtat (§. 158.); qui animum agendi habet,& affectu quodam ad agendum ſtimulatur,occaſionem quærit.

Ex gr. Qui animo vindictæ cupido alterum injuria afficere decrevit, & cupidine vindictæ ad hoc faciendum ſtimulatur, is quoque occaſionem quærit injuria alterum afficiendi. Similiter qui ſcortandi animum habet, atque æſtu venereo ad ſcortandum ſtimulatur; occaſionem ſcortandi quærit.

§. 176.

Idem ulterius expenditur.

Qui animum agendi habet, & ſecundum rationem actiones ſuas moderatur; is occaſionem quærit. Etenim qui agendi animum habet, ejus voluntas ad agendum jam determinata

minata eſt (§. 168.), adeoque agere vult (§. *112. Ontol.*). Quodſi ergo ſecundum rationem actiones ſuas moderatur, probe etiam perpendit, ut actu agat, adeſſe debere circumſtantias, per quas fieri poteſt, ut agat; conſequenter præſto eſſe debere agendi occaſionem (§. 158.). Quamobrem cum agnoſcat occaſionem eſſe quærendam, quin eam quærat dubium non eſt. Atque adeo patet, eum, qui animum agendi habet, & ſecundum rationem actiones ſuas moderatur, occaſionem agendi quærere.

Alii actiones ſuas affectuum impetu, alii ratione moderantur. Quod illis præſtat impetus affectuum; hoc hiſce ratio. Quemadmodum itaque illos affectus ſtimulat ad occaſionem quærendam; ita hos ratio incitat ad idem faciendum. Quæ vero paulo ante monuimus (*not.* §. 174.); ea hic quoque tenenda.

§. 177.

Quinam occaſionem oblatam non arripiant.

Qui voluntatem conſtantem & perpetuam habent actionem quandam non committendi; illi occaſionem agendi oblatam non arripiunt. Etenim qui perpetuam habet voluntatem actionem quandam non committendi, is in omni caſu eandem committere non vult (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*). Quodſi præterea conſtans fuerit voluntas, nec in dato aliquo caſu voluntatem ſuam mutat (§ *cit.*). Quamvis adeo offeruntur circumſtantiæ, per quas admodum facile ac commode eandem committere poterat, adeoque maxime favorabiles (§. 159.); agere tamen non vult, nec ut velit ſe adduci patitur, adeoque circumſtantiis iſtis in rem ſuam minime utitur. Quamobrem cum is occaſionem minime arripiat, qui circumſtantiis favorabilibus obviis in rem ſuam non utitur (§. 166.); qui conſtantem ac ſeriam habet voluntatem actionis alicujus non committendæ, occaſionem agendi oblatam non arripit.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum nobis præbet Joſephus, qui occaſionem committendi adulterium cum uxore heri ſui oblatam minime arripiebat. Etenim conſtans & perpetua ipſi erat voluntas nil quicquam faciendi, quod voluntati divinæ contrariatur. Quamobrem cum ipſi abunde perſpectum eſſet, adulterium voluntati divinæ repugnare, & hoc ſcelere peccatum in Deum committi, in adulterium conſentire recuſabat, ad quod ipſum uxor heri ſui alliciebat, immo vi adducere conabatur. Fuiſſe hanc commodam adulterii committendi occaſionem, nemo diffitetur, & per ipſam occaſionis notionem patet (§. 158.). Eam tamen non arripiebat, ob conſtantem & perpetuam adulterii non committendi voluntatem. Idem docet exemplum Davidis, qui Sauli interficiendi occaſionem nactus, cum in ſpelunca ſolus alto ſomno oppreſſus jaceret, eam minime arripiebat, non alia certe de cauſa, quam ob conſtantiam & perpetuitatem voluntatis non occidendi Saulum.

§. 178.

Alius caſus.

Si ob rationes quasdam ſingulares alicui non videtur commodum agere, vel parum conſultum, ut nunc agat; is occaſionem oblatam minime arripit. Etenim ſi ob rationes quasdam alicui non videtur commodum agere, vel etiam parum conſultum, ut nunc agat, is nunc agere non vult, etſi alias habeat animum agendi. Quamobrem quamvis ipſi offerantur circumſtantiæ, ob quas nunc agere poterat, immo ob quas facile & commode agere poterat; hiſce tamen circumſtantiis ut in rem ſuam utatur, quamuis favorabilibus (§. 159.), ſe determinare nequit. Quamobrem cum occaſionem oblatam non arripiat, qui circumſtantiis favorabilibus agendi obviis in rem ſuam non utitur (§. 166.); cui ob rationes quasdam commodum non videtur agere, vel parum conſultum ut agat, is occaſionem oblatam minime arripit.

Quemadmodum rationes longe plurimæ ſunt, ob quas etiam ei, qui alias agendi animum habet, vel non commodum videtur, vel parum conſultum, ut hic agat & nunc agat, ita propoſitionis hujus uſus quam latiſſime ſeſe extendit. Subinde levis aliqua cauſa obſtare poteſt, quo minus quis nunc agat, ſi occaſionem agendi mox iterum redituram exiſtimat: inde eſt, quod dicat, ſe actionem in aliud ſibi commodius tempus differre. Subinde quis occaſionem oblatam avide arriperet, ſed motiva non agendi fortiora cenſentur motivis agendi: unde eſt, quod dicat, lubenter ſeſe agere velle, immo quam lubentiſſime, modo hoc non obſtaret, ſæpiusque indignetur, quod obſtet. Vides igitur, cur non ſemper arripiat occaſionem oblatam, qui animum agendi habet, immo cur eam non arripiat, etſi maxime optatam, qui ex conſuetudine agit.

§. 179.

Quomodo tempus & locus influant in actiones hominum.

Tempus & locus influunt in actiones hominum, quatenus res, per quas tempus & locus præſens in rerum natura deſignatur, & ab alio tempore vel loco diſtinguitur; & ea, per quæ tempus præſens atque hic locus determinantur, agenti vel præbere poſſunt motivum agendi vel non agendi, vel ad actionem abſolvendam uſui ſunt, aut ob ea decet vel minime decet iſtiusmodi actionem nunc & hic committi. Quoniam in actionem humanam influit, quod ad determinandam actualitatem vel moralitatem actionis quidpiam confert (§. 94.); nec tempus, neque locus aliter in eandem influere poteſt, niſi quatenus ad determinandum actualitatem vel moralitatem actionis quidpiam confert. Quoniam partes temporis actualis nullæ ſunt, niſi quæ per exiſtentias rerum actu deſignantur (§. *583. Ontol.*); nec tempus unum ab altero diſtingui poteſt, niſi per ea, quæ uno ſunt, vel fiunt, altero autem non ſunt, vel non fiunt. Similiter quia ſpatii actu-

actualis partes nullæ ſunt, niſi quæ per res extenſas exiſtentes actu deſignantur (§. *612. Ontol.*), conſequenter locus, quatenus eum tanquam partem ſpatii imaginamur, nonniſi per res extenſas actu exiſtentes deſignatur; locus unus ab altero diſtingui nequit, niſi per ea, quæ hic ſunt, alibi vero non ſunt. Unde patet, tempus & locum non influere poſſe in actionem humanam, niſi quatenus ea, per quæ tempus præſens atque hic locus in rerum natura deſignatur, & per quæ tanquam hoc tempus & tanquam hic locus determinatur, ad actualitatem vel moralitatem actionis aliquid conferunt. Enimvero iſta, per quæ tempus atque locus determinatur, & ab alio tempore & loco diſtinguitur ad actualitatem actionis nil conferre poſſunt, niſi quatenus præbent motivum agendi vel non agendi, vel ad actionem iſtam abſolvendam uſui ſunt (§. 103.), nec ad moralitatem actionis quicquam conferre poſſunt, hoc eſt, efficere, ut actio aliqua ſit legi naturali conformis aut difformis (§. *244. Part. I. Phil. pract. univ.*), niſi quatenus agentem decet, vel dedecet ob rerum iſtarum præſentiam hic & nunc agere vel non agere (§. *194. 195. 203. Part. I. Phil. pract. univ.*). Patet itaque tempus & locum influere in actiones hominum, quatenus res, per quas tempus & locus præſens in rerum natura deſignatur, & ab alio tempore atque loco diſtinguitur, eaque, per quæ tempus præſens ac hic locus determinantur, agenti vel præbere poſſunt motivum agendi aut non agendi, vel ad actionem abſolvendam uſui ſunt, aut ob ea decet, vel minime decet iſtiusmodi actionem hic & nunc committi.

Si tempus in abſtracto conſideratur, notioni imaginariæ convenienter, pars una temporis ab altera minime differt, nec

 quic-

quicquam eidem ineſt, quo vel in actualitatem, vel moralitatem actionis influere poſſet. Ac idem dicendum eſt de loco, ſi tanquam pars ſpatii imaginarii conſideratur. Inde eſt, quod vulgo quidam ſibi perſuadeant, quælibet quolibet loco & tempore licere, cum tempus unum ab altero, nec locus unus ab altero in ſe minime differat. Enimvero quamvis notio imaginaria ſpatii, loci atque temporis Geometris ſatisfaciat; in Moralibus tamen nulli eſt uſui, ſed hic requiritur non minus loci, quam temporis realis notio, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis liquet. Sed hic inprimis e re eſſe videtur, ut propoſitionem uno alteroque exemplo illuſtremus. Si quis feſto nativitatis Chriſti ea hora, q a ſacra celebrantur in templo, convivium agit; ob circumſtantiam temporis hoc improbatur. Tempus hic determinatur per ſacra in memoriam nativitatis Chriſti celebranda, & ideo influit in moralitatem actionis, quatenus convivium agere minime decet hominem Chriſtianum, quando memoriam nativitatis Chriſti pie recolere & ſacris in templo intereſſe debet. Similiter, ſi quis eodem tempore ſcortatur, magis ſcelus ipſi imputatur, quam ſi alias idem perpetraverit, propterea quod memoria nativitatis Chriſti, quam tempus inſinuat, & eo fine celebranda ſacra motivum non agendi præbere poterant. Et tempus influit in actualitatem actionis privativæ, quatenus hoc motivo occaſionem ſcortandi oblatam minime arripit, qui vel ſcortandi animum habet, vel ad ſcortandum ſaltem diſpoſitum. Tempus nocturnum determinatur per tenebras & per ſomnum hominum plerorumque. Influit in furtum, quando fur nocturno tempore furtum committit, quod tunc ſecurius res alienas auferre & in alium locum transferre poſſit. Hic ea, per quæ tempus determinatur, uſui ſunt ad actionem commodius abſolvendam. Satis ex hiſce intelligitur, quomodo tempus influat tum in actualitatem, tum in moralitatem actionis tam privativæ, quam poſitivæ, atque adeo iisdem veritas propoſitionis præſentis confirmatur. Non abſimili modo improbatur, ſi quis in templo cum aliis garrit & cachinnat. Templum eſt locus cultui divino deſtinatus, & per hoc hic locus differt ab aliis.

Parum

Digitized by Google

Parum vero decet garrire & cachinnare, ubi cultus divini gratia convenitur. Circumſtantia adeo loci influit in moralitatem actionis, quatenus minime decet hoc agere, quod alias non erat illicitum. Similiter, ſi fur furtum in templo committit, quia ab aliis ædibus remotum & nemo in eo præſens eſt, cum ſic ſecurius committere poſſit; circumſtantia loci in actualitatem influit, quatenus uſui eſt ad actionem facilius & commodius abſolvendam. Si quis templum præteriens apertum, in idem intrat, & preces ad Deum fundit, quatenus recordatur hunc eſſe locum, qui cultui divino deſtinatus eſt; circumſtantia loci in actualitatem actionis influit, quatenus præbet motivum agendi. Scelus ingens habetur ſcortari in templo, quia motivum præbere poterat a ſcortatione abſtinendi, quatenus in memoriam revocat Deum caſta mente colendum, nec decet ibi flagitiis indulgere, ubi Deum ſincere colere debemus. Ex hiſce intelligitur, quomodo circumſtantia loci influere poſſit cum in actualitatem, tum in moralitatem actionis tam privativæ, quam poſitivæ. Propoſitio adeo præſens principium eſt determinandi circumſtantiam temporis atque loci, & qui eodem utitur, de utraque hac circumſtantia haud difficulter judicium feret in caſu quocunque dato, modo eorum notitia non careat, quam datus caſus requirit, aliunde haurienda.

§. 180.

Caſus in Moralibus quid dicatur.

Caſus in Moralibus dicitur concurſus omnium circumſtantiarum ad actionem quandam, quæ vel actu committitur vel omittitur. Unde *caſus variant pro varietate circumſtantiarum, quibus præſentibus agens agit, vel non agit.* Et *caſus quilibet determinatur, ſi determinentur circumſtantiæ, ſub quibus actio aliqua poſſibilis.*

Non variatur hic ſignificatus caſus, quem vocabulo in genere tribuimus (*§. 460 Part. II. Theol. nat.*). Etenim caſum ſimpliciter dictum definivimus per concurſum cauſarum ad effectum alterius gratia agentium. Hujus igitur definitionis vi circumſtantiæ omnes ad actionem agentis caſu concurrunt, atque

earum concurſus caſui tribuendus. Quemadmodum vero effectus a caſu pendens per inconſtantiam loquendi caſus dici ſolet (§ *cit.*); ita etiam factum, quod ſub datis circumſtantiis contigit, caſus dici ſuevit. Inde eſt, quod caſum funeſtum dicamus, ſi quis alterum occidit, veluti dum nuper Conſul quidam Ulmenſis Collegam ſuum in curia ſclopeto exploſo vita privabat.

§. 181.

Quomodo caſus omnes poſſibiles in executione actionis detegantur.

Si quis inquirit in omnes circumſtantias, quæ in actionem quandam datam influere poſſunt, ſeu ſub quibus actio iſta committi poteſt, eædemque omni poſſibili modo inter ſe combinantur; caſus omnes in executione poſſibiles deteguntur. Etenim ſi omnes circumſtantiæ, ſub quibus actio aliqua committi poteſt, detegantur, omnique poſſibili modo inter ſe combinentur, omnes circumſtantiarum variationes patent, ſub quibus actio data committi poteſt. Quamobrem cum quilibet caſus determinetur circumſtantiis, ſub quibus agens actionem committere valet (§. 180.); ubi omnes circumſtantiæ, quæ in actionem aliquam influere poſſunt, ſollicita inquiſitione detegantur & omni poſſibili modo inter ſe combinentur, caſus omnes in executione poſſibiles deteguntur.

De circumſtantiis in anterioribus ſatis prolixe tradidimus ea, quæ ad eaſdem inveſtigandas uſui ſunt, ut adeo exinde intelligatur, quomodo in circumſtantias ſit inquirendum, ſub quibus actio data committi poteſt. Per eadem vero principia itidem patet, quomodo combinationes circumſtantiarum utiles ab inutilibus diſtinguantur, ne caſus temere multiplicemus. Utilis eſt præſens propoſitio in theoriis negotiorum humanorum completis condendis, & in theoria quoque Juris naturalis condenda uſum haud poſtremum habet. Non nego, quod haud facile ſit propoſitionis præſentis facere uſum; ſed de eo jam non ſumus ſolli-

Digitized by Google

ſolliciti. Neque enim talia eo fine traduntur, ut unus quisque eadem proprio Marte ad praxin transferat. Utatur iis, qui poteſt. Repetenda hic ſunt, quæ in ſuperioribus inculcavimus, cum de mentis acie ad eum gradum elevanda ageretur, ut de actionis cujuslibet cum fine ultimo nexu judicium ferri poſſit. Sæpe tanta deprehenditur circumſtantiarum varietas, ut earum multitudine defatigetur patientia ejus, qui in longa admodum rerum meditandarum ſerie attentionem ſuam conſervare valet. Haud raro etiam circumſtantiæ quædam adeo latent, ut nonniſi difficillime in apricum protrahantur.

§. 182.

Quidnam ad circumſtantias inveſtigandas requiratur.

Qui in circumſtantias inquirere vult, notionem diſtinctam actionis committendæ habere debet. Etenim circumſtantiæ ad determinandum actualitatem vel moralitatem actionis aliquid conferunt (§. 95.). Quoniam actio humana ex actibus intellectus, voluntatis vel noluntatis, & facultatis locomotivæ conſtat (§. *70. Part. I. Phil. pract. univ.*), circumſtantiæ tum in actus intellectus, tum voluntatis & noluntatis, tum facultatis locomotivæ influere poſſunt (§. 94.). Cum itaque per hoc detegantur circumſtantiæ, quod in hoſce actus quomodocunque influat (*per demonſtrata*); ſinguli actus ſimplices, ex quibus actio aliqua componitur, perſpecti eſſe debent ei, qui in circumſtantias inquirere vult. Diſtinctam habet actionis notionem, qui eam in ſimpliciores, ex quibus conſtant, reſolvere valet (§. 93.). Quamobrem qui in circumſtantias inquirere vult, notionem diſtinctam actionis habere debet.

Quomodo actionis notio diſtincta acquiratur, docuimus in ſuperioribus (§. 93.), adeoque hic præſupponi poteſt, ubi de circumſtantiis inveſtigandis agitur. E. gr. Si quis munus aliquod ambire voluerit, is ante omnia noſſe debet, quid munus ambire ſibi velit. Conſtat itaque munus ambire idem eſſe, ac ea facere,

quæ

quæ ex parte noſtra fieri poſſunt, ut ad idem evehamur. Quoniam collatio muneris a voluntate Patroni pendet, nemo non videt, id nobis eſſe agendum, ut 1) inquiramus, quinam ſit patronus, ſeu is, penes quem ſtat, ut ad munus iſtud evehamur, 2) ut eidem voluntas noſtra innoteſcat, 3) ut favorem ejus nobis conciliemus. Circumſtantiæ dati caſus docebunt porro, in quosnam actus alios ſinguli hi ſint reſolvendi. Haud difficulter hinc colligitur, notionis diſtinctæ inveſtigationem ſæpe eſſe difficilem. Deteguntur autem hæ circumſtantiæ ope eorum, quæ de actione jam diſtincte cognovimus, & quæ per circumſtantias haſce eruuntur, & ad circumſtantias ulterius eruendas proſunt. Pendet nimirum inveſtigatio notionis diſtinctæ actionis & circumſtantiarum a ſe invicem. Unde haud raro admodum perplexa eſt diſquiſitio, & niſi experientia juvarentur in caſu dato, ſæpiſſime diſquirentes adeo perplexi redderentur, ut quo ſe vertere debeant, minime viderent. Dolendum vero, quod, quæ experientia ſuggerit non annotentur, & examini ſubjiciantur ab iis, quibus ea mentis vis eſt, ut univerſalia a ſingularibus abſtrahere & hinc ad alia a priori inveſtiganda anſam arripere valeant. Neglectui huic tribuendus eſt defectus theoriæ negotiorum humanorum, quorum eventus nunc magis fortunæ relinquitur, quam neceſſe erat, ſiquidem de illa condenda hactenus ſolliciti fuiſſent philoſophi, aut ii, quibus multa agenda ſunt, de negotiis ſuis philoſopharentur. Nobis in hac altera philoſophiæ practicæ univerſalis parte, quæ praxin tradit, hoc quoque propoſitum eſt, ut neceſſitatem ac utilitatem philoſophandi de negotiis noſtris inculcemus, & ad hoc ſtudium eos manuducamus, qui de genere humano mereri optime volunt. Philoſophia practica ampliſſimum offert veritatum inveniendarum campum, in quo utiliter verſarentur, qui arte inveniendi pollent.

§. 183.

Quomodo caſus præ-

Si quis actionis notionem diſtinctam habet, & perſonarum, rerum, loci ac temporis ſcrutatur circumſtantias nunc

nunc obvias; is caſum præſentem agnoſcit. Quoniam enim in circumſtantias inquiſiturus, notionem diſtinctam actionis committendæ habere debet (§. 182.); qui eandem in dato caſu habet, circumſtantias obvias agnoſcere valet. Quodſi ergo in circumſtantias perſonarum, rerum, loci atque temporis nunc obvias inquirit, cum præter haſce non dentur aliæ (§. 97. 98.), circumſtantias omnes perſpectas habet, quæ in præſente actione ad animum ſunt revocandæ. Quamobrem cum caſum præſentem determinare valeamus, ſi circumſtantias, ſub quibus actio nunc poſſibilis, detegimus (§. 180.), adeoque hiſce cognitis caſum quoque præſentem agnoſcimus; evidens eſt, nos caſum præſentem agnoſcere debere, ſi actionis committendæ notionem diſtinctam habemus, & perſonarum, rerum, loci ac temporis circumſtantias nunc obvias ſcrutamur. *ſens agnoſcatur.*

Circumſtantias in dato caſu obvias ſcrutamur a poſteriori, ſed beneficio principiorum, quæ de circumſtantiis prolixe ſatis demonſtravimus. Etenim ea non modo ad hoc conducunt, ut, quænam in circumſtantiarum numero ſint, per quas caſus præſens conſtituitur (§. 180.), dignoſcantur, ne ſuperfluas cumulemus, vel neceſſariarum rationem minime habeamus; verum etiam attentionem provocant & mentem dirigunt, ne ignoremus, quo vertenda ſit, ut circumſtantiæ nobis innoteſcant. Quodſi theoria juxta propoſitionem anteriorem (§. 181.) condita proſtaret, multo facilius caſus præſens agnoſci poterat: ſed ea deficiente, ea via incedendum, quam præſens propoſitio monſtrat. Quodſi equidem beneficio notionis diſtinctæ actionis & principiorum anteriorum de circumſtantiis fuſe ſatis explicatorum prævidemus, neceſſariam adhuc eſſe circumſtantiarum quarundam notitiam, ut caſum præſentem animo comprehendas, ſed has a nobis detegi minime poſſe, cum omni diligentia adhibita cognoſcere minime valeamus, quæ nonniſi experientia innoteſcere nobis poſſunt; nemo non videt, impoſſibile nobis eſſe, ut caſum præſentem

determinemus Nemo vero a nobis deſideraverit, ut doceamus, quomodo fieri poſſit, ut detectu impoſſibilia detegamus. Sufficit nos per ea, quæ docuimus, certos eſſe poſſe, quod nihil eorum prætermiſerimus, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Ubi certitudo haberi nequit, fortunæ & caſui aliquid dandum. Nec hoc turbare poteſt tranquillitatem animi, ubi quis convictus fuerit, fortunam (*§. 932. Part. I. Theol. nat.*) & caſum ſubeſſe providentiæ divinæ (*§. 462. Part. II. Theol. nat.*), adeoque huic committi, quæ iſtis relinquuntur.

§. 184.

Quando in determinando caſu præſente aberremus.

Qui per errorem ſumit circumſtantias præſentes, quæ non ſunt, aut ſe omnes perſpectas habere ſibi perſuadet, quibusdam tamen adhuc deficientibus; is caſum præſentem minime agnoſcit. Cum enim caſus quilibet determinetur per circumſtantias, ſub quibus actio nunc poſſibilis (§. 180.); qui per errorem ſumit circumſtantias præſentes, quæ non ſunt, caſum a præſente diverſum pro præſente habet, adeoque præſentem minime agnoſcit. *Quod erat unum.*

Similiter cum caſum præſentem minime agnoſcat, qui vel unam circumſtantiam ignorat, quæ ad determinandum caſum præſentem requiritur (§. 180.), nemo non videt, ſe caſum præſentem minime agnoſcere, ſi quis ſibi perſuadet, ſe circumſtantias omnes perſpectas habere quibusdam tamen adhuc deficientibus. *Quod erat alterum.*

§. 185.

Modus inveſtigandi media.

Si notionem finis diſtinctam quæras & inde colligas, quanam actione vel quibusnam actionibus opus ſit, ut is ad actum perducatur, tandemque inquiras, num actiones iſtæ ſint in tua poteſtate, & quænam ſint præterea perſonæ vel res aliæ, a quibus actiones iſtiusmodi proficiſci poſſunt, quibusque rebus ad agendum habeat

Digitized by Google

habeas opus; media a te inveſtigantur. Etenim finis, quatenus conſideratur tanquam ad actum a te producendus, ſpectatur tanquam effectus producendus (§. *886. Ontol.*). Quoniam igitur effectus actione cauſæ efficientis producitur (§. *cit.*); ſi ex notione finis diſtincta colligas, quibus actionibus opus ſit, ut is ad actum perducatur, ac deinde inquiras, num actiones iſtæ a te, vel ab aliis perſonis aut rebus proficiſci poſſint, & quibus rebus ad agendum habeas opus, quin hoc modo ea detegas, in quibus ratio actualitatis finis continetur, dubitandum non eſt (§. *56. Ontol.*). Enimvero medium eſt, in quo ratio actualitatis finis continetur (§. *937. Ontol.*). Patet itaque, hoc pacto media a te inveſtigari.

Quod ſi ea præſtare non poteris, quæ in hypotheſi propoſitionis præſupponuntur, per ſe patet, mediorum inveſtigationem non eſſe in poteſtate tua. Ceterum hic docemus, quomodo a priori, experientia tamen obſtetricante, detegantur media. Neque enim diffitendum eſt, eadem quoque experientia ſola magiſtra haud raro addiſci, & quando iisdem opus habemus, ad uſus noſtros adhiberi. Haud raro etiam aliena juvamur experientia, quando aliorum conſilio utimur, dum nobismetipſis minime ſufficimus. Nec inconſultum eſt, immo maxime ſuademus, ut in mediorum cognitione experientia magiſtra proficiamus, qua hactenus utuntur tantum non omnes. Per ſe autem patet, ubi ea obſervamus, quæ experientia nobis offert, neceſſe non eſſe, ut finis diſtinctam notionem habeamus, quamvis utilitate non careat, ſi quæ experiundo didicimus, ad notiones diſtinctas revocemus. Enimvero cum hæc non modo de mediorum cognitione vera ſint, ſed in genere de omni cognitione a poſteriori hauſta tenenda; locus hic non eſt, ut de utilitate iſta diſertius dicamus. Maxime autem e re noſtra eſt, ut propoſitionem præſentem exemplo illuſtremus. Si favorem Titii tibi conciliare volueris, eum intendis tanquam finem. Et

Y 2 quate-

quatenus efficere vis, ut tibi faveat Titius, favorem conſideras tanquam effectum a te producendum. Dum vero inquiris, quid a te fieri debeat, ut fauor Titii tibi concilietur, de medio ſollicitus es. Notionem favoris diſtinctam ſuppeditat Pſychologia empirica (§. 792.). Oritur nimium favor ex repræſentatione boni ab altero præſtiti, vel fieri ſoliti citra relationem ad nos. Hinc intelligitur, ſi Titii favorem tibi conciliare volueris neceſſe eſſe, ut quid a te fiat, quod ipſius judicio bonum exiſtimatur, & quod adeo in aliis ipſi placet, vel ut a te tale quid factum fuiſſe, eidem innoteſcat. Vides itaque,qua actione opus ſit ad favorem Titii tibi conciliandum. Judicaturus itaque, num ea in tua ſit poteſtate, an vero alieno auxilio & re quadam alia habeas opus, inquirendum ante omnia, quænam potiſſimum ſint, quæ Titio placent in aliis. Quodſi ergo cognoveris, munerum oblationem eidem perplacere; hinc innoteſcit, medium ſibi favorem Titii conciliandi eſſe muneris oblationem. Quodſi porro ſcruteris, quo munerum genere maxime delectetur; ex eo tibi conſtabit, qua re ad agendum habeas opus. Nec quiſquam dubitat medium, quod quæſiviſti, a te ſatis diſtincte cognoſci. Quodſi quis videt, Mævium ſibi conciliaſſe favorem Titii oblato munere, eoque ſolo; medium favorem hujus ſibi conciliandi experientia addiſcit. Si rationem conſulat, animum ad favoris notionem diſtinctam advertendo; propoſitionem determinatam generalem hinc elicit, quod muneris oblatio ſit medium conciliandi favorem ejus, qui muneribus delectatur. Ecce utilitatem connubii rationis & experientiæ in cognoſcendis mediis! Similiter, ſi quis intendit vulnerare corpus alterius, vulneratio eſt finis, quem ſibi proponit. Ex notione vulnerationis intelligit opus eſſe actione, qua continuum in cute ac carne diſſolvitur. Quodſi ergo recordatur hoc fieri poſſe ope globi ex bombarda vi pulveris pyrii exploſi; exploſionem globi ex bombarda vi pulveris pyrii factam medium vulnerandi corpus alterius eſſe agnoſcit, & ſe ad hanc actionem opus habere globo plumbeo, pulvere pyrio atque bombarda intelligit. Qui videt alterum globo ex bombarda exploſo vi pulveris pyrii, quo onerabatur vulnerari;

Digitized by Google

nerati; idem a poſteriori diſcit. Qui primus hoc detexit, rationis uſu hoc fecit, a vi, quam pulveris pyrii ope acquirit globus, aliunde perſpecta ad hunc effectum argumentatus. Per abuſum loquendi accidit, ut res, quarum uſus ad finem obtinendum requiritur, dicantur media. Ita qui caret libris, quorum lectione in ſtudio Matheſeos proficere poterat, quam diſcere intendit, mediis deſtitutus dicitur ad Matheſin addiſcendum neceſſariis, & libri referuntur inter media addiſcendi Matheſin, cum proprie loquendo medium non ſit niſi lectio librorum.

§. 186.

Quando actione naturæ producitur effectus, quem tanquam finem intendimus; ex parte noſtri medium eſt actio, qua efficitur, ut natura agere poſſit. Etenim ſi effectus producitur actione naturæ, quem tanquam finem intendimus; per eam intelligitur, cur finis actum conſequatur, conſequenter ea rationem continet, cur hoc fiat (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum medium ſit, quicquid rationem continet, cur finis actum conſequatur (§. 937. *Ontol.*); actio iſta naturæ medium eſt conſequendi finem. Quoniam tamen natura per ſe non agit, niſi actione noſtra concurrente (*per hypoth.*) per actionem noſtram intelligitur, cur natura actione ſua effectum iſtum, quem tanquam finem intendimus, producere potuerit, conſequenter in actione noſtra quoque continetur ratio, cur finis actum fuerit conſecutus (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum medium ſit, quod rationem continet, cur finis actum conſequatur (§. 937. *Ontol.*); ex parte noſtri utique medium eſt actio iſta, qua obtinetur, ut natura agere poſſit.

Concurſus naturæ ad media.

Huc animum advertimus in propoſitione anteriore, cum diximus, inquirendum eſſe in res, quarum actione id efficitur, quod intendis. Ex præſente autem clarius intelligitur, quinam

Digitized by Google

ſit naturæ concurſus ad media. Ceterum exempla quotidie obvia præſentem illuſtrant. Qui linteum madidum exiccari vult, exiccationem intendit tanquam finem. Exiccatur linteum actione ſolis radiis ſuis aquam, qua madet, in vapores reſolventis. Sed ut hoc fiat, neceſſe eſt, ut radiis ſolaribus exponatur. Unde medium exiccandi lintei habetur ipſum exponere radiis ſolaribus. Similiter, medium calefaciendi aquam eſt vas, in qua continetur, admovere igni eo fini ſuſcitato. Actio ignis naturæ actio eſt, & ea ad actionem noſtram concurrit, qua tanquam medio utimur ad finem obtinendum.

§. 187.

Actio contraria quænam dicatur.

Actio actioni contraria dicitur, quæ eam irritam reddit vel totam, vel ex parte. *Irrita* autem *redditur actio*, ſi effectus eadem producendus vel prorſus non producitur, vel non producitur integer.

Definitio intelligitur tum de actionibus hominum, quam naturæ, ſeu rerum quarumcunque in univerſo exiſtentium, tum & de concurſu actionum humanarum & actionum naturæ. Ita commendationi contraria eſt laudum ac meritorum extenuatio atque obtrectatio, ſi quis enim huic majorem habeat fidem, quam illi, qui ex illa ſperari poterat effectus ob hanc ceſſat. Similiter, actio aquæ contraria eſt actioni ignis, dum incendium, quo ædes conflagraturæ erant, reſtinguitur aqua vel imbre. Immo reactio omnis contrariis actionibus accenſetur, quatenus reagens reſiſtit agenti, veluti dum medium, per quod movetur mobile, motum ejusdem retardat. Porro actio venti ex plaga adverſa ſpirantis contraria eſt remigationi, & æſtus nimius contrarius plantationi.

§. 188.

Quomodo actiones impediantur.

Quæcunque actionem impediunt, vel actionem actioni agentis contrariam edunt, vel præſentia ſua in cauſa ſunt, ne agens agat, & contra. Quoniam enim impedimentum in

ſe

ſe continet rationem, cur aliquid non exiſtat, cujus exiſtentiæ ratio ſufficiens ponebatur (§. *726. Ontol.*); quæcunque actionem impediunt, rationem in ſe continere debent, cur actio agentis non ſequatur, quæ alias ſequeretur. Quamobrem cum agens vel actu agat, vel tantummodo agere poſſit, impedimento remoto; neceſſe eſt, ut, quod actionem impedit, in caſu priori efficiat, ne effectus actione producendus producatur, adeoque eam irritam reddat, conſequenter ut actionem actioni agentis contrariam edat (§. 187.), vel ut rationem in ſe contineat, cur, quæ alias ab agente edi poterat actio, non edatur (§ *70. Ontol.*), conſequenter ut præſentia ſua in cauſa ſit, ne agens agat (§. *881. 866. Ontol.*). *Quod erat primum.*

Ex adverſo, ſi quid actionem actioni agentis contrariam edit, eam irritam reddit, adeoque effectus eadem producendus vel integer non producitur, vel ſaltem non producitur ex parte (§. 187.). Adeoque ex actione ipſius intelligitur, cur effectus actione agentis alias producendus, vel prorſus non producatur, vel ſaltem non producatur integer, conſequenter effectus non producti rationem continet (§. *56. Ontol.*). Similiter, ſi præſentia ſua in cauſa eſt, ne agens agat, eidem inſint neceſſe eſt, per quæ intelligitur, cur agens non agat, qui alias ageret (§ *881. 866. Ontol.*), conſequenter denuo rationem in ſe continet, cur actio non ſequatur, alias ſecutura (§. *cit.*). Quoniam itaque impedimentum in ſe continet rationem, cur quid non exiſtat cujus exiſtentiæ ratio ſufficiens ponebatur (§ *726. Ontol.*); in utroque caſu actio agentis impeditur. *Quod erat alterum.*

Exempla quotidie obvia propoſitionis veritatem confirmant. Qui extenuat alterius laudes vel merita, aut iisdem obtrectat, quem

Digitized by Google

quem tu commodaveras Patrono; is impedit, quo minus commendatio tua valeat, ubi extenuationi aut obtrectationi Patronus habuerit fidem. Inundatio impedit, quo minus ad urbem accedere poſſis, quo tendis. Præſentia alterius impediris, quo minus dicere poſſis Mævio id, cujus cauſa eundem adire volueris.

§. 189.

Quotuplici modo actio humana impediatur.

Quicquid actionem humanam impedit, vel impedit actum intellectus, vel voluntatis, vel facultatis locomotivæ. Actio enim humana ex actibus intellectus, voluntatis & facultatis locomotivæ conſtat (§. *70. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quicquid ergo eandem impedit, vel actum intellectus, vel voluntatis, vel facultatis locomotivæ impedit.

Ita affectus attentionem ab eo, quod agendum, avocantes impediunt actum intellectus. Præſentia ejus, quem celare vis alteri dicenda, impedit actum voluntatis, quo minus ſcilicet ea alteri dicere velis. Inundatio impedit actum facultatis locomotivæ, acceſſum ſcilicet ad urbem. Propoſitio præſens uſui eſt, ubi impedimenta actionum humanarum detegenda. Excitat enim attentionem, ne quid facile præterlabatur, & mentem dirigit ad inquirendum in ea, quæ agenti obſtaculo eſſe poſſunt: id quod experientur, quotcunque animum ad impedimenta agendi detegenda appellent.

§. 190.

Quænam actum intellectus impediant.

Quæcunque in cauſa ſunt, ut notio actionis determinata, vel principium generale de bonitate & malitia iſtius actionis, aut tam illa, quam hoc deficiat; ea actum intellectus impediunt. Etenim judicium de bonitate & malitia actionis in dato caſu ſingulari ope ratiocinii definitivi elicitur ex notione actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, ope principii generalis, quod bonitatem vel malitiam actionis iſtiusmodi deter-

determinat (§ 82. *Part. I. Phil. pract. univ*), adeoque deficiente vel notione actionis, cujus committendæ occaſio offertur, determinata, vel principio generali, quo bonitas vel malitia utriusque actionis determinatur, conſequenter multo magis deficiente utroque deficit etiam actus intellectus, qui ad actionem committendam requiritur, cum appetere vel averſari nequeamus, quod non cognoſcimus (§. 929. 930. *Pſych. empir.*), neque actionem externam edimus, niſi quam volumus (§. 567. *Part I. Theol. nat.*). Quicquid vero in cauſa eſt, ut notio actionis determinata, vel principium generale de bonitate vel malitia iſtiusmodi actionis, aut tam illa, quam hoc deficiat; illud rationem continet, cur vel illa, vel hoc, vel utrumque deficiat (§. 881. *Ontol.*), conſequenter cur deficiat actus intellectus (*per demonſtrata*). Enimvero quod rationem continet, cur actus iſte intellectus deficiat, id eundem impedit (§. 726. *Ontol.*). Quamobrem actum intellectus impedit, quicquid in cauſa eſt, ut notio actionis daterminata, vel principium generale de bonitate & malitia actionis, vel tam illa, quam hoc deficiat.

Habemus hic principium generale determinandi impedimenta actus intellectus. Specialia inde deducemus ſuo loco.

§. 191.

Quicquid nobis præbet motivum nolendi, quod lubenter agere mallemus; id actum voluntatis impedit. Quoniam enim motivum nolendi eſt ratio ſufficiens nolitionis (§. 887. *Pſych. empir.*); quicquid motivum nolendi nobis præbet, quod lubenter agere mallemus, id continet rationem, cur nolimus hic & nunc agere, quod alias lubenter agere mallemus. Enimvero id impedimento eſt, quod in ſe con- *Quomodo actus voluntatis impediatur.*

tinet rationem, cur aliquid non exiſtat, cuius exiſtentiæ ratio ſufficiens ponebatur (§. 726. *Ontol.*). Quare patet id actum voluntatis impedire, quod nobis præbet motivum nolitionis illius, quod lubenter agere mallemus.

Nimirum ſi quod jam agere mallemus, modo nihil obſtaret, motivum adeſt volitionis (§. 889. *Pſych. empir.*). Per hypotheſin autem jam adeſt, quod præbet motivum nolitionis: quod cum motivum volitionis vincat, eodem fortius eſt, quatenus malum ex commiſſione actionis hic & nunc facta metuendum majus cenſetur bono per eandem obtinendo. Quemadmodum vero varia admodum ſunt hominum de bono & malo judicia, cum non omnes ductum rationis ſequantur; ita quoque hic opinionis judicantium habenda ratio eſt, niſi in applicatione principii aberrare volueris. Eſt vero hoc principium generale determinandi impedimenta actus voluntatis Nimirum duo ſunt in anima actus contrarii, alter volitionis, alter nolitionis. Sed actus nolitionis fortior vincit actum volitionis, ut externus minime conſequatur. Hoc minime pugnat cum principio contradictionis, vi cujus impoſſibile, ut idem ſimul velimus & nolimus, neque enim idem volumus & nolumus eodem, ſed diverſo reſpectu. Atque adeo nobismetipſis quaſi reſiſtimus. Et vis interna animæ æquipollet vi externæ, qua actus externus cohibetur: id quod tamen in præjudicium veritatis non nimis extendendum eſt. Exempla quotidie obvia ſunt, & paulo ante aliquod in medium attulimus (*not.* §. 188).

§. 192.

Quomodo actus facultatis locomotivæ impediatur.

Quodcunque extra nos vel actionem actioni externæ contrariam edit, vel alio quocunque modo in cauſa eſt, ne actus externus, quem elicere volumus, conſequi poſſit; id actum facultatis locomotivæ impedit. Etenim quodcunque extra nos vel actionem actui externo contrariam edit, vel alio quocunque modo in cauſa eſt, ne is, etiamſi agere velimus, conſe-

Digitized by Google

conſequi poſſit; id actum externum impedit (§. 188.). Enimvero actus externus eſt actus facultatis locomotivæ (§. *66. Part. I. Phil. pract. univ.* & §. *567. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem quicquid extra nos vel actionem actioni externæ contrariam edit, vel alio quocunque modo in cauſa eſt, ne actus externus, quem volumus elicere, conſequi poſſit, id actum facultatis locomotivæ impedit.

Nimirum tres dantur caſus, in quibus facultas locomotiva impeditur. Aut enim actu agimus, ſed actio redditur irrita, ne effectus producatur, qui eadem produci poterat: vel conatum agendi adhibemus, ſed vi externa agenti reſiſtitur, ne actio ipſa conſequatur: vel denique aliquid nobis objicitur, quod in cauſa eſt, ut agere volentes actum externum elicere non valeamus. In caſu primo atque ſecundo agens impeditur actione contraria agentis alterius; in tertio autem aliud quid in cauſa eſt, ne actum externum, quem volumus, elicere poſſimus. E. gr. Titium commendaſti Mævio, cujus filiam uxorem ducere vult. Sempronius obtrectatione ſua commendationem irritam facit, ut voti ſui compos minime reddatur. Impedit hic actum facultatis locomotivæ Mævii Sempronius actione contraria. Similiter ſemina committis agro omni diligentia adhibita, ne quid in ea deſiderari poſſit, ut meſſe læta potiaris. Quodſi grando ſegetem omnem proſternit, ut meſſis nulla ſit; actione naturæ contraria actio tua impeditur. Si ira permotus gladio ferire vis Cajum, ſed Mævius brachium, quod extendis, arripit, & ne movere poſſis, vi majore, quam ad movendum adhibes, detinet; actio tua actione contraria impeditur. Denique ſi inundatio obſtat, quo minus ad urbem accedere poſſis, quo tendis; actio cauſæ externæ impedit, ne actio facultatis locomotivæ eliciatur. Exempla hæc loquuntur quot modis actus facultatis locomotivæ impediri poſſit. Eſt adeo propoſitio præſens principium generale detegendi impedimenta actus facultatis locomotivæ.

Digitized by Google

§. 193.

Modus detegendi impedimenta.

Impedimenta detecturus inquirere debet, quænam ſint in cauſa, ut vel notio actionis determinata, vel principium generale de bonitate & malitia actionis iſtiusmodi, vel tam illa, quam hoc deficiat, quænam agere volenti motiva nolitionis præberi poſſint, & quænam extra ipſum ſive perſonæ, ſive res in univerſo exiſtentes vel actionem contrariam edere, vel alio modo in cauſa eſſe poſſunt, ne actus externus eliciatur. Quoniam enim ea, quæ actionem humanam impediunt, aut actum intellectus, aut actum voluntatis, aut actum denique facultatis locomotivæ impedire debent (§. 189.); impedimenta detecturus inquirere debet, quænam actum intellectus, quænam actum voluntatis & quænam actum facultatis locomotivæ impedire valeant. Enimvero actum intellectus impediunt, quæ in cauſa ſunt, ut notio actionis determinata, vel principium generale de bonitate aut malitia iſtiusmodi actionis, vel non minus hoc, quam iſta deficiat (§. 190.): actum voluntatis impedit, quicquid præbet motivum nolendi, quod lubenter agere mallemus (§. 191.): actum denique facultatis locomotivæ impedit, quæcunque perſona vel res in univerſo exiſtens actioni noſtræ contrariam actionem edere, vel alio quocunque modo in cauſa eſſe poteſt, ne actio externa, quam elicere vis, conſequi poſſit (§. 192.). Quamobrem impedimenta detecturus inquirere tenetur, quænam ſint in cauſa, ut vel notio actionis determinata, vel principium generale de bonitate & malitia actionis, vel non minus hoc, quam iſta deficiat, quænam agere volenti motiva nolitionis præberi poſſint, & quænam extra ipſum ſive perſonæ, ſive res in univerſo exiſtentes vel actionem contrariam edere, vel alio modo in cauſa eſſe poſſunt, nec actus externus eliciatur.

Impe-

Digitized by Google

Impedimenta prævidere non ſemper licet, quoniam haud raro caſu objiciuntur agenti. Qui experientiam conſulit, eadem *magiſtra* in cognitione impedimentorum plurimum proficere poteſt, & ubi rationis auxilio accurate determinat, quandonam unicuique impedimento locus ſit, theoria impedimentorum locupletatur.

§. 194.

Remedium dicitur actio, qua impedimentum tollitur, ne actioni agentis amplius obſtet. *Remedium quid ſit.*

Ex. gr. Si quis manu ſua brachium tuum fortiter tenet, ne movere poſſis, tu vero altera manu arrepto baculo digitos ipſius percutis, ut manum retrahat; percuſſio remedium eſt, actio quippe, qua tollitur impedimentum agendi. Similiter, ſi ſors adverſa, quam experiris, ſcropulos movet de bonitate Dei atque fiducia in Deum, impedimentum tollitur, ubi convinceris, Numen providentiſſimum calamitates dirigere in bonum finem. Hæc ergo convictio remedium eſt.

§. 195.

Impedimentum tollitur vel actione contraria ei, qua ſe exerit, vel actione, qua efficitur, ne amplius ſit præſens. Quicquid enim actionem agentis impedit, vel actionem contrariam edit, vel præſentia ſua in cauſa eſt, ne agens agat (§. 188.). Quamobrem ſi impedimentum non amplius agenti obſtare, adeoque tolli debet, aut actio iſta contraria irrita reddenda, qua ſeſe exerit, ut actione tua producendo effectui ſit locus, conſequenter actione eidem contrria opus eſt (§. 187.), aut curandum, ne amplius præſens ſit. Patet itaque impedimentum tolli vel actione contraria ei, qua ſe exerit, vel actione, qua efficitur, ut non amplius ſit præſens. *Quomodo impedimentum tollatur.*

Ad caſum priorem pertinent exempla, quibus definitionem remedii illuſtravimus (*not.* §. 194.). Caſus poſterioris tale eſt exem-

exemplum. Si præſentia Titii obſtet, quo minus Cajo dicere poſſis, quæ dicenda habes, & illum avocari cures; impedimentum tollis actione, qua efficis, ne id amplius præſens ſit. Neutrum ſi facere tibi integrum ſit, in utroque caſu tollere impedimentum in poteſtate tua non eſt.

§. 196.

Quomodo remedia inveſtigentur.

Quoniam remedium in ſublatione impedimenti conſiſtit, ne agenti amplius obſtet (§. 194.), impedimentum autem tollitur vel actione contraria ei, qua ſe exerit, vel actione, qua efficitur, ne amplius ſit præſens (§. 195.); *remedium inveſtigaturus inquirere debet in actionem ei, qua impedimentum ſe exerit, contrariam, vel in actionem, qua efficitur, ne id amplius ſit præſens.*

Ita ſi obtrectatio obſtet commendationi, inquirendum eſt, quomodo obtrectatoris fides reddatur ſuſpecta. Hanc enim actionem obtrectationi contrariam eſſe patet (§. 187.). Similiter ſi præſentia Titii obſtet, quo minus agere poſſis; inquirendum eſt, quomodo effici poſſit, ut abeat. Nimirum impedimenta duplici modo impediunt actionem agentis, vel actione contraria, vel ſola præſentia ſua (§. 188.). Unde duplicis quoque generis remediis opus eſt, aliis nempe ad irritam reddendam actionem impedimenti, aliis ad ejus præſentiam tollendam.

§. 197.

Impedimentorum diviſio.

Impedimenta finis ſunt, quæ immediate impediunt, ne finem conſequi poſſis. *Impedimenta* vero *mediorum* ſunt, quæ impediunt, ne media ſortiantur ſuum effectum, vel ne iisdem uti poſſis.

Exemplo differentia ſit manifeſta. Diximus paulo ante, obtrectationem, cui Patronus fidem habet, eſſe impedimentum, quo minus ad munus, quod ambis, eveharis, quod illa commenda-

Digitized by Google

mendationem tui irritam facit. Obtentio muneris finis eſt, commendatio medium finem obtinendi. Hic adeo impeditur medium, quo minus effectum ſortiri poſſit. Enimvero ſi *Patronus* commendationi plenam habet fidem & in eo eſt, ut munus tibi conferatur, ſubito autem moritur, vel alius ipſi commendatur ab eo, cujus commendationi ob rationes ſingulares deeſſe non poteſt; finis immediate impeditur, nec impedimentum medium petit. Vides adeo impedimenta non ſemper medio opponi, & hoc irrito facto finem impedire, quin ſæpe etiam finem immediate evertere, medio intacto. Ne igitur circa impedimentorum inveſtigationem tibi deſis, ea in impedimenta finis & impedimenta mediorum, quæ iisdem objiciuntur vel in ipſo executionis actu, vel ubi iisdem jam uſus fueris, a ſe invicem eſſe diſtinguenda.

§. 198.

Quoniam impedimenta alia finem immediate, alia media feriunt (§. 197.); *In impedimentis inveſtigandis tam inquirendum eſt in ea, quæ finem immediate impediunt, tum in hæc, quæ executioni mediorum opponuntur.* ***Quænam in impedimentorum inveſtigatione obſervanda.***

Impedimenta finis magis caſui obnoxia ſunt ex parte agentis, quam impedimenta mediorum, ac difficilius prævideri poſſunt. *Sunt* tamen remedia generalia, quæ haud raro ſatisfaciunt, veluti ſi maturetur negotium, ſi conſiliorum tuorum neminem facias participem, & quæ ſunt his gemina. Remedia, quæ exempli loco proferimus, faciunt ad illuſtrandum exemplum, quod de impedimento finis modo propoſuimus (*not.* §. 197.).

§. 199.

Remedia ſunt impedimentorum impedimenta. Etenim remedia impedimenta tollunt, ne actioni agentis amplius obſtent (§. 194.), adeoque per ea intelligitur, cur hæc agen- ***Remediorum ad impedimenta reductio.***

agenti non obſtent, conſequenter rationem continent, cur hoc non fiat (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum impedimentum ſit, quod in ſe continet rationem, cur aliquid non exiſtat, cujus exiſtentiæ ratio ſufficiens ponebatur (§. *726. Ontol.*); remedia utique ſunt impedimenta impedimentorum.

Reductio remediorum ad impedimenta principium heuriſticum eſt (§. *472. Pſych empir.*). Conſiderantur nimirum impedimenta abſolute, citra omnem relationem ad finem vel media, quæ per ipſa irrita fieri debent, tanquam id, quod impediri debet. Unde remedia impedimentis contraria (§. 194.), quemadmodum impedimenta contrariantur fini atque mediis (§. 197.), pro impedimentis impedimentorum habentur.

§. 200.

Alius modus inveſtigandi remedia.

Quoniam *remedia* ſunt impedimenta impedimentorum; *eodem modo deteguntur, quo impedimenta* (§. 193.).

Ecce utilitatem reductionis remediorum ad impedimenta! Poſtquam igitur oſtendimus, quomodo circumſtantiæ detegantur (§. 102. 108. & ſeqq.), quomodo caſus omnes poſſibiles inveſtigentur (§. 181.), & caſus præſens agnoſcatur (§. 183.), quomodo media eruantur (§. 185.), quomodo impedimenta in apricum producantur (§. 193.), quomodo denique remedia inveniantur (§. 196. 200.); abunde docuimus, quomodo ſatisfiat iis, quæ ſupra præcepimus fine quæſito potituro (§. 92.). Non diffiteor, regulas, quas tradidimus eſſe admodum generales; ſed hæ, non aliæ conveniunt inſtituto præſenti. Regulæ ſpeciales ex veritatibus ſpecialibus eruendæ (§. *474. Pſych. empir.*), atque adeo non intelliguntur, niſi iſtis demonſtratis. Faciunt autem generales ad ſpeciales inveſtigandas. Quamobrem qui generalibus frequenti uſu ſatisfacere didicit, veritatibus ſpecialibus cognitis, unde pendent regulæ ſpeciales, in has propria meditatione incidet.

§. 201.

Digitized by Google

§. 201.

Si quis caſum præſentem accurate determinare, vel media eidem convenientia invenire, vel impedimenta prævidere, vel remedia reperire nequit, aut plura horum in poteſtate ſua minime habet; is nec certus eſſe poteſt, ſe ſine quæſituro potiturum. Patet hoc ex iis, quæ fieri debere ſupra præcipimus (§. 92.), ut fine quæſito potiamur. Multis autem modis contingere, ut ea in poteſtate noſtra non ſint, ex iis perſpicitur, quæ de caſibus determinandis, mediis inveniendis, impedimentis inveſtigandis & remediis eruendis prolixe in anterioribus docuimus.

Eventus negotii quando dubius.

Atque hinc redditur ratio, cur eventus negotiorum humanorum ſit admodum dubius, & cur ſpes, quæ alit agentem, varios admodum admittat probabilitatis gradus. Minor foret incertitudo, ſi negotiorum humanorum theoria omnibus numeris abſoluta proſtaret, qualis hactenus deſideratur. Nulla tamen theoria eadem tollitur, cum etiam pendeat ab applicatione principiorum generalium, quæ ipſa ſuppeditat. Applicatio principiorum generalium ratiocinando abſolvitur. Ratiocinii majorem dat theoria, minorem ſuggerit experientia recto facultatum cognoſcendi tam inferiorum, quam ſuperiorum uſu. Experientia non ſemper in agentis poteſtate eſt, etſi in uſu facultatum cognoſcendi nihil deſideretur. Plurimum juvat animum huc advertere, ubi de eo agitur, quantum agenti imputandum ſit, quod ſine quæſito exciderit, vel quod eundem conſecutus fuerit. Plura huc ſpectantia trademus, quando de prudentia acturi ſumus. Nec deerit alibi locus dicendi, quæ huc faciunt.

§. 202.

Quoniam non modo ex anterioribus abunde patet, quam arduum ſit & difficile, caſus accurate determinare, media invenire, impedimenta omnia prævidere & reme-

Quod plerumque ſit incertus.

dia reperire, verum etiam experientia docet, quam raro ſingula ſimul ſint in poteſtate agentis; certus tamen is eſſe nequit, ſe ſine quæſito potiturum, niſi ipſi conſtet, nihil in iſtis deſiderari (§. 201.); *Eventus negotiorum humanorum plerumque incertus eſt, nec evitare incertitudinem in agentis poteſtate poſitum.*

Principium hoc maximi momenti eſt non in una praxis moralis parte. In futurum adeo uſum, quem ampliſſimum experiemur, probe notandum.

§. 203.

Quomodo inveſtigetur ratio, cur ſine quæſito non fuerimus potiti.

Si quis ſine quæſito minime potitus fuerit, rationem, cur eodem non fuerit potitus, detecturus inquirere debet, num caſum præſentem, antequam ageret, rite determinaverit, hoc eſt, circumſtantias omnes, per quas determinatur, habuerit cognitas atque perſpectas, num mediis eidem convenientibus fuerit uſus, num impedimenta, quæ ipſi ſeſe obtulerunt, præviderit, & num remedia noverit iisque uſus fuerit. Etenim ſi quis ſine quæſito minime potitur, is vel caſum præſentem ob circumſtantias non rite cognitas atque perſpectas non accurate determinavit, adeoque mediis convenientibus non fuit uſus, nec impedimenta prævidit, quæ alias prævidere poterat, vel media per errorem elegit, quæ non ſatisfaciunt, aut magis nocuerunt, quam profuerunt, vel alia de cauſa impedimenta non prævidit, aut eorum nullam habuit rationem, neque adeo de remediis cogitavit; vel in remediis, quæ elegit, ceſpitavit (§. 92.). Quamobrem cum ex hiſce intelligatur, cur ſine quæſito non fuerit potitus; in hiſce etiam contineri debet ratio, cur eodem exciderit (§. 56. *Ontol.*). Eam igitur detecturus inquirere utique debet, num caſum præſentem, antequam age-

ageret, rite determinaverit, num mediis eidem convenientibus uſus fuerit, num impedimenta prævideri & remedia genuina adhibuerit.

Qui ex caſu tam ſuo, quam alieno ſapere voluerit, rationem inveſtigare tenetur, cur fine, quem intendebat, exciderit, ac propoſitum male ceſſerit. Eum igitur in finem addenda erat propoſitio præſens. Uſum quoque hunc præſtabit, ut judicio minime fallaci definias, utrum tibi, vel alteri imputari poſſit, quod fine quæſito non fueris potitus. Cum lex naturæ nos obliget ad actiones omnes committendas, quæ quomodocunque ad perfectionem noſtram tendunt (*§. 167. Part. I. Phil. pract. univ.*); extra omnem dubitationem poſitum eſt, quod etiam obligemur ad inquirendas rationes, cur propoſito non reſponderit eventus, ſive nos fine quæſito exciderimus, ſive exciderit alius. Mirifice enim prodeſt ad evitandum omnem culpæ ſenſum, quantum datur, hæc diſquiſitio, etſi plerisque ſit valde moleſta, præſertim ab initio. Oppido autem falluntur, qui inanem in ea operam ſumi ſibi perſuadent, propterea quod ſemel facta a nobis infecta reddi nequeunt, nec amplius integrum eſt malo afferre medelam.

§. 204.

Imitari alterum dicitur, qui actionem ſuam ad alterius actionem conformat. *Quatenus* itaque *nosmetipſos nunc agentes tanquam diverſos conſideramus ab alio tempore agentibus, & actionem præſentem ad præteritam conformamus; nosmetipſos imitamur.* Eſt igitur *Imitatio* actionis noſtræ ad alienam, vel etiam præſentis ad præteritam propriam conformatio. *Imitatio quid ſit.*

Equidem vulgo imitari non dicimur, niſi alios; in Philoſophia tamen non inutile eſt imitationem ad nosmetipſos etiam produci, quatenus fictione non fallaci nos nunc agentes conſideramus tanquam diverſos ab illo tempore agentibus. Hac

 enim

enim ſictione admiſſa, notioni imitationis communi nulla vis infertur. Inconſtantiæ autem loquendi tribuendum, quando facta aliorum imitari dicimur, vel etiam habitus, ex quibus eorum actiones procedunt, veluti temperantiam Ariſtidis aut Cornari. Nec obſtat, ſi vel maxime actionem, quam agentem frequentius dicamur imitari. Inconſtantia enim loquendi haud raro contigit, ut abuſus vocabulorum prævaleat adverſus uſum, veluti cum brachylogia hoc ſuadet, quemadmodum in caſu præſente, ne per ambages dicendum ſit, quanam in re imitemur alterum. Ceterum qui imitatur alterum, actiones alterius pro norma habet actionum ſuarum, ut alienas ſuis repræſentet. Actiones imitatoris ſunt quaſi effigies actionum alienarum.

§. 205.

Quinam alios imitentur.

Qui empirici ſunt in actionibus ſuis, alios imitantur. Etenim qui in actionibus ſuis empirici ſunt, ſecundum experientiam actiones ſuas moderantur (§. *502. Pſych. empir.*). Quamobrem cum ea experiamur, quæ ſola attentione ad perceptiones noſtras patent (§. *664. Log.*); qui in actionibus ſuis empirici ſunt, eas ad aliorum actiones conformare debent, eas ſcilicet edentes, quas ab aliis edi vident. Enimvero qui actiones ſuas ad aliorum actiones conformant, alios imitantur (§. 204.). Imitantur ergo alios, qui in actionibus ſuis empirici ſunt.

Quoniam plerique hominum in actionibus ſuis empirici ſunt maxima ex parte, immo nemo mortalium eſt, qui non in multis empiricus eſſe debeat; imitatio magnum momentum affert ad negotia humana. Quamobrem ubi de generali actionum humanarum directione agimus; imitationis quoque habenda ratio eſt, ut conſtet, quibus cancellis circumſcribenda ſit, ne a regula exorbitet. Quemadmodum promiſcua imitatio admodum periculoſa, cum non quemvis imitari liceat, niſi omnem actionum humanarum differentiam intrinſecam tollas, abunde

ſatis

ſatis demonſtratam in parte priori; ita incauta quoque imitatio, quæ in ſe nihil vitii habet, damnoſa. Et hic inprimis doceri debet, quandonam opportuna ſit, quandonam præpoſtera. Damna ex præpoſtera propullulantia in negotiis maxime arduis quotidie obſervare licet.

§. 206.

Imitatores quando ſint empirici.

Imitatores ſunt empirici in agendo, ſi rationes actionum negligunt. Etenim qui alios imitatur, actiones ſuas ad aliorum actiones conformat (§. 204.). Quodſi ergo rationes actionum negligit, non quærit, cur hoc potius ſit agendum, quam aliud, & hoc potius agendum ſit modo, quam alio (§. *56. Ontol.*), conſequenter non agit hoc, quam quia agere videt alterum; nec agit hoc modo, quam quia alterum videt hoc modo agere, adeoque ſola experientia actiones ſuas moderatur (§. *664. Log.*). Eſt vero empiricus in agendo, qui actiones ſuas ſola experientia moderatur (§. *502. Pſych. empir.*). Ergo imitatores ſunt empirici in agendo, ſi rationes actionum negligunt.

Videmus itaque omnes empiricos in agendo eſſe imitatores. Sed non ex adverſo imitatores omnes eſſe empiricos. Etenim tum demum nudi ſunt empirici, ubi ſepoſito omni rationis uſu imitantur alios, cum ipſis non alia ſit agendi ratio, quam quia hoc vident facere alios, nec alia ratio agendi hoc modo, quam quia alios vident hoc modo agere.

§. 207.

Quando non ſint.

Imitatores non ſunt empirici in agendo, ſi in rationes actionum inquirunt, nec alios imitantur, niſi quatenus actiones ipſorum rationi conformes deprehenderunt. Si enim in rationes actionum alienarum inquirunt, & alios non imitantur, conſequenter actiones ſuas ad actiones aliorum confor-

Digitized by Google

moralitatem actionis influunt (§. 95.), ita ut facile magno conatu nihil agas, vel quod rectum non eſt, agas.

§. 211.

Imitatio rationali æquipollens.

Si alterum, quem fine ſuo potitum noſti, imitaris in caſu ſimili, imitatio rationali æquipollet. Quodſi enim alterum, quem fine ſuo potitum noſti, imitaris in caſu ſimili, ut ſimiliter fine quæſito potiaris, actiones tuas conformas actionibus alterius in caſu ſimili (§. 204.), conſequenter actiones tuas dirigis per actiones olim in caſu ſimili patratas, adeoque actionum tuarum directio in expectatione caſuum ſimilium conſiſtit (§. *503. Pſych. empir.*). Æquipollet vero expectatio caſuum ſimilium rationi, ſi caſus præſens revera fuerit ſimilis præterito (§. *507. Pſych. empir.*), adeoque perinde eſt, ac ſi hoc ageres & hoc modo ageres, quatenus rationi conformis eſt actio alterius. Quoniam itaque imitatio rationalis eſt, ſi in rationes actionum alienarum inquiras, nec alios imiteris, niſi quatenus eorum actiones rationi conformes deprehendis (§. 208.): imitatio rationali æquipollet, ſi alterum, quem fine ſuo potitum noſti, in caſu ſimili imiteris.

Quodſi demonſtrationem æquipollentis expectationis caſuum ſimilium cum ratione olim datam (§. *507. Pſych. empir.*) animo recolas; æquipollentiam imitationis in caſu ſimili cum rationali clarius percipies.

§. 212.

Expectatio caſuum ſimilium quidnam ſit.

Expectatio caſuum ſimilium eſt quædam imitatio. Conſiſtit enim in modo dirigendi actiones per olim facta in caſu ſimili (§. *503. Pſych. empir.*), adeoque conformatio quædam eſt actionis ſuæ ad alienam, vel præſentis noſtræ ad præteritam. Enimvero conformatio actionis ſuæ ad alienam

Digitized by Google

nam, vel præſentis noſtræ ad præteritam imitatio eſt (§. 204.). Quamobrem expectatio caſuum ſimilium eſt quædam imitatio.

Qui caſus ſimiles expectat, actiones ſuas dirigit per aliorum actiones ſeu actiones ſuas præteritas (*ſ. 503 Pſych. empir.*), adeoque actionibus aliorum vel etiam ſuis præteritis utitur tanquam norma agendi. Idem facit, qui alios imitatur (*not. ſ. 204.*). Quamobrem alios imitatur, qui caſus ſimiles expectat Clariſſime adeo perſpicitur, expectationem caſuum ſimilium in imitatione conſiſtere.

§. 213.

Quoniam expectatio caſuum ſimilium eſt quædam imitatio (§. 212.), imitatio vero tum demum rationali æquipollet, ſi alterum, quem ſine ſuo potitum noſti, imiteris in caſu ſimili (§. 211.); *Ad expectationem caſuum ſimilium apprime neceſſaria eſt accurata caſuum determinatio.* *Quid expectatio caſuum ſimilium requirat.*

Vides itaque, quæ de caſibus accurate determinandis & de circumſtantiis inveſtigandis tradidimus, maximo eſſe uſui. Ecquis enim eſt, qui neſciat, expectationem caſuum ſimilium hactenus ſuſtinere vicem theoriæ in negotiis maxime arduis, præſertim ubi de mediis, & impedimentis atque remediis disquiſitio ſollicitum tenet agentis animum? Quod vero ſæpiſſime adeo fallax deprehendatur, & non niſi caſui acceptus referatur eventus; non alia de cauſa accidit, quam quod caſus per ſuas circumſtantias non accurate determinentur, atque adeo diſſimiles cum ſimilibus, ſeu, ut vulgo loqui amant, iidem cum diverſis confundantur.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE MODO CONSEQUENDI SUMMUM BONUM ET FELICITATEM TERRESTREM.

§. 214.

Finis ad ſummum bonum adſpirantis.

Qui *ſummum bonum conſequi vult, in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque intendere debet.* Cum enim ſummum bonum conſiſtat in non impedito progreſſu ad majores continuo perfectiones (§. *374. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui ſummum bonum conſequi vult, is unice in votis habet, ut ad majores continuo perfectiones progrediatur. Quicquid igitur agit, id ideo agit, ut majorem indies perfectionem conſequatur, cumque perfectio iſta obtineri minime poſſit, niſi conjunctis viribus (§. *220. Part. I. Phil. pract. univ.*), non minus propter perfectionem aliorum, quam propter propriam agit. Quamobrem cum finis id ſit, propter quod agens agit (§. *932. Ontol.*); ſummum bonum conſecuturi finis eſt perfectio ſui aliorumque in actionibus omnibus. Et quia finis ab agente intenditur (§. *617. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſummum bonum conſecuturus in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque intendere debet.

Videmus adeo, quemnam ſibi finem conſtituere debeat, cui ſerio propoſitum eſt ſummum conſequi bonum, cujus in hac vita ſumus participes, & quo adeo omnem ſuam cogitationem vertere teneatur. Hæc intentio cum in omnibus actio-

actionibus locum habeat, & perpetua eſſe debet, & conſtans eo ſenſu, quo voluntatem perpetuam & conſtantem diximus (*§. 1062. Part. I. Theol. nat.*).

§. 215.

Qui ſummum bonum conſequi vult, is vitæ perfectæ ſtudere debet. Etenim qui vitæ perfectæ ſtudet, in omnibus actionibus ſuis perfectionem ſui aliorumque directe intendit (§. 34.), ita ut ſtudium vitæ perfectæ ceſſet, quam primum perfectio ſui aliorumque non amplius intenditur (§. 33.). Quoniam itaque ſummum bonum conſecuturus in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque intendere debet (§. 214.); qui ſummum bonum conſequi vult, ad eandem metam contendit, ad quam contendit qui vitam perfectam vivere ſtudet. Quamobrem patet, quod, qui ſummum bonum conſequi vult, vitæ perfectæ ſtudere debeat. *Medium conſequendi ſummum bonum.*

Vides adeo, medium conſequendi ſummi boni eſſe vitæ perfectæ ſtudium. Quamobrem quæ de eodem præcepimus in capite anteriori, ea obſervanda ſunt ei, qui ſummum bonum conſequi voluerit. Relegenda igitur ſunt, quæ ibidem dicta, ut pateat modus ſummum bonum conſequendi. Non tamen ſummum bonum idem eſt cum vita perfecta. Vitam enim perfectam nemo mortalium vivit, quantocunque tandem polleat uſu facultatum ſuarum. Nemo hoc in dubium vocabit, qui eam intimius perſpexit, ut norit, quid ſibi velit ille actionum liberarum omnium & inter ſe, & cum naturalibus conſenſus, in quo eadem conſiſtit (§. 9.). Enimvero ſummum bonum, quod in continuo & non impedito progreſſu ad majores perfectiones conſiſtit, in poteſtate noſtra eſt, & quamprimum id ſumus coſecuti (neque vero ejus conſecutio adeo facilis, quemadmodum forſan nonnullis videri poterat,), ad vitam quoque perfectam continuo magis magisque appropinquamus.

mus. Qui ex parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis didicit, quæ de ſummo bono demonſtravimus, & ex capite præcedenti ſibi familiaria reddidit, quæ de vita perfecta inculcantur; nihil in his, quæ dicimus, deprehendet obſcuri.

§. 216.

Quænam ſit unica cura ad ſummum bonum adſpiranti.

Qui ſummum bonum conſequi vult, ei unice curæ cordique eſſe debet, ut omnes actiones ſuas quoad minima legi naturæ conformet. Qui enim ſummum bonum conſequi vult, is vitæ perfectæ ſtudere debet (§. 215.). Sed qui vitæ perfectæ ſtudet, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturæ conformare tenetur (§. 17.). Quamobrem qui ſummum bonum conſequi vult, is unice curæ cordique habere debet, ut actiones ſuas omnes quoad minima legi naturæ conformet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Summum bonum acquiritur cuſtodia legis naturalis (§. 376. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque hæc cuſtodia unice curæ cordique eſſe debet ei, qui ſummum bonum conſequi vult. Enimvero legem naturæ cuſtodit, qui actiones liberas juxta eandem determinat (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui ſummum bonum conſequi vult, ei unice curæ cordique eſſe debet, ut actiones ſuas omnes juxta naturæ legem determinet, adeoque quoad minima eidem conformet.

Vides adeo, quænam cura & ſollicitudo tenere debeat eum, qui ſummum bonum conſequi voluerit. Sane ubi ea nondum adeſſe intelligitur, ibi nec adeſt voluntas ſummi boni conſequendi ſeria. Quanta vero ſit hæc cura, is demum perſpicit, qui omnem legis naturalis amplitudinem, quam in parte prima monſtravimus, animo comprehendit.

§. 217.

Digitized by Google

§. 217.

Summum bonum & felicitas ſimul & una eademque opera acquiruntur. Summum enim bonum acquiritur cuſtodia legis naturalis (§. *376. Part. I. Phil. pract. univ.*), & felicitatem eadem legis naturalis cuſtodia conſequimur (§. *396. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi ſummum bonum conſequi velis, actiones tuas omnes juxta naturæ legem determinare debes, & ubi felicitatis compos fieri velis, easdem juxta eandem determinare teneris (§. *138. Part. I. Phil. pract. univ.*). Et quamprimum actiones omnes juxta naturæ legem determinas, ſummi boni pariter atque felicitatis particeps evadis (§. *cit.*). Una igitur eademque opera atque ſimul ſummum bonum & felicitas acquiruntur.

Felicitatis cum ſummo bono acquiſitio.

Non igitur neceſſe eſt, ut is, cui ſummum bonum curæ cordique eſt, de felicitate ſua multum ſit ſollicitus: etenim de eadem ne cogitantem quidem ſua veluti ſponte ſequitur, ubi illius particeps evadit. Neque tibi verendum eſt, ne felicitatis fucata ſpecie fallaris: ſummi enim boni indivulſa comes non eſt niſi vera felicitas, quæ nomen ſuum tuetur. Illud tamen tenendum eſt, non diſſentire a nobis eos, qui in moralibus tanquam finem ſpectant felicitatem noſtram, & ad eam referri volunt omnes noſtras actiones, modo legis naturalis notionem eam habeant, quam in parte prima inſinuavimus. Cum enim cuſtodia legis naturalis felicitas, quæ nomen ſuum tuetur, acquiratur (§. *396. Part. I. Phil. pract. univ.*), & eadem quoque acquiratur ſummum bonum, ſi vel maxime de eodem non cogites (§. *376. Part I. Phil. pract. univ.*); ex ipſa quoque notione curæ felicitatis deducitur ſummum bonum eſſe proſequendum. Tuncque patet, felices nos eſſe haud quaquam poſſe, niſi quatenus ſummi boni reddimur participes, conſequenter qui felix eſſe cupit, omni animi contentione in id incumbere

Digitized by Google

debere, ut ſummi boni fiat particeps. Enimvero ex iis, quæ in parte prima demonſtravimus, intelligitur, naturæ rerum magis convenire, ut in ſummum bonum primum mentis noſtræ aciem dirigamus, & felicitatem tanquam ejus fructum ſpectemus.

§. 218.

Ardor quid ſit.

Per *Ardorem* (animi ſcilicet) intelligimus actum voluntatis cupiditate, & noluntatis fuga vehemente ſtipatum.

Actus voluntatis & noluntatis ad appetitum & averſationem rationalem ſpectat (§. 880 881 *Pſych. empir.*), cupiditas & fuga affectus ſunt (§. 810. 818 *Pſych. empir.*), adeoque actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ſunt (§. 603. *Pſych. empir.*). Requirit adeo ardor animi conſenſum appetitus rationalis & ſenſitivi, atque averſationis rationalis & ſenſitivæ. Quamobrem cum actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ admittant gradus, quos recipit omnis affectus ob vehementiam in appetendo & averſando (§. 603. *Pſych. empir.*); ardor quoque ſuos habet gradus, quos nempe a cupiditate & fuga recipit. Major itaque ardor eſt, ubi major fuerit cupiditas vel fuga.

§. 219.

Quando ardori ſit locus.

Ardori locus non eſt, niſi quod volumus amemus, & quod nolumus, oderimus. Quodſi enim ardori locus eſſe debet, ad actum voluntatis accedere debet cupiditas, ad actum vero noluntatis fuga (§. 218.). Enimvero cupiditas ex amore (§. 807. *Pſych. empir.*); fuga ex odio naſcitur (§. 81[illegible] *Pſych. empir.*), adeoque ad actum voluntatis non accedit cupiditas, niſi quod volumus amemus, nec ad actum noluntatis accedit fuga, niſi quod nolumus oderimus. Ardori igitur locus eſſe nequit, niſi quod volumus amemus, & quod nolumus oderimus.

Vide

Videmus itaque ardorem animi excitari minime poſſe, niſi ante excitetur amor ejus, quod volumus, & odium ejus, quod nolumus.

§. 220.

Quinam virtutem vel vitium ament, quinam oderint.

Qui ex virtute vel vitio voluptatem percipit, virtutem vel vitium amat, qui ex virtute vel vitio tædium ſive moleſtiam percipit, virtutem vel vitium odit. Nimirum ſi in re inanimata quidpiam deprehendimus, quod nobis multam affert voluptatem, rem iſtam amamus (§. *654. Pſych. empir.*): ſi vero in eadem quidpiam deprehendimus, unde tædium ſive moleſtiam percipimus, eandem odimus (§. *679. Pſych. empir.*). Per ſe patet, virtutem atque vitium rerum inanimatarum numero eſſe. Quamobrem ſi ex virtute vel vitio voluptatem percipimus, virtutem vel vitium amamus: ſi vero ex virtute vel vitio tædium ſive moleſtiam percipimus, virtutem vel vitium odimus.

Experientia propoſitionem præſentem abunde confirmat, quæ cum quotidie ac ubivis obvia ſit, non opus eſt, ut exempla in medium afferamus.

§. 221.

Quinam vitam perfectam amet, imperfectam oderit.

Qui ex vita perfecta voluptatem percipit, eandem amat; qui ex imperfecta tædium ſive moleſtiam percipit, eam odit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem anteriorem oſtendimus.

Propoſitionem hanc non alio fine addimus, quam ut ardorem vivendi vitam perfectam intimius perſpiciamus, quantum ad ſtudium ejus ſufficit.

§. 222.

Quinam ardore vitam perfectam vivendi, vel

Qui ex vita perfecta vel virtute nondum voluptatem percipit, is nec ardore vitam perfectam vivendi, vel virtutem colendi flagrare poteſt. Etenim qui ex vita perfecta vel virtute nondum

debere, ut ſummi boni fiat particeps. Enimvero ex iis, quæ in parte prima demonſtravimus, intelligitur, naturæ rerum magis convenire, ut in ſummum bonum primum mentis noſtræ aciem dirigamus, & felicitatem tanquam ejus fructum ſpectemus.

§. 218.

Ardor quid ſit.

Per *Ardorem* (animi ſcilicet) intelligimus actum voluntatis cupiditate, & noluntatis fuga vehemente ſtipatum.

Actus voluntatis & noluntatis ad appetitum & averſationem rationalem ſpectat (§. 880 881 *Pſych. empir.*), cupiditas & fuga affectus ſunt (§. 810. 818 *Pſych. empir.*), adeoque actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ſunt (§. 603. *Pſych. empir.*). Requirit adeo ardor animi conſenſum appetitus rationalis & ſenſitivi, atque averſationis rationalis & ſenſitivæ. Quamobrem cum actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ admittant gradus, quos recipit omnis affectus ob vehementiam in appetendo & averſando (§. 603. *Pſych. empir.*); ardor quoque ſuos habet gradus, quos nempe a cupiditate & fuga recipit. Major itaque ardor eſt, ubi major fuerit cupiditas vel fuga.

§. 219.

Quando ardori ſit locus.

Ardori locus non eſt, niſi quod volumus amemus, & quod nolumus, oderimus. Quodſi enim ardori locus eſſe debet, ad actum voluntatis accedere debet cupiditas, ad actum vero noluntatis fuga (§. 218.). Enimvero cupiditas ex amore (§. 807. *Pſych. empir.*); fuga ex odio naſcitur (§. 815. *Pſych. empir.*), adeoque ad actum voluntatis non accedit cupiditas, niſi quod volumus amemus, nec ad actum noluntatis accedit fuga, niſi quod nolumus oderimus. Ardori igitur locus eſſe nequit, niſi quod volumus amemus, & quod nolumus oderimus.

Vide-

Digitized by Google

Videmus itaque ardorem animi excitari minime poſſe, niſi ante excitetur amor ejus, quod volumus, & odium ejus, quod nolumus.

§. 220.

Qui ex virtute vel vitio voluptatem percipit, virtutem vel vitium amat, qui ex virtute vel vitio tædium ſive moleſtiam percipit, virtutem vel vitium odit. Nimirum ſi in re inanimata quidpiam deprehendimus, quod nobis multam affert voluptatem, rem iſtam amamus (§. *654. Pſych. empir.*): ſi vero in eadem quidpiam deprehendimus, unde tædium ſive moleſtiam percipimus, eandem odimus (§. *679. Pſych. empir.*). Per ſe patet, virtutem atque vitium rerum inanimatarum numero eſſe. Quamobrem ſi ex virtute vel vitio voluptatem percipimus, virtutem vel vitium amamus: ſi vero ex virtute vel vitio tædium ſive moleſtiam percipimus, virtutem vel vitium odimus.

Quinam virtutem vel vitium ament, quinam oderint.

Experientia propoſitionem præſentem abunde confirmat, quæ cum quotidie ac ubivis obvia ſit, non opus eſt, ut exempla in medium afferamus.

§. 221.

Qui ex vita perfecta voluptatem percipit, eandem amat; qui ex imperfecta tædium ſive moleſtiam percipit, eam odit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo propoſitionem anteriorem oſtendimus.

Quinam vitam perfectam amet, imperfectam oderit.

Propoſitionem hanc non alio fine addimus, quam ut ardorem vivendi vitam perfectam intimius perſpiciamus, quantum ad ſtudium ejus ſufficit.

§. 222.

Qui ex vita perfecta vel virtute nondum voluptatem percipit, is nec ardore vitam perfectam vivendi, vel virtutem colendi flagrare poteſt. Etenim qui ex vita perfecta vel virtute nondum

Quinam ardore vitam perfectam vivendi, vel

Digitized by Google

virtutem colendi flagrare nequeat. dum voluptatem percipit, is vitam perfectam (§. 221.), vel virtutem nondum amat (§. 220.). Quamobrem cum ardori locus eſſe nequeat, niſi quod volumus, amemus (§. 219.); qui ex vita perfecta, vel virtute voluptatem nondum percipit, is nec ardore vitam perfectam vivendi, vel virtutem colendi flagrare poteſt.

Videmus adeo indiſpenſabilem neceſſitatem amoris vitæ perfectæ atque virtutis, ſiquidem ardore iſtam vivendi atque hanc colendi flagrare velis. Quamobrem ferendus non eſt amoris iſtius neglectus. Eum inſuper habent, qui nonniſi comminationibus ac pœnis ad actiones legi naturæ conformes alios adducere conantur. Neque enim ex iisdem voluptatem percipiunt, qui inviti ad eas committendas compelluntur. Quamobrem nec ullum in ipſis obſervas ardorem eas committendi: quin potius haud raro obſervare licet, quod cum indignatione agant, quod omittere mallent.

§. 223.

Quinam ad agendum promptiſſimus ſit. *Qui ardore agendi flagrat, fortius actionem appetit, & ad agendum promptiſſimus eſt.* Etenim cum ardor ſit actus voluntatis cupiditate ſtipatus (§. 218.), cupiditas vero ſit affectus (§. *810. Pſych. empir.*), adeoque appetitus ſenſitivi actus vehementior (§. *603. Pſych. empir.*); voluntas ſeu appetitus rationalis (§. *880. Pſych. empir.*) & appetitus ſenſitivus inter ſe conſentiunt ad idem tendentes (§. *908. Pſych. empir.*). Appetitus fortior eſt, ubi rationalis & ſenſitivus inter ſe conſentiunt (§. *912. Pſych. empir.*). Quamobrem qui ardore agendi flagrat, fortius actionem appetit. *Quod erat primum.*

Nemo non novit, ſe ideo agere, quia agere vult, ſeu actionem appetit. Quamobrem cum anima lubenter velit, quod vult (§. *939. Pſych. empir.*); quo fortius actionem appetit, eo quoque lubentius agere vult. Enimvero unus-

Digitized by Google

unusquisque tam in ſe ipſo, quam in aliis experitur, quod ad agendum tanto ſimus promptiores, quanto lubentius agere velimus. Quoniam itaque qui ardore agendi flagrat, fortius actionem appetit (*per demonſtrata*); quin ad agendum promptiſſimus ſit, dubitari nequit. *Quod erat alterum.*

Propoſitionem præſentem experientia ſatis ſuperque confirmat. Acumine tamen opus eſt, ne eandem ad caſus diverſos trahamus, ſit ita quod inconſtantia loquendi hoc ferat. Neque enim hic de ſimplici affectus impetu nobis ſermo eſt, qui ſuos admittit gradus; ſed de eo, qui actum voluntatis ſeu appetitus rationalis ſocium habet. Enimvero quemadmodum ipſe quoque ardor ſuos habet gradus, quos non modo a cupiditate nuda, verum etiam ab aliis affectibus, qui eidem varii pro diverſitate circumſtantiarum permiſcentur, recipit; ita quoque gradus promptitudinis pro diverſitate graduum ardoris variant, optime diſcernendi per impatientiam moræ, quæ agenti injicitur. Promptitudinem agendi vulgo tempore æſtimamus. Enimvero cum tempus vix obſervabile a natura actu dividatur in partes multas nobis minime perceptibiles; hæc æſtimatio in moralibus non ſufficit. Unde niſi ad ea reſpicias, quæ in ardorem influunt, eadem videri poterit agendi promptitudo, quæ tamen gradu admodum diverſa eſt. Cum gradus promptitudinis a gradu ardoris dependeat; ardoris quoque gradus ex eadem moræ impatientia æſtimantur: id quod etiam vulgo fieri ſolet. Unde vernaculo dicere ſolemus, er iſt ſo hitzig darauf, daß er es gar nicht erwarten kan, hoc eſt, tanto flagrat agendi ardore, ut tempus, quo agendum, expectare nequeat.

§. 224.

Qui ardore agendi flagrat, is non facile a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur: Etenim qui ardore agendi flagrat, actionem fortius appetit (§. 223.). Sed qui actionem fortius appetit ab appetitione ſe non facile dimoveri patitur (§. 911. *Pſych.*

Idem ulterius expenditur.

Pſych. empir.). Quamobrem cum propoſitum ſit actus voluntatis, quo determinatur executio decreti (§. *503. Part. I. Theol. nat.*), conſequenter volitionis agendi (§. *497. Part. I. Theol. nat.*); qui ardore agendi flagrat, is non facile a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur.

Experientia itidem confirmat veritatem propoſitionis præſentis, & qui rationem conſulit, non miratur difficultatem a propoſito ſuo abſtrahendi eum, qui ardore agendi flagrat. Etenim ſi eum a propoſito ſuo dimoveri velis, ratio ſufficiens mutandi propoſiti adeſſe debet. Sed in conſenſu rationalis & ſenſitivi appetitus, qualis in ardore adeſt (*not. §. 218.*), difficillime ea reperitur, immo haud raro nobis impoſſibile eſt aliquam reperiri. Patebit hoc ex ſequentibus luculentiſſime.

§. 225.

Ardoris effectus circa actiones privativas.

Qui ardore non agendi flagrat, actionem fortius averſatur, & ad agendum difficillime adducitur. Etenim cum ardor non agendi ſit actus noluntatis fuga ſtipatus (§. 218), fuga vero affectus ſit (§. *818. Pſych. empir.*), adeoque actus averſationis ſenſitivæ vehementior (§. *603 Pſych. empir.*); noluntas, ſeu averſatio rationalis (§. *881. Pſych. empir.*), & averſatio ſenſitiva inter ſe conſentiunt, utpote in eodem objecto concurrentes (§. *915. Pſych. empir.*). Averſatio ſenſitiva rationalem fortiorem efficit (§ *914. Pſych. empir.*). Quamobrem qui ardore non agendi flagrat, actionem fortius averſatur. *Quod erat unum.*

Nemo non novit, ſe ideo non agere, quia agere non vult, ſeu actionem averſatur. Quamobrem quo fortius eandem averſatur, eo magis ab agendo remotum habet animum. Quoniam itaque actionem fortius averſatur, qui ardore non agendi flagrat (*per demonſtrata*); idem quoque ab agendo quam maxime remotum habet animum, con-

Digitized by Google

conſequenter ad agendum nonniſi difficillime adducitur. *Quod erat alterum.*

Experientia adſtipulatur, modo acumine utaris, ne quod a ſimplici affectuum impetu proficiſcitur, ad ardorem non agendi referas: ſit ita, quod id ipſum non improbet inconſtantia loquendi. Nobis enim hic de impetu affectus, qui eſt fuga, non ſermo eſt, niſi quatenus ad actum noluntatis accedit (§. 218.). Ceterum hic quoque ardor ſuos habet gradus, quos non modo a fuga nuda, verum etiam ab aliis affectibus, qui eidem pro diverſitate circumſtantiarum permiſcentur, recipit, atque pro diverſitate graduum ardoris variant quoque gradus difficultatis ad agendum adducendi eum, qui ardore non agendi flagrat. Gradus hi optime æſtimantur ex reſiſtentia, quam is adhibet, ubi eum ad agendum adducere volueris, quam non ſemper eſſe eandem, nemo non novit.

§. 226.

Idem uberius expenditur.

Qui ardore non agendi flagrat, is non facile a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur. Etenim qui ardore non agendi flagrat, ad agendum difficillime adducitur (§. 225.). Quamobrem cum propoſitum agendi ſit actus voluntatis, quo executio decreti determinatur (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*), adeoque propoſitum non agendi actus noluntatis, quo decretum non agendi firmatur; qui agere nolentem ad agendum adducere vult, eum a propoſito ſuo dimovere debet. Patet itaque quod difficillime a propoſito ſuo ſe dimoveri patiatur, qui ardore non agendi flagrat.

Experientia idem manifeſto loquitur, & qui rationem conſulit, non abſimili modo intelligit difficultatem alterum a propoſito non agendi divellendi, quo ante innoteſcere diximus difficultatem alterum revocandi a propoſito agendi.

§. 227.

Quinam omnium difficillime

Si quis ardore agendi & ardore non agendi contrarium flagrat; is omnium difficillime a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur. Ete-

a propoſito dimoveatur. Etenim qui ardore agendi flagrat, is non facile a propoſito ſuo agendi ſe dimoveri patitur (§. 224.). Et qui ardore non agendi flagrat, is itidem non facile a propoſito ſuo non agendi ſe dimoveri patitur (§. 226.). Quamobrem ſi quis ardore agendi & ardore non agendi contrarium ſimul flagrat; is & difficulter a propoſito agendi, & a propoſito non agendi avocari poteſt. Enimvero ſi, qui ardore agendi & ardore non agendi ſimul ardet, a propoſito ſuo dimoveri debet; is & propoſitum agendi, & propoſitum non agendi mutare debet, antequam ad agendum contrarium adducatur. Patet itaque omnium difficillime a propoſito ſuo avocari, qui ſimul ardore agendi & non agendi contrarium ardet.

Nimirum duplex in caſu præſenti ſuperanda difficultas, altera quæ objicitur a propoſito agendi alterum avocaturo, ut actionem omittat, ad quam committendam promptiſſimus eſt (§. 223.), altera quam experitur a propoſito non agendi alterum dimoturus, ut is actionem contrariam committat, ad quam committendam difficulter adduci ſeſe patitur (§ 226.). E. gr. Si quis ardore flagrat temperanter vivendi, ſimulque intemperanter non vivendi; is omnium difficillime a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur, ut intemperanter vivat, quam ſi tantummodo ardore temperanter vivendi flagret. Exemplum nobis præbet *Cornarus.* Etenim cum commoda vitæ temperantis expertus eſſet, difficulter ſeſe a propoſito temperanter vivendi dimoveri patiebatur. Cum tamen damna ex intemperantia metuenda nondum ſatis explorata haberet, occaſione invitante a conſueta ſibi temperantia recedebat. Enimvero poſtquam in morbum periculoſiſſimum inciderat, temperantiæ legibus non amplius adeo ſtricte obſervatis, adeoque ardor intemperanter non vivendi ardori temperanter vivendi accedebat; poſthac nullo pacto a propoſito leges temperantiæ rigoroſiſſime obſervandi avocari ſe patiebatur.

§. 228.

§. 228.

Qui ardore agendi & ardore non agendi contrarium ſimul flagrat, is actionem committendam amat, contrariam odit. Etenim cum ardori locus non ſit, niſi quod volumus amemus, & quod nolumus oderimus (§. 219.); qui ardore agendi flagrat, actionem, quam committere vult, amat, & ex adverſo qui ardore non agendi flagrat, actionem, quam committere non vult, odit. Quamobrem qui ardore agendi & ardore non agendi contrarium ſimul flagrat; is actionem committendam amat atque contrariam odit.

Status animi ardore agendi & non agendi contrarium flagrantis.

Clarius hinc perſpicitur fons difficultatis majoris, ubi a propoſito ſuo revocandus, qui & ardore agendi, & ardore non agendi contrarium ſimul flagrat. Etenim pugnandum tibi eſt cum amore actionis committendæ & cum odio actionis contrariæ, conſequenter duo extirpandi ſunt affectus, immo ſubinde neceſſe eſt, ut odium actionis contrariæ vertatur in amorem, vel amor actionis committendæ in odium. Quam vero ſit difficile, immo ſæpe prorſus impoſſibile affectum in caſu particulari extirpari, vel in contrarium verti, ſuo loco abunde conſtabit. Quodſi plures affectus cupiditati vel fugæ permiſceantur, quibus ardor agendi vel non agendi multo magis intenditur; eodem modo patet, cur difficultas revocandi alterum a propoſito ſuo major reddatur. Accurata graduum ardoris determinatio longe difficillima foret, propterea quod hi dependent a gradibus admodum diverſis haud paucorum, quæ in ardorem influunt, quæ ſingula pro varietate circumſtantiarum mirum quantum variari poſſunt. Sed de ea hic ut ſolliciti ſimus ne quidem opus eſt, cum ſufficiat perſpexiſſe rationes graduum, ut in caſu dato colligatur inde, quinam ſint rationes gradus præſentis. Tollenda nimirum cauſa, ſi vis tolli malum ab eadem pendens.

Digitized by Google

§. 229.

Ardor quinam ad ſummum bonum conſequendum requiratur.

Qui ſummum bonum conſequi vult, ardorem in ſe excitare debet nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi eidem conforme. Etenim qui ſummum bonum conſequi vult, ei unice curæ cordique eſſe debet, ut omnes ſuas actiones quoad minima legi naturæ conformet (§. 216.), conſequenter nil quicquam agat, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittat, quod eidem convenit. Neceſſe igitur eſt, ut voluntatem ad hoc agendum, & noluntatem ad illud non agendum determinaverit, adeoque hoc agere, illud non agere decreverit (§. *497. Part. I. Theol. nat.*), & executionem hujus decreti ſerio velit, conſequenter firmum ipſi ſit propoſitum nil quicquam agendi, niſi quod legi naturali convenit, nec quicquam omittendi, niſi quod eidem adverſum. Quoniam itaque omnium difficillime a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur, qui ardorem agendi & non agendi contrarium ſimul habet (§. 227.); ſummum bonum conſecuturus excitare in ſe debet ardorem agendi, quod naturæ legi conforme, & ardorem non agendi, quod eidem difforme, ſeu, quod perinde eſt, ardorem nil quicquam omittendi, quod legi naturæ conveniens, nec quicquam agendi, quod eidem contrarium.

Vides neceſſitatem ardoris agendi & non agendi in ſummi boni proſecutione, quoniam inde pendet firmitas propoſiti, ut haud facile mutari poſſit. Propoſitum enim cum in ſe ſpectatum ſemper ſit mutabile, immutabile effici nequit. Ceterum nemo non videt, ardorem, quem in præſente propoſitione commendamus, requiri ubivis, ubi cuſtodia legis, naturalis opus eſt. Ardor robur ſuum acquirit non modo a motivis, quibus determinatur actus voluntatis & noluntatis, verum etiam a cupiditate & fuga ceteriſque affectibus, qui pro varietate circumſtantiarum cupiditati & fugæ permiſcentur. Et ab hiſce inprimis pendet, ne

ne propoſitum mutetur facile, quemadmodum ex iis eluceſcet, quæ de impedimentis cuſtodiæ legis naturalis mox demonſtraturi ſumus.

§. 230.

Quinam ardor requiratur ad vitam perfectam.

Qui vitæ perfectæ ſtudere vult, ardorem in ſe excitare debet nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi eidem conforme. Qui enim vitæ perfectæ ſtudet, is actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare debet (§. 17.). Unde eodem modo porro oſtenditur, quod ardorem in ſe excitare debeat nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi eidem conforme, quo idem in propoſitione præcedente de eo oſtendimus, qui ſummum bonum conſequi vult (§. 229.).

Patet idem ex eo, quod ſummum bonum conſecuturus vitæ perfectæ ſtudere debeat (§. 215.). Quoniam enim proſecutio ſummi boni & ſtudium vitæ perfectæ indivulſo nexu inter ſe cohærent, ut ſine hoc illud conſequi non detur; qui facit ad conſequendum ſummum bonum ardor, idem etiam ad ſtudium vitæ perfectæ requiritur. Nimirum ardor conſequendi ſummum bonum & ardor vivendi vitam perfectam ab ardore cuſtodiendi legem naturalem pendet, quatenus finem qui vult medium quoque velit neceſſe eſt, ſine quo illum conſequi minime datur (*§. 941. Ontol.*). Eſſe enim ſtudium vitæ perfectæ inſtar medii conſequendi ſummum bonum, quod tanquam finis intenditur, ex ſupra demonſtratis (§. 215.) vi notionis medii colligitur (*§. 937. Ontol.*).

§. 231.

Qualis ardor requiratur ad virtutem colendam.

Qui virtutem colere vult, & qui felicitatis compos fieri deſiderat, ardorem in ſe excitare debet nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme. Ad virtutem requiritur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ con-

conformes ſunt (§. *328 Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter qui virtutem colere vult, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur. Unde porro ut ante (§. 229.) colligitur, qui virtutem colere vult, eum in ſe excitare debere ardorem nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi eidem conforme. *Quod erat unum.*

Similiter felicitas legis naturalis cuſtodia acquiritur (§. *396. Part. I. Phil. pract. univ.*), eademque conſervatur, nec ſine ea conſervari poteſt (§. *397. Part. I. Phil. pract. univ.*), neque etiam acquiri (§. *398. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter qui felix eſſe vult, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur. Unde porro ut ante (§. 229.) colligitur, qui felicitatis compos fieri vult, eum in ſe excitare debere ardorem nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi eidem conforme. *Quod erat alterum.*

Ardor adeo nil quicquam agendi, niſi quod legi naturali conforme eſt, ſeu committendi actiones, quæ eidem conformes ſunt, & omittendi eas, quæ eidem contrariæ ſunt, tum ad ſtudium vitæ perfectæ, tum ad culturam virtutis, tum ad conſequendum ſummum bonum atque felicitatem requiritur. Etenim ſtudium vitæ perfectæ, cultura virtutis, conſecutio ſummi boni & felicitatis firmiſſimo vinculo inter ſe cohærent, & eodem medio & vita perfecta, & virtus, & ſummum bonum, & felicitas, nempe cuſtodia legis naturalis acquiritur, quemadmodum abunde demonſtratum eſt tum in parte prima, tum in capite præcedente partis hujus alterius. Maximi adeo momenti eſt ardor nil quicquam agendi, niſi quod legi naturali conforme. Et plurimum nocet, quod hujus ardoris cura tam parum ſollicitos teneat plerorumque animos. Defectui hujus ardoris tribuendum, quod quidam aliquas virtutes particulares colant, quædam tamen vitia adhuc familiaria experiantur, nec ſtudium virtutum, quas colunt, ſit ſatis ſincerum.

§. 232.

Digitized by Google

§. 232.

Qui ardore flagrat nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme; ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt. Qui ardore flagrat, nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme; is in omni caſu vult eas committere actiones, quæ legi naturæ conveniunt, eas vero omittere, quæ eidem repugnant (§. 218.), conſequenter quoad omnes actiones voluntas ejus eadem (§. *181. Ontol.*). Quamobrem cum voluntas perpetua ſit, quæ in omni caſu, ſeu quoad omnes actiones eadem (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*); qui ardore flagrat nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme; ei perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt. *Quod erat unum.*

Cuinam perpetua ſit voluntas & conſtans legem naturæ ſervandi.

Porro qui ardore flagrat nil quicquam agendi, quod legi naturæ adverſum, is flagrat ardore non committendi actiones eidem difformes, & qui ardore flagrat non omittendi quod eidem conforme, is ardore flagrat committendi actiones legi naturæ conformes. Qui vero ardore agendi & non agendi contrarium flagrat, is omnium difficillime a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur (§. 227.), nempe non dimovendus, niſi ardor iſte extinguatur. Quamobrem qui ardore flagrat committendi actiones legi naturæ conformes & non committendi eidem difformes, a propoſito ſuo dimoveri, conſequenter voluntatem ſuam mutare nequit in dato caſu, quamdiu ardor iſte ſubſiſtit (§. *503. Part. I. Theol. nat.* & §. *291. Ontol.*). Quoniam itaque voluntas conſtans eſt, quatenus in dato caſu quoad actio-

Digitized by Google

nem datam minime mutatur (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*); qui ardore flagrat committendi actiones legi naturæ conformes & non committendi eidem contrarias, conſequenter nil quicquam agendi quod legi naturæ adverſum, nec quicquam omittendi quod eidem conforme, ei conſtans eſt voluntas non committendi actiones niſi legi naturæ conformes. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias ardorem conſiſtere in conſenſu appetitus rationalis & ſenſitivi, atque averſationis rationalis & ſenſitivæ (§. 218.). Aſt Deum eſſe ſanctiſſimum (*§. 1065. Part. I. Theol. nat.*), adeoque omnium maxime eidem convenire voluntatem conſtantem & perpetuam non agendi, niſi quod rectum eſt (*§. 1063. Part. I. Theol. nat.*), carere tamen appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva, ita ut ne quidem per eminentiam tam ille, quam hæc eidem tribui poſſit (*§. 197. 198. Part. II. Theol. nat.*). Etenim hæc objectio propoſitionem præſentem minime ferit. Ecquis non videt, nos minime contendere, quod ſimpliciter impoſſibile ſit, ut voluntas absque ardore ſit conſtans & immutabilis; ſed tantummodo demonſtrare, poſito ardore poni conſtantiam voluntatis?

§. 233.

Conſtantiæ ac perpetuæ voluntatis ratio generalis.

Immo in genere tenendum eſt: *Si quis flagret ardore agendi & non agendi contrarium, ejus voluntatem eſſe perpetuam atque conſtantem.* Quoniam enim qui ardore agendi & non agendi contrarium flagrat, omnium difficillime a propoſito ſuo ſe dimoveri patitur (§. 227.), adeoque quamdiu ardor iſte durat, ab eodem minime dimovetur; ex propoſitionis præcedentis demonſtratione porro intelligitur, quod in genere voluntas conſtans & perpetua ſit illi, qui ardore agendi & non agendi contrarium flagrat.

Experientia aperte loquitur, modo ad eandem animum advertere velis, in actionibus etiam pravis conſtantem & perpetuam hominibus eſſe agendi voluntatem, ita ut inanem operam ſumas,

Digitized by Google

ſumas, ſi eos a malo propoſito revocare volueris. Quodſi autem in rationem ejusdem inquiſiveris, non aliam deprehendes, quam ardorem agendi conjunctum cum ardore non agendi contrarium: etſi non diffiteamur, ardorem iſtum non ſemper easdem habere ſui cauſas, & quantitatem gradus a diverſis etiam cauſis pendere.

§. 234.

Quod gloria ardorem intendat.

Gloria ardorem intendit agendi quæ legi naturæ conformia ſunt. Eſt enim ſtimulus ad præclara præſtanda absque ſpe lucri (§. *771. Pſych. empir.*), hoc eſt, ideo quod recta & bona intelligantur. Quamobrem ſi gloria ad ardorem accedit, novus ad agendum additur ſtimulus, conſequenter gradus ardoris major fit (§. *746. Ontol.*). Quoniam itaque ardor intenditur, ſi gradus ejus major fit (§. *751. Ontol.*); gloria intendit ardorem agendi quæ legi naturæ conformia ſunt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Gloria eſt gaudium, quod ex benigno aliorum de nobis noſtrisque judicio percipitur (§. *765. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis gloria ducitur ad committendam actionem, quam legi naturæ conformem agnoſcit, is prægustum habet gaudii ex benigno aliorum judicio de actione committenda percipiendi, adeoque benigna iſta judicia cupit (§ *805. Pſych. empir.*). Enimvero in ardore agendi, quod legi naturæ conforme eſt, adeſt cupiditas actionis committendæ (§. 228.). Quamobrem cum gloria ſuperaddat cupiditatem benignorum de actione noſtra judiciorum (*per demonſtrata*); quin gradum ardoris augeat, adeoque eundem intendat (§ *751. Ontol.*), dubitandum non eſt.

Teſtem appellamus experientiam, quæ abunde confirmat, non majorem deprehendi agendi ardorem, quam in iis, qui affectu gloriæ ducuntur. Sufficit provocaſſe ad exempla, quæ in

Digitized by Google

in medium attulimus a poſteriori confirmaturi, quod gloria ſimulum addat ad præclara præſtanda absque ulla ſpe lucri. Qui in arduis ac difficilibus ſuperandis patientiam ſuam defatigari minime patiuntur, quod faciunt, qui affectu gloriæ ducuntur; ardore præclara præſtandi flagrant. Ceterum cum hominum de eo, quod præclarum eſt, judicia ſubinde fallant, non mirum videri debet, ſi gloria accendat & augeat ardorem agendi, quæ legi naturæ parum ſunt conſentanea. Neque hæc exempla obſtant veritati propoſitionis præſentis.

§. 235.

Ardor accendi quando dicatur.

Ardorem accendere idem eſt, ac in volente excitare cupiditatem & in nolente fugam.

Nimirum actus voluntatis in ardorem degenerat, dum affectus cupiditatis eidem ſuperaccedit, & actus noluntatis in ardorem abit, dum affectus fugæ eidem ſe ſocium præbet, unde actus voluntatis & noluntatis præſupponuntur, antequam ardor accendi poſſit, atque adeo accenditur, dum cupiditas & fuga iſtis jungenda excitatur. Quemadmodum autem actus voluntatis tum demum conſtans & perpetuus eſt, ſi rationem prædominari ſupponas, aut, quemadmodum in Deo obtinet, appetitus ſenſitivus nullus eſt, appetitio ſenſitiva nulla, ſed rationali tantummodo locus conceditur, ubi cum actu voluntatis conjungitur actus noluntatis contrarius; ita etiam ad accenſionem ardoris conſtantis & perpetui requiritur excitatio cupiditatis & fugæ ſimultanea. Habet actus voluntatis peculiaria & propria ſibi motiva, talia quoque ſunt actui noluntatis (*§. 890. Pſych. empir.*). Illa cum ſint ratio ſufficiens volitionis, hæc vero ratio ſufficiens nolitionis (*§. 887. Pſych. empir.*), actus voluntatis & actus noluntatis contrarii non ponuntur ſimul, niſi poſitis utrisque motivis ſimul (*§. 118. Ontol.*). Quamobrem cum actus noluntatis contrarii ab actu voluntatis abeſſe poſſit; cupiditati quoque fuga contrarii non neceſſario jungitur. Quodſi tamen quoad appetitum nihil deſiderari debet, neceſſe eſt ut actui voluntatis jungatur actus noluntatis contrarii, & hinc etiam tum demum in ardore

Digitized by Google

ardore nihil amplius deſideratur, ſi cupiditatis comes fuerit fuga contrarii. Unde ad ardorem accendendum requiritur & cupiditatis, & fugæ contrarii excitatio, nec excitari poteſt niſi in volente & contrarium nolente, ſiquidem plenum deſideres.

§. 236.

Quando gloria ardorem accendat.

Si quis vult actionem legi naturæ conformem committere, vel agere vult; gloria ardorem accendit. Etenim qui gloria ducitur, ei benigna aliorum de ſe ſuisque judicia placent (§. *772. Pſych. empir.*), conſequenter placent agere volenti judicia benigna de actione ſua, quæ prævidet, aut ſaltem prævidere ſibi videtur. Enimvero ſi quod nobis placet, nondum habeamus, habere tamen velimus, id cupimus (§. *806. Pſych. empir.*), conſequenter gloria excitat in agere volente cupiditatem. Quoniam itaque ardorem accendit, quod in volente cupiditatem excitat (§. 235.); gloria ardorem accendit in eo, qui agere vult, ſeu ſi quis actionem legi naturæ conformem committere vult.

Demonſtravimus paulo ante (§. 234.), quod gloria ardorem agendi intendat: id quod obtinet, ſi alia de cauſa cupiditas jam fuerit excitata, & eidem ſeſe etiam præbet gloria. Quodſi vero cupiditas nulla adhuc de cauſa fuerit excitata, gloria eidem excitandæ abunde ſufficit, atque tum ardorem accendit. Equidem non accendit plenum, cum poſita cupiditate nondum ponatur fuga contrarii (*not.* §. *235.*); accendit tamen & ad agendum ſufficit, etſi propoſitum agendi magis firmum evadat, ubi fuga contrarii acceſſerit, quæ jam accenſum magis inflammat.

§. 237.

Pudor ardorem non agendi intendens.

Pudor intendit ardorem non agendi, quæ legi naturæ difformia ſunt, vel ſimpliciter non agendi. Qui enim ardore non agendi flagrat, ejus actus noluntatis fuga ſtipatur (§. 218.), adeoque is præſentit tædium vel triſtitiam ex

 actione

Digitized by Google

actione percipiendam, ubi eam commiſerit (§. *813. Pſych. empir.*). Enimvero pudor conſiſtit in triſtitia, vel tædio, quod ex ſiniſtro aliorum de nobis noſtrisque judicio percipitur, quatenus actiones noſtras minus rectas judicant alii (§. *774. Pſych. empir.*). Quoniam itaque qui pudore commovetur, ex ſiniſtro aliorum de actione, ubi eam commiſerit, judicio præviſo triſtitiam ſeu tædium præſentit; prægustus tædii vel triſtitiæ ex actione committenda incrementa capit, conſequenter gradus fugæ major fit (§. *746. Ontol.*), adeoque intenditur (§. *758. Ontol.*). Quamobrem cum ardor non agendi fugæ debeatur (§. 218.); evidens eſt, quod pudor intendat ardorem non agendi, conſequenter etiam ardorem non agendi, quæ legi naturæ difformia ſunt.

Affectus pudoris opponitur affectui gloriæ, quemadmodum ex collatione definitionum utriusque (§. 769. 774. *Pſych. empir.*) patet. Quemadmodum itaque gloria agendi ardorem intendit; ita pudor ardorem non agendi auget. Quamobrem propoſitio præſens eo etiam modo demonſtrari poterat, quo ſupra evicimus, gloria intendi ardorem agendi (§. 234.). Non jam de eo quæſtio eſt, quandonam gloria agendi, pudor non agendi ardorem intendat; ſupponimus enim eum caſum, ubi utrique locus eſt. Alibi enim docebimus quinam ſint illi, qui gloria & pudore ducuntur: neque enim gloria & pudor omnes tangit.

§. 238.

Quando pudor ardorem non agendi accendat.

Si quis agere non vult, vel actionem legi naturali contrariam committere non vult; pudor ardorem non agendi, vel non committendi actionem legi naturæ difformem accendit. Quoniam enim pudor conſiſtit in triſtitia, vel tædio, quod ex ſiniſtro aliorum de nobis noſtrisque judicio percipitur, quatenus actiones noſtras minus rectas judicant alii (§. 774. *Pſych.*

Digitized by Google

Pſych. empir.); qui eodem commovetur, ex ſiniſtro aliorum de actione, ubi eam commiſerit, judicio præviſo triſtitiam ſeu tædium præſentit, adeoque in ipſo datur prægustus tædii ſive triſtitiæ ex malo abſente percipiendæ, ſi ipſi præſens fieret. Ad actum itaque noluntatis accedit fuga (§. 813. *Pſych. empir.*) a pudore excitata. Quamobrem cum actus noluntatis fuga ſtipatus ardor ſit (§. 218.), atque ardor non agendi accendatur, ſi in nolente fuga excitatur (§. 235.); ſi quis agere non vult, vel actionem legi naturæ contrariam committere recuſat, pudor ardorem non agendi, vel non committendi actionem legi naturæ difformem accendit.

Supponimus hic, actum noluntatis fuiſſe determinatum per motivum (§. 889. *Pſych. empir.*), diſtinctam ſcilicet mali repræſentationem (§. 890. *Pſych. empir.*), nullam vero adeſſe cauſam fugæ. Etenim niſi hic fuga excitaretur vi pudoris, prorſus ceſſaret, adeoque nec ardori eſſet locus (§. 218.). Alius ergo caſus eſt, ubi jam alia de cauſa ad actum noluntatis acceſſit fuga, ne demum vi pudoris ſit ſuſcitanda. Atque hic ille ipſe eſt, in quo pudor ardorem intendit (§. 237.).

§. 239.

Acquieſcentia in ſeipſo ardorem agendi in agere volente accendit. Etenim qui agere vult, actionem, quam committere vult, ſibi repræſentat tanquam bonam (§. 892. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum acquieſcentia in ſeipſo oriatur, ſi actiones a nobis perpetratas judicamus bonas (§. 751. *Pſych. empir.*), eaque in gaudio ob actionem bonam a nobis patratam conſiſtat (§ 749. *Pſych. empir.*); agere volens, ubi ad judicium de actione patrata a ſe ferendum animum advertit, præſertim ſi affectus hujus antea percepti memoriam habet, gaudium iſtud ſeu voluptatem iſtam præſentit, *Acquieſcentia in ſeipſo ardorem accendens.*

tit,

Digitized by Google

tit, conſequenter in ipſo datur prægustus voluptatis vel gaudii ex bono abſente, quod nobis præſens eſſe mallemus. Enimvero cupiditas in hoc prægustu conſiſtit (§. 805. *Pſych. empir.*), adeoque in agere volente cupiditas excitatur. Quoniam itaque ardor accenditur excitata in volente cupiditate agendi (§. 235); acquieſcentia in ſeipſo ardorem agendi in agere volente accendit.

Accidit hoc, ubi animum advertimus ad ſtatum futurum eumque perpendimus. Quamobrem cum affectus jucundiſſimus ſit acquieſcentia in ſeipſo (§. 753. *Pſych. empir.*), ubi ejus ſuavitatem jam antea fuerimus experti, vel in aliis, vel (quod multum præſtat) in nobismetipſis, ad cupiditatem agendi excitandam abunde ſufficit, etiamſi multa adhuc alia de cauſa eadem fuerit excitata. Cui adeo ardor agendi, quod legi naturæ conforme eſt, curæ cordique eſt; ei ſuademus, ut hunc affectum in ſe ſæpius excitet (§. 751. *Pſych. empir.*), & ad eum animum advertat, quoties in minimis ad conſervandam conſtantiam voluntatis opus habet (§. 231.).

§. 240.

Eadem ardorem intendens.

Acquieſcentia in ſeipſo ardorem agendi intendit. Etenim cum acquieſcentia in ſeipſo conſiſtat in gaudio ob bonum, quod patravimus (§. 749. *Pſych. empir.*), qui ad hunc affectum animum advertit, præſertim ubi præteriti jam memoriam habet, gaudium ex actione patrata percipiendum præſentit. Quamobrem cum cupiditas in prægustu voluptatis vel gaudii ex bono abſente, quod nobis præſens eſſe mallemus, conſiſtat (§. 805. *Pſych. empir.*); novus iſtiusmodi prægustus accedit, adeoque gradus cupiditatis major fit (§. 746. *Ontol.*). Quoniam itaque ardor agendi intenditur, ſi ejus gradus, quem a cupiditate habet (§. 238), major fit (§. 758. *Ontol.*); acquieſcentia in ſeipſo ardorem agendi intendit.

Nemo

Nemo non intelligit, ſi affectus ad cupiditatem accedens eandem intendit, quod tanto magis eandem intendere debeat, quo magis auget prægustum gaudii vel voluptatis ex actione patrata percipiendæ (*§. 805. Pſych. empir.*). Quamobrem cum acquieſcentia in ſeipſo affectus longe jucundiſſimus ſit (*§. 753. Pſych. empir.*); quin a cupiditate jam præſente pendentem ardorem mirifice augeat extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt. Maxima autem in hiſce vis eſt experientiæ domeſticæ: quod etſi a priori haud difficulter probari poſſit, a poſteriori tamen hic ſumi poteſt. Unde cui ſerium eſt propoſitum agendi, quod legi naturæ conforme, is operam dare tenetur, ut omnia in ſeipſo experiatur, quæ de ardore agendi & non agendi præcipiuntur.

§. 241.

Pœnitentia ardorem non agendi accendens.

Pœnitentia ardorem non agendi in agere nolente accendit. Etenim qui agere non vult, actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, ſibi repræſentat tanquam malam (§. *892. Pſych. empir.*). Quamobrem cum pœnitentia conſiſtat in triſtitia ex eo, quod a nobis male vel minus recte factum exiſtimamus, orta, vel ſaltem in tædio inde percepto (§. *755. Pſych. empir.*), qui ad eam animum advertit, præſertim ubi præteritæ memoriam habet, triſtitiam iſtam vel tædium iſtud præſentit, adeoque prægustum habet tædii vel triſtitiæ ex malo abſente percipiendæ, ſi nobis præſens foret. Quoniam itaque in hoc prægustu fuga conſiſtit (§. *813. Pſych. empir.*), pœnitentia prævisa in agere nolente fugam excitat. Enimvero ardorem non agendi accendit, quod in agere nolente fugam excitat (§. 235.). Patet itaque pœnitentiam in agere nolente ardorem non agendi accendere.

Pœnitentia affectus moleſtiſſimus eſt (*§. 758. Pſych. empir.*), qui animum admodum inquietum reddit (*§. 762. Pſych. empir.*),

Digitized by Google

& cui difficulter medelam afferre licet, cum is, quem facti pœnitet, factum infectum reddere mallet (§. 761 Pſych. empir.): id quod abſolute impoſſibile eſſe nemo non agnoſcit. Quodſi ergo agere nolens ad hunc affectum animum advertit, præſertim ubi experientia ipſi memoriam præteriti ſuggerit, ut eum abunde habeat perſpectum; maximum erit ad conſtantiam conſervandam præſidium. Unde eſt, quod veteres maximo ſtudio inculcaverint, non facienda eſſe ea, quorum poſthac nos pœniteat. Etenim hoc ipſo excitare voluerunt attentionem agentis, ut conſideret, qualis ſit futurus ipſius ſtatus ab actione perpetrata, non alio certe fine, quam ut ardorem non agendi vel accenderent, vel jam accenſum augerent, immo ut ardorem agendi reſtinguerent, ardore non agendi ſuſcitato. Cum parum conſultum ſit, ut domeſtica experientia hic utamur, ne noſtro demum damno ſapiamus; nemo non, qui felicitatis ſuæ rationem habet, in exempla eorum, quos pœnitentia vexat, quotidie proh dolor! ac ubivis obvia, omnem mentis aciem intendat, ut ex alieno caſu diſcat, quæ ad ardorem non agendi accendendum adeo proficua ſunt.

§. 242.

Eadem ardorem non agendi intendens.

Pœnitentia ardorem non agendi intendit. Conſiſtit enim pœnitentia in triſtitia ex eo, quod a nobis male, vel minus recte factum exiſtimamus, orta, vel ſaltem tædio inde percepto (§ 755. Pſych. empir.), adeoque qui futurum proſpicit, præguſtum triſtitiæ vel tædii ex actione, ſi eam patraret, poſthac percipiendi habet. Enimvero in hoc præguſtu fuga conſiſtit (§. 813. Pſych. empir.), adeoque pœnitentiam prævidens, qui ardore non agendi flagrat, præguſtum iſtum auget, ut ſit majoris gradus. Quoniam itaque gradus ardoris hoc ipſo efficitur major, quem a fuga (§. 218.), in iſtiusmodi præguſtu conſiſtente (§. 813. Pſych. empir.), habet; quin non agendi ardorem pœnitentia intendat dubitandum non eſt (§. 758. Ontol.).

Ex

Ex iis, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, intelligitur, magnam eſſe pœnitentiæ prævifæ vim in ardore non agendi intendendo. Quamobrem hic quoque valent, quæ de pœnitentiæ in agendo habenda ratione ibidem inculcantur.

§. 243.

Quinam affectus ardorem agendi & non agendi intendant in dato caſu.

Affectus jucundi, quibus pro datis circumſtantiis agentis locus eſt, ardorem agendi; moleſti vero, qui pro iisdem obtinent, ardorem non agendi intendunt. Affectus enim jucundi in appetendo, moleſti in averſando conſiſtunt (§. *608. 609. Pſych. empir.*), non tamen locum habent niſi pro datis agentis circumſtantiis, adeoque non omnes in dato quocunque caſu, quemadmodum ex definitionibus eorundem realibus *in Pſychologia empirica Part. II. Sect. 1. C. 3.* paſſim traditis manifeſtum eſt. Quoniam itaque affectus omnes ſunt actus animæ, quibus quid vehementer appetit vel averſatur, ſeu actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. *603. Pſych. empir.*), qui pro datis circumſtantiis agentis locum habent affectus jucundi, faciunt utique ut agens actionem vehementius appetat, & qui in moleſtorum numero ſunt, id præſtant, ut idem eandem vehementius averſetur, quam ſi affectus iſti in dato caſu abeſſent. Quoniam cupiditas affectus eſt (§. *810. Pſych. empir.*), isque utpote in prægustu quodam voluptatis vel gaudii conſiſtens (§. *805. Pſych. empir.*) jucundus (§. *608. Pſych. empir.*), & fuga non minus affectus eſt (§. *818. Pſych. empir.*) isque utpote in prægustu quodam tædii vel triſtitiæ conſiſtens (§. *813. Pſych. empir.*) moleſtus (§ *609. Pſych. empir.*); qui quid cupit, is idem vehementius appetit, quam absque cupiditate appeteret, & qui quid fugit, is idem vehementius averſatur, quam absque fuga averſaretur. Quamobrem patet, affectus jucundos, quibus pro datis agentis circumſtantiis

Digitized by Google

locus conceditur, cupiditatem agendi efficere majorem, & ex adverſo moleſtos, qui pro iisdem obtinent, fugam majorem reddere. Quoniam itaque ardor agendi incrementa capit, dum cupiditas & fuga efficitur major (§. 218.), ſeu gradus ejus creſcit; id vero ardorem intendit, quod gradum ipſius majorem efficit (§. *758 Ontol.*); evidens eſt, affectus omnes jucundos, quibus pro datis circumſtantiis agentis locus eſt, ardorem agendi, & ex adverſo affectus quoslibet moleſtos, quibus pro eorundem diverſitate locus conceditur, ardorem non agendi intendere.

Habemus hic principium generale de influxu affectuum in intenſionem ardoris. Quodſi idem applicare volueris, inquirendum omnino eſt, quibusnam pro datis agentis circumſtantiis poſſit eſſe locus: hi enim affectus excitandi ſunt, ut ardor magis inflammetur. Non tamen exiſtimandum eſt, quaſi ea, quæ de gloria & acquieſcentia in ſeipſo, nec non de pudore & pœnitentia tradidimus in ſpecie, ſuperflua ſint: etenim affectus iſti magis univerſalem habent uſum in ardore agendi atque non agendi ceteris. Quamobrem principiis quoque iſtis ardorem accendendi vel jam accenſum magis inflammandi ſæpius utemur, adeoque eadem a nobis demonſtrari ex ipſis iſtorum affectuum notionibus apprime neceſſarium fuit. Propoſitio vero præſens uſui erit in detegendis affectibus, qui gloriæ atque acquieſcentiæ in ſeipſo, nec non pudori ac pœnitentiæ ad ardorem accenſum magis inflammandum jungi poſſunt in dato quocunque caſu.

§. 244.

Cognitio viva & mortua quid ſit.

Cognitio viva dicitur, quæ ſit motivum voluntatis, vel noluntatis. Aſt *mortua* vocatur *cognitio*, quæ non ſit motivum voluntatis vel noluntatis.

Denominatio hæc deſumta eſt ex foro Theologorum, ubi ſcriptura præeunte introducta. Jacobus enim fidem absque operibus

ribus rem mortuam appellat. Ex mente igitur Apoſtoli mortua eſt cognitio de Deo & Chriſto, niſi fiat motivum voluntatis & noluntatis, ut actiones tuæ cognitioni iſti reſpondeant. Unde Johannes mendacem vocat, qui affirmat, ſe noſſe Deum, eum tamen non amat, propterea quod ipſa Dei cognitio hominem impellit ad amorem, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. In Philoſophia vero etiam practica utile eſt inter cognitionem vivam & mortuam diſtingui. Cum enim hic agatur de voluntate hominis flectanda ad actiones legi naturæ conformes committendas, & ad actiones eidem contrarias omittendas, in motiva voluntatis & noluntatis inquirendum (*§. 889. Pſych. empir.*). Quoniam vero non quælibet cognitio motivum voluntatis & noluntatis præbet, ipſa experientia teſte; ideo inquirendum eſt in rationem, cur ea nunc ſit motivum volendi & nolendi, nunc vero non ſit. Cognitio igitur, quæ fit motivum voluntatis vel noluntatis, diſtinguenda eſt ab altera, quæ non fit motivum voluntatis & noluntatis, ut influxus intellectus in voluntatem atque noluntatem diſtincte percipiatur. Quia quæ diverſa ſunt diverſis nominibus a ſe invicem diſcernenda; nominibus opus erat ad hanc cognitionis diverſitatem deſignandum. Quamobrem cum recepta cognitionis vivæ & mortuæ appellatio ſatisfaciat; ea retinenda atque in philoſophiam introducenda fuit.

§. 245.

Quando cognitio ſit viva, quando mortua.

Si vera eſſe agnoſcimus, quæ cognoſcimus; cognitio viva eſt: ſi vero vera eſſe non agnoſcimus, quæ cognoſcimus, ſed de veritate eorum adhuc dubitamus, cognitio mortua eſt. Si quid enim cognoſcimus, aut illud verum eſſe agnoſcimus, aut non agnoſcimus (*§. 53. Ontol.*), conſequenter in caſu poſteriore ignoramus, utrum affirmativæ, an negativæ contradictionis parti aſſenſum præbere debeamus, etſi eundem alteri præbere velimus, adeoque de veritate ejus adhuc dubitamus (*§. 417. Part. II. Theol. nat.*). Quamobrem ubi ſolliciti ſumus de eo, quod velle aut nolle debemus, cum id

 nobis

Digitized by Google

nobis tanquam bonum repræſentare debeamus, quod volendum, & tanquam malum, quod nolendum (§. 892. *Pſych. empir.*); in caſu priore agnoſcimus revera illud bonum vel malum eſſe, quod cognoſcimus, in poſteriore autem adhuc dubitamus, utrum revera bonum vel malum ſit, nec ne. Cum motivum volitionis ſit diſtincta boni, motivum nolitionis diſtincta mali repræſentatio (§. 890. *Pſych. empir.*); nemo non videt cognitionem boni non eſſe motivum volitionis, niſi agnoſcas revera illud bonum eſſe, quod pro tali venditatur, nec cognitionem mali eſſe motivum nolitionis, niſi agnoſcas revera illud malum eſſe, quod pro tali habetur. Enimvero viva eſt cognitio, quæ ſit motivum voluntatis vel noluntatis; mortua vero, quæ non ſit motivum voluntatis vel noluntatis (§. 244.). Quare viva eſt cognitio, ſi vera eſſe agnoſcimus, quæ cognoſcimus; aſt ex adverſo mortua, ſi vera eſſe nondum agnoſcimus, quæ cognoſcimus, ſed de veritate eorum adhuc dubitamus.

Quoniam differentia inter cognitionem vivam & mortuam, qualem ſumimus in definitione utriusque nominali (§. 244.), experientia confirmatur, nihil vero ſit absque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (*§. 70. Ontol.*); actui cognitionis aliquid ineſſe debet, quando ea viva eſt, quod eidem non ineſt, quando mortua (*§. 56. Ontol.*). Actus cognitionis ejusdem rei unus non differt ab altero, niſi quod ad unum accedat agnitio veritatis ejus, quod cognoſcimus, ab altero vero eadem adhuc abeſt, ita ut in caſu priore ad aſſenſum propoſitioni cognitæ præbendum compellamur, in poſteriore autem adhuc dubitemus, utrum eidem aſſenſum præbere debeamus, nec ne. Quamobrem cum ante cognoſcere debeamus, quod appetere vel averſari debemus (*§. 929. Pſych empir.*); ecquis non videt, eam demum cognitionem ſufficere ad actum voluntatis vel noluntatis elicien-

Digitized by Google

ciendum, qui cum agnitione veritatis conjunctus, minime autem alterum, qui dubitationi adhuc obnoxius eſt, conſequenter illum fieri motivum volitionis vel nolitionis (*§. 887. Pſych. empir.*), *hunc* autem minime, adeoque iſtum eſſe actum cognitionis vivæ, *hunc* autem mortuæ (§. 244.)? Experientia quoque abunde confirmat, qui adhuc dubitant, utrum quid bonum vel malum ſit, eos in determinanda voluntate & noluntate hærere, niſi aliqua adſit ratio, quæ dubitatione non obſtante determinationem exigit: de quo jam nobis quæſtio non eſt. Nec minus experimur eos, qui agnoſcunt, revera bonum eſſe, quod pro tali venditatur, vel revera malum eſſe, quod pro tali habetur, illud velle, hoc nolle, etſi haud raro adſint rationes, cur quod volueramus non agamus, & quod nolueramus agamus: de quo itidem nobis jam quæſtio non eſt. Qui in Moralibus experientia magiſtra proficere ſtudet, is accurate a ſe invicem diſcernere debet, quæ ad actionem datam concurrunt. Id vero acumen non conſequetur, niſi principiis pſychologicis & ontologicis probe imbutum poſſiderit animum.

§. 246.

Quoniam cognitio certa eſt, ſi fuerit conjuncta cum agnitione veritatis (§. *564. Log.*), viva vero etiam eſt, ſi vera eſſe agnoſcimus, quæ cognoſcimus (§. 245.); *cognitio certa eſt viva*, conſequenter *certitudo cognitionem vivam efficit.* *Undenam ſit, quod cognitio ſit viva.*

Patet adeo, cur certitudini cognitionis in Philoſophia practica ſtudere debeamus, quodque operam minime inanem ſumat, qui in eadem acquirenda patientiam ſuam defatigari minime patitur. Qui hæc perpendit, is minime reprehendet, quod adeo ſcrupuloſe in tradenda doctrina morali certitudinem venemur.

§. 247.

Similiter quia incerta eſt cognitio, ſi non fuerit conjuncta cum agnitione veritatis (§. *564. Log.*), ſed potius cum dubi- *Undenam ſit, quod cognitio ſit mortua.*

Digitized by Google

dubitatione, utrum verum ſit, quod cognoſcimus, nec ne (§. 417. *Part. II. Theol. nat.*), mortua vero eſt cognitio, ſi vera eſſe non agnoſcimus, quæ cognoſcimus, ſed de veritate eorum adhuc dubitamus (§. 245.); *cognitio incerta mortua eſt,* conſequenter *incertitudo cognitionem mortuam efficit.*

Hinc intelligitur, quam nocua ſit incertitudo cognitionis in Philoſophia practica. Et experientia loquitur, non alia de cauſa homines incidere in Deiſmum & Indifferentismum moralem practicum, hodie proh dolor! adeo communem. Profligandus itaque eſt Scepticiſmus, ſi profligari debet Deiſmus & Indifferentiſmus practicus moralis, quem Libertiniſmum vulgo dicunt. Scepticiſmus autem profligatur, ſi ad certam rerum cognitionem perducamur, ſublata incertitudine, quæ hactenus in diſciplinis regnat.

§. 248.

Convictio ad cognitionem vivam requiſita.

Quoniam convicti ſumus, quam primum propoſitio aliqua nobis certa eſt (§. 982. *Log.*), cognitio vero viva eſt, quæ certa eſt (§. 246.); *cognitionem vivam minime habet, niſi veritatis convictus eſt.*

Videmus adeo ſine convictione non dari cognitionem vivam. Unde qui ad vivam cognitionem alios perducere voluerit, is omnes ingenii nervos in id intendere debet, ut eos veritatis convincat.

§. 249.

Quomodo cognitio viva acquiratur.

Qui cognitionem vivam acquirere voluerit, demonſtrationes eorum, quæ cognoſcit, ſibi familiares reddere & res, quarum notio exhibetur, vel de quibus judicatur, coram intueri debet. Etenim qui ad cognitionem vivam perducendus, veritatis eorum, quæ cognoſcit, convinci debet (§. 248.), conſequenter ſi cognitionem vivam ipſemet acquirere volueris, veritatis eorum, quæ cognoſcis, temet-

metipſum convincere debes. Enimvero a priori veritatis convincimur vi demonſtrationis (§. *990. Log.*), a poſteriori autem, ſi res præſentes, quarum notio exhibetur, vel de quibus judicatur, coram intuemur (§. *985. Log.*). Et quoniam vel a priori, vel a poſteriori cognoſcitur, quicquid a nobis cognoſcitur (§. *435. Pſych. empir.*); ubi & a priori, & a poſteriori te convincis veritatis eorum, quæ cognoſcis, nihil amplius in convictione deſiderari poteſt. Patet itaque, eum, qui cognitionem vivam acquirere vult, demonſtrationes eorum, quæ cognoſcit, ſibi familiares reddere, & res, quarum notio exhibetur, vel de quibus judicatur, coram intueri debere.

Elucet hinc indiſpenſabilis neceſſitas demonſtrativæ methodi in diſciplinis, præſertim in Philoſophia practica. Nemo eſt, qui in dubium revocaverit, cognitionem vivam ad praxin moralem apprime neceſſariam eſſe, modo ejusdem notionem habuerit diſtinctam, paulo ante explicatam (§. 244.). Quamobrem cum ex diſciplinis viva cognitio hauriri minime poſſit, niſi ea methodo demonſtrativa tradantur; qui contradictoria tueri non vult, agnoſcere tenetur indiſpenſabilem ejus in diſciplinis, Philoſophia præſertim practica, tradendis neceſſitatem. Qui itaque methodo demonſtrativæ adverſantur, cognitionem vivam eliminari volunt: quod quam ſit damnoſum, ex iis intelligitur, quæ paulo ante annotavimus (*not. §. 247.*). Enimvero removendus adhuc nobis eſt ſcrupulus aliquis, qui nonnullorum animos offendere poterat. Ad cognitionem vivam requirimus convictionem non minus a poſteriori, quam a priori. Convictio a priori fit vi demonſtrationis, adeoque vel exemplo Mathematicorum conſtare poterat, eam ſolam ſufficere, nec opus eſſe convictione a poſteriori, quæ tanquam ſuperflua abeſſe poſſit. Enimvero patebit deinceps impedimenta, quo minus agamus, quod rectum agnoſcimus, nobis objici a facultatibus inferioribus. Omnem igitur operam dare convenit, ut facultates inferiores cum ſuperiori-

Digitized by Google

rioribus conſentiant. Et vel hac ſola de cauſa neceſſe eſt, ut cognitionem vivam acquiſiturus veritatis eorum, quæ cognoſcit, non minus a poſteriori, quam a priori convincatur, ut omnimoda ſit convictio. Tacemus alia, quæ alio loco rectius tradentur.

§. 250.

Exempla quid ſint.

Exempla dicuntur ſingularia ſub notionibus univerſalibus comprehenſa, quatenus iisdem univerſalia inſunt, ſeu quatenus ea, quæ notioni univerſali inſunt, intuenda exhibent.

Exemplum hic definire libuit in omni ſua latitudine, quam habere poteſt. Ita in Arithmeticis exemplum dicitur caſus ſingularis ſub problemate comprehenſus, ad quem regulæ in reſolutione præſcriptæ applicantur, ut jam intuitive intelligantur, quæ antea nonniſi vi intellectus comprehendebantur. Similiter in Geometria figuræ juxta hypotheſin theorematis conſtructæ ſunt exempla, quæ ad intuitivam cognitionem reducunt, quæ in propoſitione ſumuntur & enunciantur, atque demonſtrantur. In moralibus temperantia *Cornari* eſt exemplum temperantiæ, quod intuendum exhibet, quæ in notione temperantiæ comprehenduntur. Actiones ſingulares hominum, ad quas provocamus in Philoſophia practica, ſunt exempla, quæ ad intuitum reducunt in notione generali illius actionis contenta. Similiter in Phyſica obſervationes de factis naturæ ſunt exempla, quibus veritates univerſales vi intellectus agnitæ ad intuitivam cognitionem reducuntur, quando iisdem confirmantur, quæ demonſtrata in genere fuerunt. Vides adeo definitionem exempli a nobis datam eſſe generalem, quæ omni in caſu ſatisfacit. Atque hic vocabuli ſignificatus uſui loquendi conformis eſt, quemadmodum ex modo in medium allatis perſpicitur, & ſatis manifeſtum evadit, ubi ad eos caſus animum advertere lubet, quando in communi ſermone hoc vocabulo utimur.

Digitized by Google

§. 251.

Veritas dicitur *confirmari*, ſi, ſufficienter jam probata, alio adhuc modo adſtruitur. Et cognoſcens *in veritate confirmari* dicitur, ſi conſenſus, quem præbet, alio adhuc modo elicitur. *Confirmatio veritatis quid ſit.*

Ita veritas propoſitionis a priori demonſtratæ a poſteriori confirmatur. Etenim propoſitio, quæ demonſtratur, vera eſt (§. 544. *Log.*), etiam ſi indirecta fuerit demonſtratio (§. 557. *Log*). Veritas adeo ſufficienter probata, ubi propoſitio demonſtrata fuit. Sed non minus veram eſſe agnoſcimus propoſitionem, dum prædicatum ſubjecto convenire obſervamus (§. 517. *Log.*). Quamobrem ſi propoſitionis jam demonſtratæ veritas a poſteriori etiam evincitur, ſufficienter jam probata alio adhuc modo adſtruitur. Unde a poſteriori confirmari dicuntur, quæ a priori jam fuere demonſtrata. Similiter, ſi a poſteriori oſtendimus propoſitionem eſſe veram, veritas ejus ſufficienter probata, etſi veritatem ipſam non agnoſcamus (§. 517. *Log*). Quodſi ergo rationem ejus, quod a poſteriori verum eſſe agnoſcimus, reddimus; alio adhuc modo eadem adſtruitur. Unde quæ a poſteriori nobis innotuere, ratione confirmari dicuntur. Qui demonſtrationis vim jam percipit, propoſitioni aſſentitur. Qui eam a poſteriori veram eſſe agnoſcit, eidem non minus aſſentitur. Quamobrem ubi a poſteriori verum eſſe agnoſcit, quod a priori demonſtratum tanquam verum amplectitur; aſſenſus, quem jam præbet, alio adhuc modo elicitur, adeoque in veritate agnita confirmari dicitur. Idem eodem modo patet in caſu altero, ubi quis rationem eorum perſpicit, quæ a poſteriori vera eſſe cognovit.

§. 252.

Definitiones & propoſitiones illuſtrari dicuntur, ſi notionibus, quæ iisdem reſpondent, major claritas affunditur. *Illuſtratio definitionum & propoſitionum quid ſit.*

Ita in Geometria figuræ definitiones & propoſitiones illuſtrant, dum quæ in hypotheſi propoſitionum ſumuntur, & quæ in eadem

Digitized by Google

de ſubjecto enunciantur, vel etiam quæ in definitione continentur ad figuras applicantur. Inde eſt, quod veteres omnimodæ claritati & evidentiæ ſtudentes demonſtrationi propoſitionum præmiſerint ἔκθεσιν, ſeu expoſitionem, quæ non eſt niſi applicatio eorum, quæ in propoſitione continentur, ad ſchema delineatum. Et nos ſubinde in philoſophia ad exempla applicavimus definitiones & propoſitiones in notis adjectis, quorum locum in Geometria tuentur figuræ (*not. §. 250*).

§. 253.

Undenam ſit claritas cognitionis.

Cognitio intuitiva per ſe clara eſt: Symbolica vero claritatem ſuam habet ab intuitiva, vel quatenus cum intuitiva conjungitur, vel quatenus hujus tanquam præteritæ memoriam habemus. Etenim rem intuitive cognoſcimus, quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis ſumus conſcii (§. *286. Pſych. empir.*). Quamobrem cum rem non agnoſcamus, & a perceptibilibus aliis diſtinguamus, niſi perceptio, ſeu idea (§. *48. Pſych empir.*), quam habemus, clara ſit (§. *31. Pſych. empir.*); ſi eandem intuitive cognoſcimus, neceſſe eſt ut ideæ, quarum nobis conſcii ſumus, ſint claræ. Patet itaque cognitionem intuitivam per ſe claram eſſe. *Quod erat unum.*

Cognitio ſymbolica terminatur actu, quo verbis tantum enunciamus, quæ in ideis continentur, vel aliis ſignis eadem repræſentamus, ideas non intuemur (§. *289. Pſych. empir.*). Quamobrem cum vocabula ſint ſigna noſtrarum perceptionum, vel idearum (§. *271. Pſych. empir.*), & auditis vocabulis rerum, quas denotant, meminimus (§. *273. Pſych. empir.*); per ea res iiſdem denotatas non agnoſcimus, niſi quatenus vel harum ideas in nobis ſuſcitatas intuemur, vel iiſdem auditis earundem meminimus. Nemo non fatetur verba eſſe obſcura, ſi non ſatis conſtat, quænam

Digitized by Google

nam ideæ per eadem denotentur, conſequenter claram fieri cognitionem, ſi vel ideas claras iisdem reſpondentes intuemur, aut meminerimus, quod easdem intuiti fuerimus. Quamobrem cum intuitiva ſit cognitio, quæ idearum intuitu abſolvitur (§. 286. *Pſych. empir.*); evidens omnino eſt, cognitionem ſymbolicam non habere claritatem ſuam niſi ab intuitiva, quatenus ſcilicet ea vel cum intuitiva conjungitur, vel quatenus hujus tanquam præteritæ memoriam habemus.

Poteramus propoſitionem præſentem absque probatione inſtar axiomatis ſumere. Nihil ſane cognoſcimus, niſi quatenus ejus ideam claram habemus, ut rem agnoſcere & ab aliis diſtinguere valeamus. Quamobrem cognitionis claritas in claritate idearum conſiſtit, quas ſi ipſas præſentes intuemur, intuitiva eſt cognitio. Ad ideas denotandas utimur vocabulis. Quoſi ergo ſignificatus nobis patere debet, aut ideæ ipſæ nobis præſentes ſint neceſſe eſt, aut earundem ſaltem meminiſſe debemus. Atque adeo patet cognitionem intuitivam per ſe claram eſſe, ſymbolicam vero ab hac claritatem mutuare, vel quatenus ea ipſi jungitur, vel quatenus cum ea hujus meminerimus.

§. 254.

Quæ experimur intuitive a nobis cognoſcuntur.

Quæcunque ipſimet experimur, ea intuitive cognoſcimus. Etenim quæ ipſimet experimur, ea cognoſcimus, dum ad perceptiones noſtras, quas habemus, attenti ſumus (§ 664. *Log.*), conſequenter quatenus nobis ſumus conſcii idearum, quas actu habemus (§. 48. *Pſych. empir.*). Enimvero quicquid cognoſcimus, quatenus idearum, quas habemus, nobis conſcii ſumus, id intuitive cognoſcimus (§. 286. *Pſych. empir.*). Quamobrem quæ ipſimet experimur, ea intuitive cognoſcimus.

Non tamen propoſitionem invertere licet: intuitiva enim cognitio latius patet, quam experientia, cum etiam vi imagina-

 tionis

Digitized by Google

tionis debeatur. Unde fieri poteſt, ut etiam, quæ ab aliis experta nobis commemorantur, & quæ a priori nobis innoteſcunt, ad intuitivam cognitionem revocentur, modo ideæ in poteſtate noſtra ſint, quæ ad eam requiruntur.

§. 255.

Modus primus cognitionem ſymbolicam ad intuitivam reducendi.

Quando itaque curamus, ut ea, quæ ex aliorum ſcriptis vel ore hauſimus, ipſimet experiamur, cognitio ſymbolica ad intuitivam reducitur. Etenim quæ ex aliorum ſcriptis vel ore hauritur cognitio ſymbolica eſt (§. *289. Pſych. empir.*). Quæcunque vero ipſimet experimur, ea intuitive cognoſcimus (§. 254.). Quodſi ergo curamus, ut, quæ ex aliorum ſcriptis vel ore haurimus, ipſimet experiamur; cognitio ſymbolica ad intuitivam reducitur.

Ex. gr. Si quis audit, magnetem attrahere ferrum, ei hujus attractionis nonniſi ſymbolica eſt cognitio. Quodſi vero fuerit præſens, dum iſta attractio experimentis oſtenditur, ut ipſemet viſu & tactu dignoſcat ad eam ſpectantia; cognitio ſymbolica ad intuitivam reducitur. Similiter, ſi in demonſtrationis forma deſcribenda concatenationis ſyllogiſmorum ſit mentio, vel ſi de vi demonſtrationis in extorquendo aſſenſu verba fieri audimus; cognitionem concatenationis ſyllogiſmorum & vis demonſtrationum in extorquendo aſſenſu ſymbolicam habemus. Aſt ubi demonſtrationibus ordinatis expendendis operam damus, ut ipſimet experiamur, quomodo concatenationes iſtæ fiant (*§. 799. Log.*); cognitio concatenationis ſymbolica in intuitivam abit. Similiter, ubi vi demonſtrationum extorquemus aſſenſum noſtrum, &, dum hoc contingit, ad eam animum advertimus; cognitio ſymbolica vis demonſtrationum in extorquendo aſſenſu ad intuitivam reducitur. Hic modus facillimus atque maxime tutus eſt cognitionem ſymbolicam ad intuitivam reducendi, modo experientia ſit in poteſtate, & ubi acumine quodam opus, ac ſingulari attentionis gradu, ut quædam experiri detur, acumine iſto ac attentionis gradu uti detur.

§. 256.

Digitized by Google

§. 256.

Si vi imaginationis excitantur ideæ, quæ vocabulis aut aliis ſignis reſpondent, quibus cognitio ſymbolica comprehenditur; cognitio ſymbolica ad intuitivam reducitur. Etenim ſi vocabulis vel ſignis aliis, quibus cognitio ſymbolica comprehenditur, reſpondentes ideas in nobis vi imaginationis excitamus, eorum ſcilicet, quæ verbis efferimus, vel aliis ſignis nobis repræſentamus; ea jam cognoſcimus ipſas rerum verbis ſive ſignis iſtis indigitatarum ideas intuendo. Quamobrem cum intuitiva ſit cognitio, quæ ipſo idearum intuitu abſolvitur (§. *286. Pſych. empir.*); evidens omnino eſt, cognitionem ſymbolicam ad intuitivam reduci, ſi vi imaginationis excitantur ideæ, quæ vocabulis aut aliis ſignis reſpondent, quibus cognitio ſymbolica comprehenditur. *Modus alter.*

Modus hic frequentior eſt, parum tamen tutus. Neque enim ſemper ideæ, quæ vocabulis reſpondentes vi imaginationis a nobis producuntur, præciſe ſunt eædem, quæ præſentes eſſe debent in cognitione intuitiva: unde contingit aut nos non ſatis intelligere, quæ verbis efferuntur, aut erronea haud raro admiſcere. Ex gr. Si quis audit magnetem attrahere ferrum, nunquam tamen ipſe hoc phænomenon vidit, is in ſe excitans ideam actus cujusdam attractionis, quo ipſemet vel alius rem quandam ad ſe traxit, non eam præciſe ideam intuetur, quæ attractioni magnetis reſpondet. Unde vel fatetur, ſe non ſatis capere, quomodo ferrum a magnete attrahi poſſit, aut prorſus eam pro impoſſibili habet, propterea quod ideam, qua actus attractionis repræſentatur, lapidi, qualem magnetem eſſe novit, convenire minime poſſe agnoſcit. Similiter, qui coronam in eclipſi ſolis totali eidem circumdatam ipſe nunquam obſervavit, nec accurato ſchemate expreſſam unquam vidit; is vi imaginationis non producet accurate ideam ejusdem, ut, ubi eam poſthac ipſemet obſervaverit, ultro fateatur, ſe longe aliter eandem ſibi repræſentaſſe.

Digitized by Google

taſſe. Quamobrem haud infrequenter multa cautione opus eſt, ne in cognitione ſymbolica ad intutivam reducenda a veritatis tramite aberremus. Modus itaque primus, quem in propoſitione præcedente expoſuimus (§. 255.), alteri huic ſemper præferendus. Et in moralibus, ac in genere veritatibus omnibus practicis, apprime neceſſe eſt, ut, quæ ex aliorum ſcriptis vel ore haurimus, ea ipſimet experiri conemur. Eadem etiam de cauſa in Phyſicis commendatur, ut ipſimet experimenta oculis noſtris ſubjiciamus, &, quæ ab aliis obſervata ſunt, ut ipſimet obſervemus, curemus. Plura addi poterant, quæ lubricitatem modi præſentis cognitionem ſymbolicam ad intuitivam reducendi in apricum protrahunt; ſed in tantas ambages deſcendere inſtituti noſtri ratio minime permittit. Qui in Philoſophia noſtra verſatus in obſervando ſatis circumſpectum ſe præbuerit, multa huc ſpectantia addiſcet.

§. 257.

Quomodo univerſalia in ſingularibus intueamur.

Univerſalia in ſingularibus intueri dicimur, ſi ea, quæ notionibus diſtincte enunciata inſunt, in ideis, quæ animo præſentes obverſantur, attentione noſtra diſtinguimus.

Univerſalia non exiſtunt (*§. 235. Ontol.*), niſi in ſingularibus (*§. 56. Log.*). Quamobrem univerſalia intueri minime datur, niſi in ſingularibus. Ideæ repræſentant res ſingulares, ſive ſenſuales fuerint, ſive vi imaginationis productæ, ſeu phantaſmata. Quare univerſalia intueri nobis non datur, niſi quatenus animum advertimus ad ideas rerum, quæ animo præſentes ſunt, ſive ope ſenſuum, ſive vi imaginationis fuerint excitatæ. Univerſalia pluribus ſingularibus communia ſunt, ſingularibus vero præter ea alia adhuc inſunt (*§. 321. Ontol.*). Illa igitur in his qui intueri voluerit, animum ad hæc advertere, & attentione ſua ea, quæ notionem ingrediuntur, ab iis ſeparare tenetur, quæ ad eandem minime ſpectant. Intuitus adeo ſingularium in univerſalibus, quem definivimus, poſſibilis eſt, & ipſa definitio loquitur,

quo-

Digitized by Google

quomodo eundem in poteſtatem noſtram redigamus. Ceterum non ſatis commendari poteſt exercitium, quo habitus univerſalia in ſingularibus intuendi comparatur: maximum enim adjumentum affert ad certitudinem cognitionis, & ad evitandum errores, qui alias difficulter præcaventur. Qui in arenam deſcendere voluerit, ſatis ſuperque experietur, exercitium iſtud non eſſe adeo facile, quemadmodum primo adſpectu videri poterat, immo quo magis ſe in intuendis ſingularibus in univerſalibus profeciſſe deprehendet, eo fortius convincetur, occurrere caſus, qui maxime exercitato difficultatem faceſſant. Multo plures certam rerum cognitionem conſequerentur, niſi exercitium iſtud negligeretur.

§. 258.

Effectus applicationis notionum ad exempla.

Qui definitiones ac propoſitiones ad exempla applicat, univerſalia in ſingularibus intuetur. Etenim qui definitiones ad exempla applicat, cum exempla ſint ſingularia ſub univerſalibus comprehenſa, & quæ univerſalibus inſunt, ea in ſe continent (§. 250.), ſolerter diſpicit, num in ſingularibus iſtis obvia ſint, quæ in definitionibus continentur (§. *1218. 1219. Log.*), adeoque attentione ſua in ea directa, quæ notis in definitione contentis reſpondent, ea a ceteris, quæ inſunt, diſtinguit. Verum enim vero univerſalia in ſingularibus intuetur, qui ea, quæ notioni diſtincte enunciabilia inſunt, in ideis, quæ animo præſentes obverſantur, attentione ſua diſtinguit (§. 257.). Definitiones itaque ad exempla qui applicat, univerſalia in ſingularibus intuetur. *Quod erat unum.*

Omnis propoſitio ex duabus conſtat notionibus, notione ſcilicet ſubjecti & prædicati (§. *198. 200. Log.*), quæ in affirmativis conjunguntur, in negativis ſeparantur (§. *204. Log.*). Quamobrem ubi eam ad exemplum applicas, quod tanquam ſingulare ſub univerſali ſub propoſi-

Digitized by Google

tione iſta continetur (§. 250.); denuo ſolerter diſpicis, utrum ea, quæ in notione ſubjecti & prædicati diſtincte enunciantur, ſingulari iſti inſint, ubi propoſitio fuerit affirmativa, nec ne; an inſint, quæ notio ſubjecti continet, non vero inſit, quod prædicatum indigitat, ubi negativa fuerit propoſitio. Patet igitur ut ante, propoſitionem ad exempla applicantem univerſalia in ſingularibus intueri.

Diximus ſuperius figuras in Geometria, quæ delineantur, & ad quas definitiones & propoſitiones applicantur, ut clarius intelligantur, tueri vicem exemplorum (*not. §. 250.*). Expoſitio adeo, qua ad figuras oculo ſubjectas applicantur definitiones ac propoſitiones, in applicatione definitionum & propoſitionum ad exempla conſiſtit. Qui ad hanc animum advertit, ei conſtabit, quod univerſalia, quæ definitionibus & propoſitionibus exhibentur, in figuris tanquam ſingularibus intueatur. Neque aliud iſta expoſitione, quam hoc intenditur.

§. 259.

Uſus primus exemplorum. *Exempla definitiones ac propoſitiones illuſtrant etiam in Philoſophia practica.* Etenim ſi definitiones ac propoſitiones ad exempla applicantur, univerſalia in ſingularibus intuemur (§ 258.), conſequenter cognitio ſymbolica ad intuitivam reducitur (§. *286. 289. Pſych. empir.*). Enimvero cognitio ſymbolica claritatem ſuam habet ab intuitiva, vel quatenus cum intuitiva conjungitur, vel quatenus hujus tanquam præteritæ memoriam habemus (§. 253.), adeoque major claritas eidem affundi nequit, quam ſi univerſalia, quæ offert cognitio ſymbolica, in ſingularibus intuemur. Quamobrem cum definitiones & propoſitiones illuſtrentur, ſi notionibus, quæ iisdem reſpondet, major claritas affunditur (§. 252.); evidens eſt exempla definitiones ac propoſitiones illuſtrare.

Et

Digitized by Google

Et quoniam hoc in genere verum eſt de omnibus definitionibus & propoſitionibus (*per demonſtrata*); quin exempla etiam definitiones ac propoſitiones in Philoſophia practica illuſtrent, dubitandum non eſt.

Definitiones ac propoſitiones verbis efferuntur, quibus ſingulis ſuæ reſpondent notiones ab ideis rerum, quas habuimus, derivatæ. Quatenus igitur harum meminimus, definitiones ac propoſitiones ſuam habent claritatem (§. 253.), adeoque a nobis intelliguntur. Enimvero ſi ad exempla applicantur, major adhuc accedit claritas (*§. cit.*), ac inde eſt, quod exemplis illuſtrentur (§. 252), & ſic omnis tandem diſpellatur obſcuritas, quæ vocabulorum ſimul ſumtorum ſignificatui adhuc adhærere poterat. Videmus adeo primum exemplorum uſum, qui in eo conſiſtit, ut definitiones ac propoſitiones nobis evadant clariores, aut, ſi mavis, ut notiones iisdem reſpondentes fiant clariores. Quemadmodum in omnibus diſciplinis, quæ docentur & in futurum uſum addiſcuntur, non ſunt niſi definitiones & propoſitiones; ita quoque doctrinæ morales in univerſum, quæ in Philoſophia practica inculcantur, ad definitiones ac propoſitiones redeunt. Atque adeo manifeſtum eſt, veritates morales omnes exemplis illuſtrari. Hinc elucet, quam late pateat in Moralibus exemplorum uſus.

§. 260.

Si ad exempla animum advertimus, quæ docentur rectius intelliguntur. Etenim exempla definitiones ac propoſitiones, adeoque quæcunque docentur, ea illuſtrant (§. 259.). Quamobrem cum definitiones & propoſitiones, ſeu, quæcunque in diſciplinis, adeoque etiam in Philoſophia practica docentur, illuſtrentur, ſi notionibus, quæ iisdem reſpondent, major claritas affunditur (§. 252), exempla omnibus eorum, quæ in diſciplinis, Philoſophia etiam practica docentur, notionibus majorem claritatem af- *Quod proſint ad doctrinas rectius intelligendas.*

 fun-

Digitized by Google

fundit. Quoniam beneficio notionum clararum res agnoſcimus, & ab aliis diſtinguimus (§. *31. Pſych. empir.*); exempla ſi perpendimus, quæ docentur agnoſcimus, & ab aliis diſtinguimus, ne ſcilicet cum aliis unquam confundantur. Patet itaque ſi animum ad exempla advertimus, quæ docentur, rectius intelligi.

Hinc elucet maximus exemplorum uſus in veritatibus moralibus, tam theoreticis, quam practicis. Nimirum exempla claras earum notiones animo ingenerant, quæ beneficio intellectus diſtinctæ efficiuntur, ita ut nihil obſcuritatis relinquatur, quod confuſionem notionum pariat, & in errorem nos ſeducat.

§. 261.

Experientia domeſtica univerſalia in ſingularibus intuenda exhibens.

Si ea, quæ notiones definitionibus ac propoſitionibus reſpondentes continent, ipſimet experimur; univerſalia in ſingularibus intuemur. Etenim ſi ea, quæ notiones definitionibus ac propoſitionibus reſpondentes continent, ipſimet experimur; eadem intuitive cognoſcimus (§. 254.). Quamobrem cum intuitive quid cognoſcamus, quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis ſumus conſcii (§. *286. Pſych. empir.*); ea, quæ notiones definitionibus ac propoſitionibus reſpondentes continent, adeoque diſtincte enunciata iisdem inſunt, in ideis, quæ animo præſentes obverſantur, attentione noſtra diſtinguimus. Quoniam itaque univerſalia in ſingularibus intuemur, ſi ea, quæ notionibus diſtincte enunciata inſunt, in ideis, quæ animæ præſentes obverſantur, attentione noſtra diſtinguimus (§. 257.); ſi ea, quæ notiones definitionibus ac propoſitionibus reſpondentes continent, ipſimet experimur, univerſalia in ſingularibus intuemur.

Qui eam ad propoſitionem præſentem affert attentionem, qua opus eſt, facile videbit, ſupponi nos habere diſtinctam veritatis univerſalis notionem, qua dirigitur attentio in contemplandis

Digitized by Google

plandis ideis, dum, quæ in notione iſta continentur, experiri conamur. Cœca erit experientia, niſi intellectus ferat opem, & ratio cum experientia concurrat. Unde utilitatem connubii rationis & experientiæ, quod in iſto concurſu conſiſtit (*§. 497. Pſych. empir.*), ſummopere commendavimus iis, qui ad certam cognitionem adſpirant (*not. §. cit.*). Sane qui diſtincta notione ejus, quod experiri vult, deſtituitur, intuitive cogniturus, quæ ex aliorum ore vel ſcriptis hauſit, aut ipſemet invenit, non novit, ad quænam dirigere debet attentionem, ideas, quæ jam animo ipſius obverſantur, contemplaturus ut certus reddatur, eadem adeſſe: id quod tanto magis requiritur, ubi, quæ obſervari, & a ceteris actu attentionis vocabulorum ope ſeparari debent, non ſua ſponte in ſenſus incurrunt, præſertim ſi ſub aliis quaſi ſepulta ſunt. Notent hoc velim, qui theoriæ præſertim ſubtilis hoſtes ſunt, & in experientia ſola omnem fiduciam collocant. Nos & rationis, & experientiæ uſum ſimul experti utramque magnifacimus, neutri tamen in præjudicium alterius pretium ſtatuimus. Inprimis autem utriusque connubium maximi facere didicimus in veritatibus practicis, etſi in hiſce multo difficilius ſit, quam in theoreticis. Homini non minus datæ ſunt facultates cognoſcendi ſuperiores, quam inferiores, cumque non gratis eidem concedantur utræque, utrarumque etiam uſum facere tenetur. Nec actiones humanæ cenſentur omnibus numeris abſolutæ, niſi omnium facultatum eum feceris uſum, quem habere poſſunt. Ceterum cum facultates animæ earundemque uſum patefaciat Pſychologia, præſertim empirica, nemo non hinc intelligit, quam utile ac neceſſarium ſit Pſychologiæ, præſertim empiricæ ſtudium, inprimis in Philoſophia practica, quæ tota ad hunc ſcopum collineat, ut actiones noſtræ ad omnimodam rectitudinem reducantur. Ad hanc cum ipſa naturæ lege obligemur (*§. 189. Part. I. Phil. pract. univ.*); non in noſtro arbitrio poſitum eſt, utrum omnem facultatum noſtrarum uſum facere velimus, quem habere poſſunt, nec ne (*§. 118. Part I. Phil. pract. univ.*), ſed eum facere tenemur, & omnis

Digitized by Google

danda eſt nobis opera, ut facere poſſimus. Sed de hoc alibi plura inculcabuntur.

§. 262.

Experientiæ domeſticæ uſus in illuſtranda cognitione univerſali.

Experientia domeſtica veritates univerſales, definitiones nimirum ac propoſitiones, etiam in Philoſophia practica illuſtrat. Quoniam experientia domeſtica univerſalia in ſingularibus intuemur (§. 261.), quemadmodum contingit iis, qui univerſales veritates aliunde hauſtas ad exempla applicant (§. 258.); eodem prorſus modo oſtenditur, experientiam domeſticam veritates univerſales, definitiones ſcilicet ac propoſitiones, illuſtrare, quo paulo ante demonſtravimus, quod exempla easdem illuſtrent, etiam in Philoſophia practica (§. 259.).

Oſtenditur etiam hoc modo. Quæ ipſimet experimur, ea intuitive cognoſcimus (§. 254.). Quamobrem cum cognitio intuitiva ipſo idearum intuitu abſoluta (§. 286. *Pſych. empir.*), ubi ad ſymbolicam accedit, quæ ex aliorum ore vel ſcriptis hauritur, eidem maximam claritatem affundat, quam acquirere valet (§. 253.); experientia domeſtica veritatibus univerſalibus, definitionibus ſcilicet ac propoſitionibus, in ipſa etiam Philoſophia practica, maximam affundit claritatem, quam earum cognitio acquirere valet. Quoniam itaque definitiones ac propoſitiones illuſtrantur, ſi notionibus, quæ iisdem reſpondent, major claritas affunditur (§. 252.); experientia domeſtica veritates univerſales, definitiones nimirum ac propoſitiones, etiam in Philoſophia practica, illuſtrat.

Quæ de definitionibus ac propoſitionibus illuſtrandis per exempla paulo ante annotavimus (*not. §. 259.*), ea quoque ad propoſitionem præſentem trahenda ſunt. Exempla ad experientiam reducuntur, ſi vera fuerint; non tamen ſemper ad domeſticam. Neque exemplorum ſemper requiritur veritas: immo in Philoſophia practica exempla fingimus, modo ſint poſſibilia, ut vi imaginationis eorum ideam formare valeamus.

§. 263.

Digitized by Google

§. 263.

Experientia adjumentum ad ea, quæ docentur, rectius intelligenda.

Si ea, quæ docentur, ipſimet experimur, ea rectius intelligimus. Eodem id patet modo, quo paulo ante (§. 260.) collegimus, rectius intelligi quæ docentur, ſi ad exempla animum advertimus.

Inde eſt, quod nos in omni Philoſophia inculcemus, dandam eſſe operam, ut ea, quæ didicimus, ipſimet experiamur, modo experientia ſit in poteſtate noſtra: neque enim ſemper in arbitrio noſtro ſitum eſſe, ut, quæ didicimus, a poſteriori quoque experientia magiſtra uſi addiſcamus, nemo eſt qui neſciat. Alienis adeo oculis videndum, ubi propriis videre non datur.

§. 264.

Neceſſitas experientiæ domeſticæ ad veritates morales & pſychologicas intelligendas.

Quæ de actionibus humanis in Philoſophia practica, & de anima noſtra in Pſychologia inprimis empirica docentur, omnium rectiſſime intelliguntur, ubi ea in nobismetipſis experimur. Etenim actiones humanæ ex actionibus intellectus, voluntatis vel noluntatis atque facultatis locomotivæ conſtant (§. 70. *Part. I. Phil. pract univ.*), & quæ de aliis Philoſophiæ practicæ capitibus, veluti de virtute & vitio, beatitudine ac felicitate, dolo & culpa, & ita porro demonſtrantur, aut animam unice reſpiciunt, aut talia tamen admixta ſemper habent, quæ animæ inſunt: id quod ſola attentione animadvertitur. Pſychologia empirica ea tradit, quæ indubia experientiæ fide agnoſcimus (§. 1. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ea, quæ animæ inſunt, a nobis cognoſci poſſint, quatenus eorum in nobis conſcii nobis ſumus, adeoque experientiæ nonniſi domeſticæ pateant, ea autem, quæ docentur, rectius a nobis intelligantur, ſi ea ipſimet experimur (§. 263.); evidens omnino eſt, quæ de actionibus humanis in Philoſophia practica docentur, & Pſychologia inprimis empi-

Digitized by Google

empirica de anima traduntur, ea omnium rectiſſime intelligi, ubi eadem in nobismetipſis experimur.

Neceſſitatem experientiæ domeſticæ in veritatibus moralibus ac civilibus recte intelligendis jam olim apud Sinas agnovit *Confucius*, qui diſertis docuit verbis diſcipulos ſuos, non poſſe quemquam alios docere philoſophiam moralem atque civilem, niſi omnia, quæ docet, ipſemet fuerit expertus. Ac ideo ipſe quoque omnem movit lapidem, ut nihil eorum, quæ alios docebat, relinqueretur inexpertum. Non alia certe de cauſa adminiſtrandæ Reipublicæ ſubinde operam dedit, quam ut ipſemet experiretur, quæ hic occurrunt, negotia, & eorum, quæ mente conceperat, experimentum faceret. Hinc intelligitur, quam parum conſulatur Academiis, ſi Profeſſioni Philoſophiæ moralis & civilis præficiantur, qui Philoſophiæ practicæ experimentali nullam adhuc operam dederunt, immo de ea ne per ſomnium quidem adhuc cogitarunt. Peſſime autem conſulitur, ſi huic muneri admoveantur homines, qui deliciis diffluunt & voluptatibus corporis unice indulgent, omnia cupiditatum inordinatarum deſideria explentes. Pecoribus paſcendis hos utilius præficiendos eſſe dixeris, quam juvenibus ad virtutem ac prudentiam adducendis. Ceterum experimenta moralia & civilia cum pſychologicis conſtanter conjungenda, quæ mutuam ſibi operam præſtant. Ego nihil magis inculcare ſoleo de veritatum practicarum quolibet genere, quam ut unusquisque earum veritatem in ſemetipſo experiri cogatur, non modo ob utilitatem, quam ſpondet præſens propoſitio, verum etiam ob eas, quas mox demonſtraturus ſum. Cui adeo vita perfecta, a qua pendet omnis felicitas, curæ cordique eſt, iis hoc experimentale ſtudium quam commendatiſſimum eſſe debet, quod nunquam ſatis commendari poteſt. Plurimum falluntur, qui philoſophiam experimentalem intra Philoſophiæ naturalis, quam Phyſicam vulgo vocant, cancellos contineri arbitrantur, cum in Pſychologia & Philoſophia practica, immo in omni Philoſophiæ genere regnet, & tum demum

Digitized by Google

mum recte philoſophabuntur homines, ubi non loquentur niſi de expertis.

§. 265.

Exempla realitatis notionum nos convincunt. Etenim cum exempla ſint ſingularia, quæ ea intuenda exhibent, quæ notioni univerſali inſunt (§. 250.), ubi notionem ad exempla applicamus, perinde eſt, ac ſi eam denuo reflectendo ſuper iis, quæ percipiuntur, formaremus (§. *716. Log.*). Quamobrem cum notio per reflexionem formata poſſibilis & vera ſit (§. *717. Log.*); ubi notiones ad exempla applicantur, earum realitatem agnoſcimus, res, quarum notio nobis exhibetur, quaſi coram intuendo. Enimvero a poſteriori convincitur realitatis notionum, qui res, quarum notio ipſi exhibetur, coram intuetur (§. *985. Log.*). Quamobrem patet, quod exempla realitatis notionum nos convincant.

Exemplorum uſus ſecundus in notionum realitate percipienda.

Notionum realitatem agnoſcere tenetur, qui in diſciplinis certa ab incertis diſtinguere & a notionibus seductricibus ſibi cavere voluerit. Unde inſignis eſt exemplorum uſus, quem habent in notionum realitate percipienda. Facile autem apparet, exempla hic requiri vera, non ficta, quæ experientia nobis ſuggerit, inprimis domeſtica, ne alienis oculis videamus, ubi propriis videre & conſultum, & neceſſe eſt.

§. 266.

Quoniam in Philoſophia practica plurimum refert noſſe, utrum notiones ſint reales ſive poſſibiles, nec ne, exempla autem realitatis notionum nos convincunt (§.265.); *in Philoſophia practica conſultum eſt, animum continuo ad exempla adverti, ut quænam ab hominibus fieri poſſint intelligatur.*

Cur in Philoſophia practica realitas notionum a poſteriori detegenda.

Digitized by Google

Quod in Philoſophia practica plurimum interſit noſſe, utrum poſſibiles ſint notiones, nec ne, ratio in promtu eſt. Quæ enim in eadem docentur, non eo fine addiſcuntur, ut ſciantur, ſed ut ad praxin transferantur. Quodſi ergo notiones non fuerint poſſibiles, nec ea a nobis fieri poſſunt, quæ inculcantur, adeoque omni conatu nihil agitur, vel male agitur, ubi bene agere propoſitum nobis erat. Æſtimanda autem eſt notionum poſſibilitas ex uſu facultatum humanarum: præcipiuntur enim, quæ homini agenda ſunt, & modus agendi hominibus præſcribitur. Quamobrem non opus eſt, ut multum diſputes, utrum per uſum facultatum humanarum quid ſit poſſibile, an vero eodem ſuperius, ubi præclara exempla docent, hæc ab hominibus facta eſſe vel etiamnum fieri. Ab actu enim ad potentiam ſemper valet conſequentia (*§. 170. Ontol.*). Et quamvis idem facultatum uſus non promiſcue concedatur omnibus, ipſa tamen exempla docent, modo in ea mentis aciem intendas, quibusnam concedatur. Acuunt autem mentem principia pſychologica & attentionem ad ea dirigunt, quæ in exemplis eo fine diſcernenda. Nec minus prava exempla nos convincunt, quænam abuſu facultatum fieri poſſunt, ut pejores fiant homines, quam putabatur. Utraque cognitio apprime neceſſaria, illa ad virtutum culturam, hæc ad vitiorum fugam. Nunquam igitur ſatis commendari poteſt, ut notionum practicarum poſſibilitas ab exemplis derivetur.

§. 267.

Experientia domeſtica quantum proſit ad cognoſcendum facultatum ſuarum uſum.

Experientia domeſtica nos omnium optime convincit in Philoſophia practica, quænam uſu facultatum noſtrarum a nobis fieri poſſint, & quinam earundem uſus nobis concedatur. Si enim de rebus practicis ſermo fuerit, a poſteriori convincimur, ubi earum veritatem in nobismetipſis experimur (§. *985. Log.*). Quamobrem ſi in Philoſophia practica docetur, quænam facultatum humanarum uſu fieri poſſint, omnium optime convincemur, quænam uſu facultatum noſtra-

noſtrarum a nobis fieri poſſint, & ubi is non promiſcue conceditur omnibus, quinam nobis concedatur, ſi in nobismetipſis experimur, quid a nobis fieri poſſit, conſequenter experientia domeſtica nos omnium optime convincit in Philoſophia practica, quænam uſu facultatum noſtrarum fieri queant, & quinam earundem uſus nobis concedatur.

Non adeo conſultum eſt de imbecillitate virium humanarum nimias movere querelas, & iis adducere alios, ut de facultatibus ſuis deſperent. Modo enim notiones diſtinctas veritatum practicarum animo agentis inſinues, metuendum non eſt, ut de facultatibus ſuis plus ſibi perſuadeat, quam in iis eſt. Videmus ex adverſo, Neo-Phariſæos, quos noſtro ævo Eccleſia Proteſtantium alit, etſi imbecillitatem virium humanarum continuo crepent, cum rationis jurati hoſtes notiones diſtinctas damnent, ſibi videri, qui non ſunt, ac plus tribuere facultatibus ſuis, quam in iis eſt, ſanctitate ſuperbientes, quæ ipſis nulla eſt, quaſi fides, qua gloriantur, nequitiæ ſanctitatis ſpeciem inducat. Abominandum hominum genus, quo deterius nunquam vidit orbis terrarum, & quod Chriſtus ſceleratiſſimis quibusvis hominibus deterius judicavit, conſenſum actuum internorum cum externis urgens, cum, ut Scholaſtici loquuntur, bonum non ſit niſi ex integra cauſa.

§. 268.

Uſus experientiæ domeſticæ, quem facere teneamur.

Quoniam experientia domeſtica nos omnium optime convincit in Philoſophia practica, quænam uſu facultatum noſtrarum a nobis fieri poſſint, & quinam earundem uſus nobis concedatur (§. 267.); *danda eſt opera, ut facultatibus noſtris pro virili utamur, antequam judicemus, quænam earum uſu a nobis fieri poſſint, & quinam earundem uſus nobis concedatur*, conſequenter *omnia tentanda indefeſſa prorſus opera, antequam de facultatibus noſtris deſperemus.*

Cui vita perfecta curæ cordique eſt, (eſſe autem debet omnibus, qui felicitati propriæ minime adverſantur); illi ad ſummam perfectionem obtentu poſſibilem adſpirent opus eſt (§. 28). Vana igitur eſt cura, utrum facultatum ſuarum uſu conſequi detur hunc vel iſtum virtutis gradum, nec ne, & num idem ſufficiat huic vel iſti vitio profligando, & huic vel iſti culpæ evitandæ. Veniendum enim in rem præſentem, & tentanda ſunt omnia: experientia optime nos docebit, quantum valeant humeri, quid ferre recuſent. In ſtudio vitæ perfectæ nunquam improbandus eſt auſus, ſed potius ſummopere laudandus, etiamſi is ſucceſſu deſtituatur. Valet enim hic tritiſſimum illud: *In magnis & voluiſſe ſat eſt.* Et quemadmodum vulgo inculcatur: *Audaces fortuna juvat, timidosque repellit;* ita veritatem aſſerti experiri datur in ſtudio vitæ perfectæ. Qui parum fidunt facultatibus ſuis, & de meta attingenda deſperantes nihil agunt; illi ſummum bonum nunquam conſequentur, & felicitate ſemetipſos privant, cujus compotes fieri poterant, ſi nihil intentatum reliquiſſent. Nemo igitur de uſu facultatum ſuarum, quousque porrigatur, judicium ſibi ſumat, niſi experientia propria convictus, nec aurem prabeat querelis intempeſtivis de imbecillitate virium humanarum.

§. 269.

Exemplorum uſus in convictione de veritate dogmatum Philoſophiæ practicæ.

Exempla nos convincunt veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur. Etenim exempla nobis intuenda exhibent, quæ notionibus inſunt (§. 250.). Quamobrem ubi oculos convertimus in exempla eorum, quæ in Philoſophia practica docentur; quod ea ita ſeſe habeant, conſequenter quod vera ſint (§. *505. Log.*) agnoſcimus. Quoniam itaque propoſitio nobis certa eſt, quam veram eſſe agnoſcimus (§. *564. Log.*); exempla efficiunt, ut ea, quæ in Philoſophia practica docentur, nobis ſint certa. Enimvero alterum convincit veritatis propoſitionis alicujus, qui efficit ut ea ipſi certa evadat (§. *982. Log.*).

Evi-

Digitized by Google

Evidens itaque eſt, exempla nos convincere veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur.

Ecce tibi novum exemplorum uſum præter eos, quos in anterioribus jam evicimus, non minus præclarum ceteris & in Philoſophia practica inprimis magni faciendum, immo maximi, ut adeo ob eundem quoque non ſatis commendentur exempla. Operæ autem pretium faceret, qui Philoſophiam practicam exemplarem conſcriberet, in qua ea, quæ in eadem demonſtrantur, ex exemplis deducerentur.

§. 270.

Uſus tertius exemplorum in veritate confirmanda.

Veritas eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrata cognovimus, exemplis confirmatur, & nos per ea in eadem confirmamur. Etenim quæ demonſtrantur, ſufficienter probantur, id quod ex notione demonſtrationis conſtat (§. *498. Log.*). Quamobrem quæ in Philoſophia quoque practica demonſtrantur, ea ſufficienter probata ſunt. Enimvero exempla ea, quæ univerſaliter in Philoſophia practica demonſtrantur, in ſingularibus intuenda exhibent (§. *250.*), ut ea experientia etiam addiſcamus (§. *664. Log.*). Quamobrem cum a poſteriori probetur, quod per experientiam probatur (§. *434. Pſych. empir.*); exempla alio adhuc modo adſtruunt, quod in Philoſophia practica jam ſufficienter fuit probatum. Enimvero veritas confirmatur, ſi ſufficienter probata alio adhuc modo adſtruitur (§ *251.*). Patet itaque veritatem eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrata fuere, exemplis confirmari. *Quod erat unum.*

Quoniam quod demonſtratur verum eſt (§. *544 Log.*), & ſi quæ demonſtrata fuere cognoſcimus, ea nobis certa ſunt (§. *568. Log.*); nullum ſupereſt dubium, quin is, qui veritatem eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrata cognoſcit, eidem aſſenſum præbeat. Enimvero

Digitized by Google

exempla ea, quæ univerſaliter in Philoſophia practica demonſtrantur, in ſingularibus intuenda exhibent (§. 2.0.). Quamobrem qui eadem ad ea, quæ univerſaliter demonſtrata cognovit, applicat, aſſenſum alio adhuc modo elicit (§. 567. *Log.*). Quoniam itaque in veritate confirmatur cognoſcens, ſi conſenſus, quem præbet, alio adhuc modo elicitur (§. 251.); evidens eſt, quod per exempla in veritate eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrata cognovimus, confirmemur. *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam vi demonſtrationis convincimur a priori (§. 990. *Log.*), eorum quoque, quæ in Philoſophia practica demonſtrata cognoſcimus, convicti ſumus, adeoque aſſenſum iisdem præbemus. Enimvero exempla nos convincunt veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur (§. 269.), adeoque ſi ad ea animum advertimus, aſſenſum alio adhuc modo eliciunt. Quare cum in veritate confirmemur, ſi aſſenſus, quem præbemus, alio adhuc modo elicitur (§. 251.); exempla nos in veritate eorum, quæ in Philoſophia practica docentur, confirmant.

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis apparet, eam ad alias quascunque veritates applicari poſſe, quæ ad Philoſophiam practicam non ſpectant, etiamſi eandem ad hoc veritatis genus pro ratione inſtituti reſtringere libuerit. Relegenda vero hic ſunt, quæ ſupra annotavimus, cum explicaremus, quomodo veritas confirmetur, & nos in veritate confirmemur (*not. §. 251*). Quoniam exempla ad intuitivam cognitionem referenda, a qua omnem ſuam claritatem habet ſymbolica (§. 253.); major quoque eſſe ſolet certitudo, quæ ab exemplis pendet, quam quæ a demonſtrationum vi proficiſcitur. Omnium autem maxima eſt, ſi utraque concurrit, facultatibus cognoſcendi omnibus conſpirantibus, ubi exempla ab experientia domeſtica petuntur.

Digitized by Google

tuntur. Quantum autem interſit, ne ſenſus atque imaginatio obſtent certitudini, quam demonſtrationi acceptam ferimus in Philoſophia practica; ex inferius demonſtrandis clarius elucefcet, ubi de impedimentis vitæ honeſtæ ſumus acturi. Quamobrem Philoſophia practica exemplaris, quam paulo ante commendavimus (*not.* §. 269.), ex eorum genere eſt, quæ ſatis commendari nunquam poſſunt. Supponit autem ea Philoſophiam practicam demonſtrativam, neque enim exemplari utiliter manum admovere poteſt, niſi qui in demonſtrativa fuerit verſatus.

§. 271.

Veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur, omnium optime convincimur, ſi ea in nobis ipſis experimur. A poſteriori convincimus alterum, ſi de rebus practicis ſermo fuerit, ubi eum eo adducimus, ut earum veritatem in ſeipſo experiatur (§. 985. *Log.*). Quamobrem patet, nos veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur, convinci, ſi ea in nobis ipſis experimur. Enimvero de veritate eorum, quæ in nobis ipſis experimur, nulla ſupereſſe poteſt dubitatio (§. 417. *Part. II. Theol. nat.*). Cum igitur omnium optime convincamur, ubi nihil relinquitur, quod nos in dubitationem adducere poſſit; evidens omnino eſt, nos veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur, omnium optime convinci, ſi ea in nobis ipſis experimur.

Uſus experientiæ domeſtica in convictione veritatum moralium.

Non eſt quod excipias, demonſtrationis quoque eam eſſe vim, ut omnem dubitationem excludat, ad exemplum demonſtrationum Euclidearum provocans, quibus omni ævo Elementa Euclidis legentium animi adeo convicti ſunt veritatis eorum, quæ in iis continentur, ut nemo unquam contra eorundem veritatem dubium aliquod movere auſus fuerit, ne quidem circa ea, quæ experimento ſubjicere non licet. Etenim alia longe ratio eſt veritatum mathematicarum, alia moralium ratio. Hic multa ſunt præjudicia, quæ animum hominis perturbant, ut ſibimetipſi in ratio-

ratiocinando diffidat, ſaltem vim ratiocinorum non amplius ſentit, quorum tantummodo recordatur, ubi ſenſuum ac cupiditatum illecebris in transverſum agitur, aliisque affectibus in contraria rapitur. Quantum vero hic valeat experientia domeſtica, non rectius patet, quam ubi ejus vim ipſimet percipimus. Quamobrem opera hic inprimis danda eſt, ut nihil non eorum, quæ in Philoſophia practica docentur, in nobismetipſis experiamur. Qui in Philoſophia naturali vim experientiæ propriæ expertus eſt, eam multo magis neceſſariam judicabit in Philoſophia practica, ob rationes modo indigitatas, quæ ex iis clarius eluceſcent, quæ deinceps de impedimentis vitæ perfectæ ac virtutis demonſtraturi ſumus.

§. 272.

Uſus experientiæ propriæ in confirmandis veritatibus Philoſophiæ practicæ.

Experientia propria in veritate eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrata cognoſcimus, confirmamur. Etenim cum vi demonſtrationis convincamur a priori (§. *990. Log.*); qui veritates in Philoſophia practica demonſtratas cognoſcit, demonſtrationum vi ad aſſenſum compellitur. Enimvero qui ea, quæ in Philoſophia practica docentur, in ſeipſo experitur, veritatis eorundem omnium optime convincitur (§. 271.), adeoque denuo ad aſſenſum compellitur, quem jam veritati agnitæ præbet. Quamobrem cum in veritate confirmetur is, cujus aſſenſus, quem eidem jam præbet, alio adhuc modo elicitur (§. 251.); quin experientia propria in veritate eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrata cognoſcimus, confirmemur, dubitari nequit.

Plurimum refert nos habere animum in veritate confirmatum, ubi vitæ perfectæ ſtudere voluerimus. Quamobrem & danda opera eſt, ut quæ in Philoſophia practica demonſtrantur, a priori cognoſcamus, ut evidentia rationis ad aſſen-

Digitized by Google

aſſenſum compellamur, & omni animi contentione id agendum, ut, quamprimum veritatem a priori cognovimus, eandem quoque in nobismetipſis experiamur.

§. 273.

Exempla & experientia propria ad cognitionem vivam requiſita.

Ad cognitionem vivam faciunt exempla, & omnium maxime conducit experientia propria, præſertim qua in nobis ipſis experimur, quæ de rebus practicis docentur. Etenim ſi ad exempla animum advertimus, quæ docentur rectius intelliguntur (§. 260.), quænam ab homine fieri poſſint, agnoſcuntur (§. 266.), & in veritate eorum, quæ in Philoſophia practica docentur, confirmamur ejusdem ulterius convicti (§. 269. 270.). Quoniam convictio cognitionem reddit cognoſcenti certam (§. *982. Log.*), id autem ante intelligere debemus, de cujus veritate convincendi ſumus, antequam convictioni ſit locus (§. *997. Log.*); exempla cognitionem acquiſitam nobis certam reddunt. Quamobrem cum certitudo cognitionem efficiat vivam (§. 246.); exempla facere ad cognitionem vivam dubitari nequit. *Quod erat unum.*

Similiter experientia propria efficit, ut omnium rectiſſime intelligantur, quæ in Philoſophia practica docentur, præſertim ubi ea in nobismetipſis experimur (§. 263. 264.). Eadem nos omnium optime convincit, quænam uſu facultatum noſtrarum a nobis fieri poſſint, & quinam earundem uſus nobis concedatur (§. 267.), immo omnium optime nos convincit veritatis eorum, quæ in Philoſophia practica docentur (§. 271.), & in veritate eorum, quæ demonſtrata cognovimus, nos confirmat (§. 272.). Quamobrem cum certitudo tota pendeat a convictione veritatis ſufficienter intellectæ (§. *982. 997. Log.*), vivam autem cognitionem efficiat certitudo (§. 246.); experientia propria omnium maxime conducit ad cognitionem vivam, præ-

Digitized by Google

ſertim ea, qua in nobismetipſis experimur, quæ de rebus practicis docentur. *Quod erat alterum.*

Cognitionis vivæ gratia ea potiſſimum inculcavimus, quæ de uſu exemplorum & experientiæ domeſticæ hucusque demonſtravimus. Etenim cum exempla, tum experientia domeſtica faciunt, ut, quæ docentur, certo ac immoto aſſenſu amplectamur in Philoſophia practica: ſupponimus enim exempla eſſe vera, nec nos de veritate eorum dubitare, ſive eadem ipſimet viderimus, ſive ab aliis fide dignis acceperimus. Quemadmodum vero experientia domeſtica ubivis palmam præripit; ita etiam præſtant exempla, quæ ipſimet coram intuemur. Et quamvis defectu talium primo locus concedendus ſit talibus, quæ ab aliis accepimus; danda tamen deinceps opera eſt, ut, quantum datur, experientia quoque domeſtica exempla nobis comparemus.

§. 274.

Quomodo ad cognitionem vivam perducamur.

Quoniam ad cognitionem vivam conducunt exempla & omnium maxime conducit experientia, præſertim ea, qua in nobis experimur, quæ de rebus practicis docentur (§. 273.); *alterius animo cognitionem vivam ingeneraturus, quæ ipſi demonſtravit, ad exempla eidem præſertim nota applicare ipſumque eo adducere debet, ut eorum veritatem in ſemetipſo experiatur*, & ſimiliter *qui ipſemet cognitionem vivam acquirere ſtudet, ea quæ demonſtrata cognoſcit, ad exempla ſibi nota applicare & omni animi contentione id agere tenetur, ut quamprimum eorum veritatem in ſeipſo experiatur.*

Non ſine ratione inculco, dandam eſſe operam, ut veritatem eorum, quæ demonſtrata cognoſcimus, quamprimum in nobismetipſis experiamur. Etenim ubi veritatis convicti ſumus vi demonſtrationis, ſenſus certitudinis nullo adhuc modo labefactatus eſt, quod in moralibus facile accidit. Unde ubi convictio a poſteriori ſtatim ſuperaccedit, ſenſus iſte maxime corroboratur, nec poſtea fieri poteſt, ut tam facile labefactetur.

In

In Philoſophia practica theoria cum praxi ſtatim conjungenda, antequam hæc reddatur difficilis. Quoniam enim appetitus ſenſitivus plurimas vexas creat rationali, & ipſi intellectui nebulas offundit, ut veritas, quam certam agnoveramus, reddatur dubia; alia longe ratio eſt, cur tantopere ſtudendum ſit certitudini cognitionis, & cur mature ſtudendum, quam in aliis diſciplinis. Non eſt quod objicias, perpaucos eſſe, qui de cognitione viva acquirenda adeo ſolliciti ſunt. Ecquis enim eſt, qui ignorat, veram virtutem, quæ nulla labe notatur, eſſe avem rariſſimam in his terris, & pleroſque hominum quoad virtutem a fortunæ poteſtate pendere?

§. 275.

Exemplorum uſus in cognoſcendo modo agendi.

Qui ad exempla animum advertit in iis, quæ certo modo fieri debent; eum exempla modum agendi optime docent. Etenim exempla ea, quæ notioni univerſali inſunt, intuenda exhibent (§. 250.). Quamobrem ſi in iis, quæ certo modo fieri debent, ad exempla advertimus animum, modum agendi in idea, quæ oculis quaſi obverſatur, coram quaſi intuemur. Quoniam itaque eundem nemo nos melius docere poteſt, quam ſi eum nobis coram intuendum exhibet; exempla modum agendi optime docent, ſi in iis, quæ certo modo fieri debent, animum ad ea advertimus.

Ubi quædam certo modo fieri debent, plures requiruntur actiones, quæ certo ordine ſe invicem excipiunt, & actiones ipſæ certas admittunt determinationes, in quibus nihil immutandum. Quodſi ergo mentis aciem in exemplum convertis, & ordinem perſpicis, quo actiones ſe invicem excipiunt, & determinationes actionum ſingularum, in quibus nihil variandum, accurate diſcernis. Modus adeo agendi patet, & idea ejus quaſi oculis oberrat, ut nonniſi attentione opus ſit, ſiquidem eundem cognoſcere velis, &, ubi in ipſo actu conſtitutus es, ſingula, quæ obſervanda ſunt, animum ad exemplum advertenti

Digitized by Google

ſua veluti ſponte ſeſe offerunt, & absque ullo labore in oculos incurrunt. Ecquis ergo dubitet modum agendi omnium optime doceri exemplis? Vim exemplorum quoad modum agendi docet Aſtronomia, ſi reſolutionibus problematum ſubjiciatur typus exemplorum, qui, quæ vi regularum obſervanda ſunt, oculis ſpectanda ſubjicit, quemadmodum a nobis factum eſt in Elementis Aſtronomiæ. Etſi autem ex iis, quæ modo diximus, ſatis ſuperque appareat, in quonam modus agendi conſiſtat; non inconſultum tamen ducimus ejus definitionem in futurum uſum ſubjici, præſertim cum e re quoque eſſe videatur, ut ea catenæ veritatum inſeratur.

§. 276.

Modus agendi in quo conſiſtat.

Modus agendi eſt ordo, quo actiones ſimplices quoad omnia rite determinatæ ſe invicem conſequuntur in actione compoſita.

Pleraſque hominum actiones, ſi non omnes, etiam maxime communes, eſſe compoſitas, ſeu ex pluribus ſimplicibus conſtare, nemo non novit, qui non ſine attentione ad actiones ſuas agit: id quod de actibus externis palam eſt, præſertim ubi notionibus diſtinctis per reflexionem formandis adſuetis fueris (*§. 678. Log.*), de internis autem paulo majore acumine detegitur, præſertim ubi notionibus pſychologicis diſtinctis imbutum poſſides animum. Actiones iſtæ, quæ compoſitam ingrediuntur, certum requirunt ordinem, ita ut aliæ præcedant, aliæ ſequantur. Et ſi eædem, ut rite determinentur, denuo plures requirunt actiones, idem quoque de his tenendum. Patet igitur modum agendi diſtincte concipi, ubi non modo ſingulas actiones a ſe invicem diſcernis, ex quibus compoſita conſtat, & ſingulas determinationes perſpicis, quas una quælibet earum exigit, ne aliqua ex parte deficiat; verum etiam intelligis, quænam earum alteram præcedere, quænam eandem ſubſequi debeat (*§. 682. 683. Log.*). Modus adeo agendi definitione noſtra ſufficienter explicatur. Omnes problematum reſolutiones modum agendi deſcribunt, ſiquidem exactæ fuerint. Quamobrem cum reſo-

reſolutiones problematum exactæ in Matheſi doceantur, & nos inprimis in noſtris Matheſeos Elementis id egimus, ut reſolutiones iſtæ quam facillime diſtincte percipiantur a legentibus; qui in iis verſatus fuerit, ei non deerunt ideæ exemplares, quibus definitioni noſtræ plurimum lucis affunditur. Et eædem a poſteriori ipſum convincent, exempla omnium optime docere modum agendi, ſi cum typo exemplorum regulas in reſolutione præſcriptas conferat, ac præterea notet, regularum ad ſchemata delineata applicationem tueri vicem applicationis ad exempla, ſchematis in charta delineatis & oculo ſubjectis exemplorum locum ſibi vindicantibus (*not. §. 250.*). Obiter obſervamus, Matheſeos ſtudium, ſi ita tractetur, ut methodi cognoſcendæ intimius ratio habeatur, quemadmodum a nobis factum eſt, cultoribus Matheſeos inexpectatas prorſus afferre utilitates in Philoſophia & omni cognitione reliqua.

§. 277.

Quibusnam exempla præbeant motivum agendi.

Qui aliorum actiones pro bonis habent, iis exemplum eorum præbet motivum agendi. Etenim qui ſibi perſuadet, alterius actiones eſſe bonas; is actionem aliquam ſibi tanquam bonam repræſentat, quod eam vidit committi ab altero. Quoniam itaque repræſentatio boni eſt motivum volendi, adeoque repræſentatio actionis tanquam bonæ motivum agendi (§. *890. Pſych. empir.*); quin exemplum alterius ipſi præbeat agendi motivum dubitandum non eſt (§. 250.).

Non omnibus, qui agunt, quod agere vident alios, exemplum aliorum eſt motivum agendi. Etenim fieri poteſt, ut alia ſint motiva, per quæ voluntas determinatur ad agendum, quod agunt alii, licet aliorum exemplo ſe tueantur, ubi rationem reddere debent, cur egerint. Si exemplum motivum eſſe debet, non alia adeſt ratio, cur quis agat, quam quod alios eandem actionem committere videt. Quoniam vero quoties quid appetimus, id nobis tanquam bonum repræſentamus (*§. 893. Pſych.*

Digitized by Google

Pſych. empir.); qui ideo quid agit, quia agit alius, is ſibi perſuadere debet actionem alterius eſſe bonam. Nimirum appetitus ſui naturæ ſibi conſcius ex eo, quod alter agit, colligit, eum actionem iſtam ſibi repræſentare tanquam bonam, adeoque eandem pro bona habet etiam ipſe judicio alterius confiſus. Ceterum propoſitionem præſentem generaliter enunciamus, non attentis rationibus, ob quas aliorum actiones pro bonis habemus: etenim hæ variæ eſſe poſſunt pro diverſa agentis & agentem imitantis conditione.

§. 278.

Quinam exemplis tanquam motivis utantur.

Cui exemplum alterius eſt motivum agendi, is actionem alterius ſibi tanquam bonam repræſentat ideo, quod ab altero eandem committi videt. Etenim cui exemplum alterius eſt motivum agendi, is ideo actionem committere vult, quia eandem committi videt ab alio, cum motivum ſit ratio ſufficiens volitionis (§. *887. Pſych. empir.*), qua poſita ponitur actus volitionis (§. *118. Ontol.*). Enimvero quoties quid volumus, id nobis repræſentamus tanquam bonum (§. *892. Pſych. empir.*), adeoque actionem nobis repræſentamus tanquam bonam, quam committimus. Quamobrem cui exemplum alterius eſt motivum agendi, is actionem, quam ab altero committi videt, ideo ſibi repræſentat bonam, quia ab eodem committitur.

Propoſitio hæc eſt converſa anterioris, cujus veritas jam patebat per ea, quæ ad præcedentem annotavimus. Eandem tamen ſubjungere conſultum viſum, cum ſubinde uſui eſſe poſſit.

§. 279.

Cur alieno judicio ſtantibus exem-

Qui aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequuntur, iis exemplum aliorum motivum agendi præbet. Etenim qui aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequuntur,

quuntur, ii actiones pro bonis habent, adeoque eas committendas eſſe cenſent, quia eas ab aliis committi vident: quod per ſe patet. Sed qui aliorum actiones pro bonis habent, iis exemplum aliorum motivum agendi præbet (§. 277.). Quamobrem qui aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequuntur, iis exemplum aliorum motivum agendi præbet. *pla ſint loco motivi.*

Nimirum qui aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequuntur, aliorum judicium de actionibus committendis pro vero habent, ac ideo idem amplectuntur tanquam verum. Quamobrem cum per ea, quæ paulo ante annotavimus (*not. §. 277.*), conſtet, eos ex actionibus ab aliis commiſſis colligere, quod eas pro bonis habeant; quin pro bonis habeant actiones, quas ab aliis committi vident, dubitandum non eſt, ſit ita quod nullam prorſus noverint rationem, cur eas pro bonis habeant. Eorum autem, qui non proprio, ſed alieno judicio de actionibus committendis, vel omittendis ſtatuunt, maximus eſt numerus. Unde plurimi alieno exemplo ad agendum permoventur, cumque multitudo idem facientium foveat atque augeat præjudicium, exemplorum multitudo motivum fortius præbet. Probe autem notandum eſt, quod jam ante inculcavimus, ſupponi hic eum caſum, ubi præter exemplum nullum adeſt motivum aliud, ne caſuum diverſorum confuſione naſcatur error, aut difficultates fingantur inanes in re manifeſta.

§. 280.

Quoniam ii, *quibus imbecille eſt judicium, ut ipſimet de actionibus committendis, vel omittendis ſtatuere nequeant*, aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequi tenentur; *iisdem* quoque *aliorum exemplum agendi motivum præbet.* *Imbecillis judicii hominibus cur exempla ſint motiva.*

Fœcundiſſimum hoc eſt principium in praxi morali, quemadmodum uberius eluceſcet, quando eodem alibi utemur. Qui ipſimet

ipſimet actiones ſuas dijudicare valent, ii opus minime habent, ut aliorum potius, quam propria ſtent ſententia, niſi ſingularis quædam adfuerit ratio, cur ſententiam aliorum contrariam ſuæ præferre malint: cum quo tamen caſu nobis in præſente nullum eſt negotium.

§. 281.

Cur dubium de actionibus judicium admittat exempla tanquam motiva.

Quibus proprium de actionibus committendis vel omittendis judicium adhuc dubium videtur, iis exemplum aliorum, quos majore mentis perſpicacia pollere arbitrantur, vel exemplorum multitudo motivum agendi præbet. Cui enim proprium de actionibus committendis vel omittendis judicium adhuc dubium videtur, ii ignorant, utrum affirmativæ, an negativæ contradictionis parti firmum aſſenſum præbere debeant (§. *417. Part. II. Theol. nat.*). Quodſi ergo aliis majorem mentis perſpicaciam, quam ſibi tribuant; eorum quoque opinionem in determinandis actionibus ſequi malunt, quam ſua ſtare ſententia. Et ubi multos actionem aliquam committere vident, multorum quoque judicio plus tribuunt, quam ſuo, quod dubitationi adhuc obnoxium experiuntur, adeoque denuo eorundem potius opinionem in determinandis actionibus ſequi malunt, quam proprio ſtare judicio. Enimvero qui aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequuntur, iis exemplum aliorum motivum agendi præbet (§. 279.). Præbet adeo motivum agendi aliorum exemplum, qui majore mentis perſpicacia pollere exiſtimantur; vel etiam exemplorum multitudo iis, quibus proprium de actionibus committendis vel omittendis judicium adhuc dubium videtur.

Nemo miretur, quod multitudo idem ſentientium æquiparetur perſpicaciæ unius vel alterius. Neque enim nobis hic quæſtio eſt de eo, quidnam veritati conſentaneum; ſed quid inter homines obtineat, quorum lubrica ſunt judicia, utpote

per-

Digitized by Google

perſpicacia propria deſtitutorum. Judicant illi probabiliter. Ecquis vero eſt, qui neſciat pervulgatum iſtud: oculos plures plus videre, quam oculum? Nimirum hoc principio utimur, ubi plures perſpicacia cenſentur pares. Utimur etiam eodem, ubi experientia edocti ſumimus, perſpicacem in aliis poſſe tamen cœcutire in quibusdam, ad quæ aliorum minus licet perſpicacium exporrigitur perſpicacia. Unde fluxit non modo tritum illud, quod bonus ſubinde dormitet Homerus; verum etiam alterum, ſæpe etiam olitorem valde opportuna eſſe locutum: quæ principia quantum valeant, in Logica probabilium dijudicandum, quippe quæ principia probabilitatis, non minus generalia, quam particularia ſtabilire debet, ut ejus ſit in negotiis humanis uſus, ubi demonſtratio locum habere nequit, non culpa agentis, ſed ob circumſtantias eidem inſuperabiles. Ampliores enim ſunt Logicæ probabilium limites, quam vulgo putatur. Nec ad eam condendam accedere licet, niſi Philoſophia univerſa in ſyſtema redacta, & negotiis humanis tam privatis, quam publicis ad notiones diſtinctas revocatis. Quemadmodum vero omnia, quæ meditando & experiundo deteguntur, tandem in notiones communes reſolvuntur, ita ut primi inventores aliis, quam hiſce principiis uti non potuerint in quocunque ſcientiarum genere; ita etiam Logica probabilium ex notionibus communibus deducenda, ſed per principia in ſyſtemate demonſtrata limatis, & ad eam certitudinem vi demonſtrationis deductis, quam habere poſſunt ac debent, ſiquidem earum uſus ab earundam abuſu ſemper diſcernendus.

§. 282.

Si quis capere nequit, cur actionem quandam adeo lubenter committant alii, ei exemplum aliorum motivum ſuggerere poteſt actionem eandem committendi, ut id experiatur. Etenim ſi quis videt, quod alii actionem quandam adeo lubenter committant; ex eo colligit, quod eam judicent valde bonam, omnino ob id, quod actione iſta conſequuntur (§. 892. 893. *Pſych. empir.*). Quoniam tamen capere nequit, *Quibusnam motivum quid tentandi præbeant exempla.*

§. 285.

Empiricis in agendo cur motivum ſint exempla.

Qui empirici ſunt in agendo, iis exemplum aliorum agendi motivum præbet. Etenim qui empirici ſunt in actionibus ſuis, alios imitantur (§. 205.), adeoque actiones ſuas ad aliorum actiones conformant (§ 204.). Et quia tantummodo ſecundum experientiam actiones ſuas moderantur (§. *502. Pſych. empir.*), adeoque rationes earundem negligunt, hac ſola de cauſa agunt, quia alios agere vident. Quoniam itaque cœco impetu alios imitantur, qui neglectis actionum rationibus hac ſola de cauſa agunt, quia agunt alii (§. 208.); qui ſunt empirici in agendo, cœco impetu imitantur alios. Enimvero qui alios cœco impetu imitantur, iis exemplum aliorum motivum agendi præbet (§. 284.). Præbet igitur exemplum aliorum motivum agendi iis, qui in agendo empirici ſunt.

Nimirum empirici nudi in agendo, quales hic ſupponi manifeſtum eſt, ſunt cœci aliorum imitatores, non rationales, quippe qui ſecundum rationem actiones moderantur, cui convenienter deprehendunt aliorum actiones, examine inſtituto (§. 208.).

§. 286.

Exemplorum efficacia in iis, qui gloria ducuntur.

Qui gloria ducitur, ejus ardorem paria cum aliis, immo magis præclara præſtandi, præclara aliorum exempla accendunt. Etenim cum gloria ſtimulus ſit ad præclara præſtanda (§. *771. Pſych. empir.*), qui gloria ducitur, ei ſtimulus eſt ad præclara præſtanda. Quoniam exempla realitatis notionum nos convincunt (§. 265.), adeoque certos reddunt, quidnam facultatum humanarum uſu fieri poſſit (§. *982. Log.*); qui ad exempla præclara aliorum animum advertit, certus eſt talia facultatum humanarum uſu præſtari poſſe. Quamobrem ſi quis gloria ducitur, ei exemplum alterius ſtimu-

ſtimulo eſt ad paria præſtanda, adeoque eadem præſtare etiam vult. Enimvero ſi quis agere vult, gloria ardorem accendit (§. 236.). Quodſi ergo ad exempla aliorum præclara animum advertit, qui gloria ducitur; ardor cum iis paria præſtandi accenditur. Patet itaque præclara aliorum exempla ardorem cum iis paria præſtandi accendere in his, qui gloria ducuntur. *Quod erat unum.*

Porro qui gloria ducitur, ei ſtimulus eſt ad præclara quæcunque præſtanda (§. 771. *Pſych. empir.*); adeoque non modo ad ea, quæ ab aliis præſtari videt, verum etiam ad hiſce præclariora. Quamobrem ubi animum advertens ad ea, quæ ab iisdem fieri videt, iisdem præclariora ſibi repræſentat; quin ardor eadem præſtandi, adeoque iis, quæ ab aliis præſtantur, præclariora præſtandi eorum exemplo accendatur, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Experientia iis, quæ modo demonſtrata ſunt, prorſus conſentit Videmus enim eos, qui gloria ducuntur, flagrantes ardore cognoſcendi ea, quæ ab aliis præſtantur, & omni animi contentione id agentes, ut non modo paria, verum etiam magis præclara ipſimet præſtent. Inde eſt, quod unus alterum exemplo ſuo animet ad tentanda ea, de quibus alias nulla animum ipſius ſubiiſſet cogitatio. Nunquam igitur exemplorum præclarorum major vis obſervatur quam in eos, qui gloria ducuntur.

§. 287.

Æmulus dicitur, qui ardore flagrat, ut par ſit alteri, immo etiam eodem ſuperior. Unde *alterum æmulari* dicitur, qui omni animi contentione id agit, ut eidem par, vel etiam ſuperior eodem ſit. Atque hinc porro intelligitur, quid ſit *æmulatio*, ſcilicet ſtudium, quod in eo collocamus, ut aliis pares, vel etiam iisdem ſuperiores evadamus. *Æmulus quinam ſit.*

Digitized by Google

quod in ea alterum ſibi parem, immo prorſus ſe ſuperiorum agnoſcere teneatur; ardore flagrat omni animi contentione id agendi, ut ea in re alteri par, immo eodem ſuperior evadat. Enimvero alterum æmulatur, qui ardore flagrans omni animi contentione id agit, ut eidem par, immo eodem ſuperior ſit (§. 287.). Qui adeo alterum vehementer odit, in iis eum æmulatur, in quibus parem, adeoque multo magis ſuperiorem ferre nequit.

Non deſunt hujus æmulationis exempla nimis frequentia, modo experientiam obviam conſulere volueris. Habemus adeo hic aliam æmulationis cauſam, quam gloriam. Neque hæc æmulatio verſatur circa præclara aliorum facta, quamvis eidem in hiſce etiam locus eſſe poſſit; ſed ad ea etiam extenditur, quæ opinione hominum æſtimationem recipiunt, etiamſi in vitio ponantur coram tribunali rationis. Exempli loco ſit luxus, quo quis aliorum exiſtimationem ſibi conciliare ſtudet. Neque negamus, fieri poſſe, ne odium ſortiatur effectum, ſi is alia de cauſa impeditur: quæ tamen impedimenta hic ſeponimus, & leges methodi ſeponi jubent. Immo ſi æmulatio naſcatur ex odio etiam quoad præclara facta, non diffitemur, eam labe infectam eſſe, & a rectitudine actionis deficere, cum ex adverſo a labe iſta immunis ſit, nec a rectitudine actionis abeat, quæ a gloria ortum ſuum trahit. Unde etſi initio toleranda ſit hæc æmulatio, ut ſtudio præclararum actionum adſueſcat alter, qui alias ægre ad idem adduceretur; danda tamen deinceps opera eſt, ut ſtudium iſtud a labe, quæ eidem adhæret, purgetur: id quod multo facilius, quam a labe immune excitare.

§. 291.

Quando invidia ſit æmulationis cauſa.

Quod quis alteri invidet, eidem tamen auferre nequit, nec quo minus conſequatur impedire valet; in eo alterum æmulatur. Quod quis enim alteri invidet, ad id ipſi auferendum, aut quo minus hoc obtineat impediendum pronus

nus eſt (§. *716. Pſych. empir.*). Quoniam vero id, quod alteri invidemus, bonum judicamus (§. *714. Pſych. empir.*), & quod bonum exiſtimamus volumus (§. *891 Pſych. empir.*), cumque invidia appetitum faciat vehementiorem, cupimus (§. *810. Pſych. empir.*); ardore flagramus ipſimet idem habendi (§. 218.). Quamobrem ſi ipſum alteri non auferre, nec quo minus conſequatur, impedire valemus; quo minus ſolus idem habeat, cupimus. Flagramus adeo ardore, ut in eo alteri ſimus pares, aut, ſi fieri poſſit, ſuperiores, conſequenter omni animi contentione id agimus, ut pares, immo ſi fieri poſſit, ea in re altero ſuperiores evadamus. Quamobrem cum alterum æmuletur, qui omni animi contentione id agit, ut alteri par, immo eodem ſuperior fiat (§. 287.); evidens eſt, quod alterum æmuletur, qui ipſi invidet, quod eidem auferre nequit, nec quo minus conſequatur, impedire valet, & quidem in hoc ipſo.

Hujus æmulationis exempla frequentiſſima ſunt, & ubivis obvia. Quotidie enim videas unum alteri invidere veſtes pretioſas vel ſuppellectilem pretioſiorem, immo ſplendidius vivendi genus. Cum per ſe pateat, in ipſius poteſtate non eſſe poſitum, ut impediat, quo minus alter ſplendido veſtitu incedat, & ſuppellectile pretioſiore utatur, immo vitam cum ſplendore tranſigat; invidia adducitur, ut eum æmuletur, etſi alias ea non curaret. Quodſi quædam obſtent, quo minus hoc facere poſſit, adeſt tamen voluntas, nec abſque tædio hoc ferre poteſt in altero. Hæc æmulatio admodum damnoſa & lerna malorum eſt, luxus valde nocui cauſa, quo opes privatorum dilapidantur, & civitates integræ depauperantur.

§. 292.

Qui ex invidia alterum æmulatur, ex bono alterius tædium ſive triſtitiam percipit. Etenim qui alterum æmulatur, ar- *Qualis ſit animus æmu-*

Digitized by Google

quænam præclara in hominum poteſtate ſint, & ab aliis in eandem redacta fuerint, exempla docent, conſequenter per ea nobis patet, ad quid adſpirare teneamur, ſiquidem aliis pares, immo iisdem ſuperiores fieri velimus. Exemplorum itaque notitia ad æmulationem excitandam requiritur. *Quod erat unum.*

Jam qui gloria ducuntur, ea æmulantur, quæ in aliis admirantur (§. 295.). Quamobrem cum in aliis admiremur, quæ eſſe vel fieri poſſe non putaveramus (§. 294.); qui gloria ducuntur, in iis æmulantur alios, quæ maxime præclara ſunt. Quoniam igitur exempla ad excitantandam æmulationem requiruntur (*per demonſtrata*); quo magis ea præclara fuerint, ad eo præclariorum æmulationem eos excitant, qui gloria ducuntur. Atque adeo patet, quo magis præclara fuerint exempla, eo magis eadem prodeſſe iis, qui gloria ducuntur.

Quoniam æmulatio virtutis nunquam ſatis commendari poteſt, modo abſit invidia, nec ulla intercedat obtrectatio; præclarorum exemplorum maxima hinc eluceſcit in ſtudio virtutis utilitas, ita ut ea maximum ſint ad vitam perfectam contendentibus præſidium. Abeſt autem invidia ab iis, qui gloria ducuntur, quamdiu in ambitionem non degeneraverit.

§. 297.

Compendioſa cognitio per exempla.

Exempla uno obtutu comprehendenda exhibent, quæ multis demonſtrationibus evincenda, & pluribus regulis præcipienda. Etenim ſi plura in eadem re conſideranda, veluti ſi plures actiones ſimplices compoſitam ingrediuntur, ſingula ſigillatim demonſtranda ſunt, & ſingula, quæ fieri debent, regulis ſingulis adeoque pluribus præcipienda, antequam illius notionem integram formare poſſis: id quod nemo ignorat, qui in diſciplinis accurata methodo propoſitis fue-

fuerit verſatus. Enimvero exempla ea, quæ notioni univerſali inſunt, nobis intuenda (§. 250.), adeoque uno obtutu comprehendenda exhibent. Quæ igitur multis demonſtrationibus evincenda, & pluribus regulis præcipienda, uno obtutu comprehendenda exhibent.

Novus hic eluceſcit exemplorum uſus, isque non contemnendus: unde intelligitur, quod dixit *Seneca*, longum eſſe iter per præcepta, breve per exempla. Non tamen inconſultum eſt, ut utrumque iter ingrediatur, qui certo tramite progredi voluerit. Nimirum ex iis, quæ via demonſtrationis per ambages cognovimus, formanda notio eſt diſtincta, eaque completa, ut praxi ſufficiat. Applicanda deinde ad exempla ſunt, quæ hoc modo cognovimus, ut in animo naſcatur idea exemplaris eaque lucida, quæ ad praxin ſeſe accingentis attentionem trahit ad ea, quorum meminiſſe debet, ne quid prætermittatur eorum, quæ requiruntur, ut recte fiant omnia. Ita enim obtinetur, ut ad exemplum animum advertens uno ſtatim obtutu comprehendas, & a ſe invicem diſcernas, quæ obſervanda ſunt. Dicta confirmant typi exemplorum ita propoſiti in Matheſi, quemadmodum a nobis factum eſt, ut, quæ uno obtutu comprehendenda ſiſtuntur, diſtincte tamen agnoſcantur: quo ipſo praxis mire facilitatur, & idearum exemplarium idea animo ſua veluti ſponte ingeneratur, quæ in omni praxi, qualiscunque tandem ea fuerit, eximium præſtat uſum. Etenim nos Mathemata ita tradere voluimus, ut maximum polliceantur uſum extra Matheſin etiam iis, qui eum prævidere nequeunt, adeoque nec intendunt. Unde non curamus judicia illorum, qui, quorum uſum non capiunt, quippe in lineis & calculis conſeneſcentes, aut conſeneſcere volentes, ea pro puerilibus habent, quod iis ſe carere poſſe experiantur, ubi nonniſi cognitionem mathematicam curæ cordique habent. Novi aliter ſenſiſſe *Leibnitium* pro ea, quæ ipſi erat, in omni ſcientiarum genere perſpicacia, quamvis timidior publice dicere nolebat, quæ ab Heroibus ſcientiæ mathematicæ contemtum iri prævidebat. Ego vero me-

Digitized by Google

in exemplis conſiderandis, qui notiones univerſales ex Philoſophia practica ſibi comparavit, ubi ipſemet demonſtrationibus animo concipiendis non ſufficit.

§. 300.

Alius modus reducendi ſenſum & imaginationem ad conſenſum cum intellectu.

Si ea, quæ vi demonſtrationis vera eſſe cognovimus, ipſimet experimur; experientia domeſtica ſenſus & imaginatio ad conſenſum cum intellectu reducitur. Quoniam ea, quæ experimur, ſingularia ſunt (§. *665. Log.*), quemadmodum exempla (§. 205.); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo antecedentem demonſtravimus.

Nimirum quæ vi demonſtrationis vera eſſe cognovimus, actu intellectus vera eſſe judicamus. Quæ experimur, ſeu obſervamus, ſenſuum quoque actu pro veris agnoſcuntur. Et quatenus ea, quæ ſenſu a nobis percepta fuere, vi imaginationis repræſentantur, imaginationis quoque actu pro veris habentur. Atque adeo cum intellectu ſenſus atque imaginatio conſentiunt. Quæ igitur ſuperius de experientia domeſtica demonſtravimus, ea huc faciunt, ut conſtet, quomodo ſenſus atque imaginationem ad conſenſum cum intellectu reducamus. Ceterum quæ de hoc conſenſu modo annotavimus (*not. §. 299.*); ea etiam ad præſentem propoſitionem trahenda ſunt. Exempla non ſemper ſupponunt experientiam propriam, ſed debentur etiam alienæ. Quemadmodum vero propria experientia præferenda alienæ quoad certitudinem aſſenſus, qui ab eadem pendet; ita quoque conſenſus ſenſuum atque imaginationis cum intellectu firmiori nititur talo, qui ab experientia domeſtica proficiſcitur. Quamobrem quo magis conſenſus iſte requiritur ob utilitatem, quam nobis præſtat; eo magis etiam danda eſt opera, ut ipſimet experiamur, quæ intellectus vera judicat. Et ob utilitatem, immo ſubinde ob neceſſitatem hujus conſenſus maximi fieri debet experientia domeſtica, quamvis in aliena acquieſcendum ſit, quamdiu domeſtica negatur.

§. 301.

Digitized by Google

§. 301.

Si ſenſus & imaginatio cum intellectu conſentit, aſſenſus, quem propoſitioni præbemus demonſtratæ, multo firmior efficitur. Etenim quæ vi demonſtrationis cognoſcimus, ea nobis certa ſunt (§. *568. Log.*), & quæ obſervamus, adeoque ſenſu cognoſcimus, ea quoque nobis certa ſunt (§. *567. Log.*), conſequenter etiam certa ſunt, quæ tanquam ſenſu olim percepta imaginatio nobis repræſentat (§. *92. Pſych. empir.*). Quem adeo aſſenſum præbemus vi intellectus veritati agnitæ, eundem quoque præbemus eidem ob ſenſuum teſtimonium, quod ipſi perhibent, conſequenter cum præter ſenſus ac pendentem inde imaginationem atque intellectum nulla detur alia cognoſcendi facultas, hiſce conſentientibus verendum non eſt, ne ex aliqua facultatis cognoſcitivæ parte aſſenſus reddatur ſuſpectus, atque vacillet. Patet itaque eundem multo firmiorem reddi, ſi conſenſus & imaginatio cum intellectu conſentit.

Conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu aſſenſum præſtat magis firmum.

Incrementum hoc aſſenſus, quo firmior efficitur, nemo non in ſeipſo percipit, cumque is perfectionis noſtræ indicium ſit, non ſine voluptate firmitatem iſtam agnoſcimus (§. *511 Pſych. empir.*). Immo haud raro de eadem gaudemus (§. *614. Pſych. empir.*). Accidit frequenter, ut ratiociniis intellectus, quibus abſolvitur demonſtratio, non ſatis fidamus, præſertim ubi ea, quæ demonſtrantur, præconceptis noſtris opinionibus repugnant, quarum ipſimet non ſatis clare nobis conſcii ſumus, ut ignoremus, cur quandam aſſentiendi repugnantiam in nobis animadvertamus, dum demonſtratio nos ad aſſenſum compellit. Iſta autem repugnantia prorſus evaneſcit, quamprimum veritas experientia confirmatur, præſertim domeſtica, ut ſenſus & imaginatio cum intellectu ad conſenſum reducantur. Idem quoque accidit, ubi principia quædam, quibus in demonſtrando utimur nobis adhuc ſuſpecta ſunt, etſi non ſufficiens adſit ratio, cur ea in dubium vocemus. Ceterum exempla, quæ non ex-

Digitized by Google

perientiæ domeſticæ, ſed alienæ debentur, vi tantummodo imaginationis repræſentantur, atque adeo per ea tantummodo imaginatio ad conſenſum cum intellectu reducitur, non vero ſenſus.

§. 302.

Fabula quid ſit.

Fabula dicitur expoſitio facti cujusdam ficti, veritatis, præſertim moralis docendæ gratia. Dicitur etiam *Apologus* & *Fabella* a Phædro.

Fabula æquivocum admittit apud autores Latinos ſignificatum, quem nos ad determinatum revocare debuimus pro inſtituti ratione. In eo igitur vocabulum ſumimus, quem definitio explicat, & eidem conſtanter inhærebimus. Opponitur autem in hoc ſignificatu fabula hiſtoriæ. Etenim facta, quæ recenſentur, vel vera ſunt, vel ficta. Si vera recenſentur facta, hiſtoriam habes (*ſ. 744. Log.*); ſi ficta, fabulam. Notandum vero fictum opponi vero non eodem ſenſu, quo falſum. Etenim qui falſa narrat, pro veris ea vel ipſe habet, vel ab iis, quibus narrat, haberi vult. Aſt qui ficta narrat, & novit, ea vera non eſſe, hoc eſt, minime contigiſſe, nec vult pro veris habeantur ab aliis. Quoniam vero facta finguntur vel utilitatis cujusdam gratia, vel nullius, non autem decet hominem ratione utentem, conſequenter nec Philoſophum fingere absque fine intento, adeoque talia, quæ nullum habent uſum; ideo eorum expoſitio, quæ nullius utilitatis gratia finguntur, dicuntur *Fabulæ aniles*, atque hic nullam merentur attentionem. Quæ vero utilitatis cujusdam gratia finguntur quaſi facta, cum facta non ſunt, immo ſubinde talia, quæ fieri nequidem poſſunt, nimirum veritatis docendæ gratia; eorum expoſitio ſola attentionem Philoſophi meretur, conſequenter nec is novit fabulas, niſi quæ hunc finem habent, ut doceant veritatem. Neque vero eſt, quod exiſtimes, immutari a nobis ſignificatum vocabuli receptum, & alium introduci, qui ſit ab uſu loquendi alienus. Etenim is, quem vocabulo tribuimus, dudum ei tributus fuit. Sane *Aphthonius*, qui Progymnaſmatum primum fabulam facit, non alium vocabuli admittit ſignificatum. Unde fabulam definit, quod ſit ſermo

Digitized by Google

mo falſus, veritatem effingens. Falſus nimirum ſermo eſt, quatenus commemorantur facta, quæ vera non ſunt, ſed quæ tantummodo finguntur: quo ipſo fabula ab hiſtoria diſtinguitur. Veritatem autem effingit ſermo iſte, quatenus ficta illa facta veritatis cujusdam ideam animo audientis ingenerant, ut adeo facta ficta verum factum ſignificent. Exemplo ſunt Fabulæ Æſopi in vulgus notæ, quibus definitio noſtra cum Aphthoniana conſentiens, ſed eadem clarior & magis perſpicua convenit, & quas Apologos dicere ſolent, Phædrus autem fabellas appellavit. Et hoc ſenſu etiam *Grotius* parabolas Chriſti, quas vocamus, fabellas dixit, quia ſub definitione earum continentur: ſit ita quod conſultius ab hac appellatione abſtineamus, ne Latinitatis probæ parum gnari in perverſum ſenſum eandem trahant, fabellam cum fabulis anilibus confundentes.

§. 303.

Fabulæ jam ab Aphthonio diviſæ in rationales, morales & mixtas. Nimirum ſi facta fingimus, aut ſubjectis tales tribuimus actiones & paſſiones, qualium ſunt capaces, ſeu in genere talia prædicata, quæ ipſis convenire poſſunt; aut talia, quæ iisdem convenire nequeunt. In caſu priore *Fabulæ* ſunt *rationales*; in poſteriore *Morales* appellantur: quæ vero ex rationalibus & moralibus componuntur, vocantur *mixtæ*. *Fabularum diviſio.*

Ex. gr. Homines loquuntur, ſed non bruta. Quodſi ergo hominibus tribuas ſermonem, fabula non habet, quod rationi repugnet, adeoque rationalis dicetur: aſt ſi bruta inter ſe colloquentia fingas, cum bruta verba invicem miſcere nequeant, fabula moralis erit, quales fabulæ complures ſunt apud Æſopum. Enimvero ſi brutis tribuas actiones, quales edere poſſunt, præterea vero etiam loquelam, cujus non ſunt capaces, inprimis verba animi ſenſa exprimentia, qualia brutum nullum naturaliter proferre poteſt; ex rationali & morali mixta erit fabula, ac ideo nomen mixtæ ſortitur, qualis eſt illa Æſopica de gallo gallinaceo unio-

Digitized by Google

unionem in fimeto inveniente. Significatus harum appellationum uſu loquendi invaluit, neque adeo temere immutandus: ſit ita quod verborum ſignificatus extra compoſitionem alium fundat ſenſum, qui a vero non abhorret. Ita fabula omnis, ſi ab anilibus diſceſſeris, quoad ſignificatum & rationalis, & moralis erit, cum veritatis cujusdam moralis gratia fingantur facta, quæ facta non ſunt, & veritas iſta ſit rationi conformis, immo ipſa quoque fictio a ratione minime abhorreat. Equidem *Aphthonius* fabulam rationalem definit, qua fingimus hominem aliquid facere; *moralem* vero per eam, quæ ratione carentium morem imitatur, adeoque rationalem ad ea, quæ de hominibus, moralem vero ad ea, quæ de rationis expertibus finguntur, reſtringere videtur: non tamen hinc inferri poteſt, quod nos a ſignificatu recepto receſſerimus. Cum enim nunquam difficilius ſit mentem ſuam accurate exprimere, quam ubi definitiones condere jubemur, ut ideo definitiones difficillimæ habeantur in Philoſophia omni, ac aliis etiam diſciplinis, ſi a Matheſi receſſeris; in expendendis veterum præſertim definitionibus non tam videndum, quid dixerint definitionum conditores, quam quidnam dicere voluerint. Abſit enim ut negemus accurate cogitaſſe, qui non ſatis accurate loquuntur. Puerile eſt erroris redarguere eum, qui ab errore immunem poſſedit animum, propterea quod parum apta ſuccurrerint verba, quibus mentem ſuam exprimere poterat. Quodſi ergo non tam ex verbis *Aphthonii*, quam ex mente ipſius differentiam fabularum explicare volueris, non aliæ condendæ ſunt definitiones, quam quas nos tradidimus. Etenim *Aphthonius* omnem fabularum differentiam ſua diviſione in rationales, morales atque mixtas exhaurire voluit. Quodſi vero ad fabulas *Æſopi* vel aliunde quotcunque congeſtas animum advertas, vel ipſam etiam rationem audias ſpecies ex notione generis deducens (*§. 712. Log.*); non aliam deprehendes differentiam diviſioni iſti aptam, quam eam, quæ a nobis explicata fuit: quod expreſſius ut doceamus, minime opus eſſe exiſtimamus.

§. 304.

Digitized by Google

§. 304.

Fabulæ in-terpretatio quid ſit, & quomodo di-catur.

Fabulæ ſeu *apologi interpretatio* eſt explicatio ſignificatus ejusdem, ſeu illius veritatis, cujus docendæ gratia inventa, indicatio. Quodſi ea fabulæ præmittitur, *Præfabulatio*; ſi eidem poſtponitur, *Adfabulatio* vocatur.

Significatus fabularum non adeo manifeſtus eſt, ut rudioribus, quorum potiſſimum gratia eædem conduntur, per ſe pateat. Explicandus itaque eſt, ut intelligatur, & finem fabulæ conſequi detur, qui eſt perſuadere veritatem iſtam rudioribus, quos vi demonſtrationis convincere non licet. Atque ideo interpretatione opus eſt, ne fabula deſtituatur ſuo uſu. Hanc vero fabularum autores nunc præmittunt, nunc poſtponunt, atque ideo diverſa ſortitur nomina. E. gr. Fabula de mure urbano ruſticum hoſpitio excipiente apud *Æſopum* inculcat, inopiam cum ſecuritate præferendam eſſe copiæ cum anxietate: ubi monueris, fabulam hoc docere, eandem interpretaris. Quodſi hoc dogma initio inculces, antequam fabulam narres, dicetur interpretatio præfabulatio; ſi vero hoc ipſum fabula ſignificari monueris, ubi eandem narraveris, adfabulatio appellabitur.

§. 305.

Fabulæ effectus.

Fabula notionem veritatis cujusdam, præſertim moralis alterius animo ingenerare, & aſſenſum ipſi præbendum elicere debet. Fabula enim veritatis cujusdam moralis docendæ gratia invenitur (§. 302.). Quamobrem cum alterum doceamus veritatem, dum eum ad ejus cognitionem perducimus, & ad aſſenſum ipſi præbendum permovemus; autor fabulæ alios, quibus eandem narrat, ad veritatis cujusdam, præſertim moralis cognitionem perducere, & ad aſſenſum eidem præbendum permovere intendit (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque rem cognoſcimus, dum ejus notionem vel ideam rei acquirimus

 (§. *52*

(§. 52. *Pſych. empir.*), cumque aſſentiri non poſſimus, niſi aſſenſus eliciatur, quod per ſe patet; fabula & notionem veritatis cujusdam moralis alterius animo ingenerare, & aſſenſum ipſi præbendum elicere debet.

Hinc igitur intelligitur, quinam ſit fabulæ effectus, quem tanquam finem intendit autor, probe notandus, ut judicium fieri poſſit, num fabula nomen ſuum tueatur, an aliqua ex parte deficiat. Interpretatio equidem veritatem v. gr. moralem verbis apertis declarat, quam fabula docet; ſed cum vocabula, ex quibus conſtat oratio, notionibus diſtinctis minime explicentur, notionem veritatis, quam inculcat, ipſa fabula animo alterius ingenerare debet, ſiquidem velis, ne quid obſcuritatis in interpretatione remaneat. Quoniam vero eadem interpretatio nullam addit rationem, cur verum ſit, quod fabula inculcat, ut aſſenſus eliciatur; neceſſe eſt ipſam fabulam ad eliciendum aſſenſum eſſe aptam, ne dogma iſtud morale pro vero admittere hæſites. Quodſi ergo ex altera parte deficiat fabula, nomen ſuum minime tuetur. Si ex adverſo neutra ex parte notetur aliquis defectus, omni ex parte ſatisfacit. Vides itaque fabulis dijudicandis inſervire propoſitionem præſentem, immo eandem quoque uſui eſſe in fabulis inveniendis. Qui adeo fabulas *Æſopi* aliasque veterum ad examen revocare voluerit, interpretationem cum ipſa fabula conferat, & probe perpendat, num per eam ſignificatum vocabulorum in complexu orationis intelligat, & num ad aſſenſum aſſerto præbendum permoveatur, etſi nullas adhuc perſpiciat rationes, cur dogma iſtud pro vero habere debeat. Proderit quoque hoc examen, ut ipſam fabularum vim in animos hominum in ſeipſo experiatur.

§. 306.

Ex quibusnam fabula conſtare debeat.

Quæ in fabula finguntur, in vulgus nota eſſe debent. Etenim fabula veritatis cujusdam, præſertim moralis notionem animo ingenerare debet (§. 305.). Quamobrem neceſſe eſt, ut qui eam narrare audit, ideam ejus ſibi formare poſſit,

Digitized by Google

poſſit, ſeu ea, quæ narrantur, ſibi repræſentare valeat. Quoniam itaque vocabulo audito vi imaginationis non reſuſcitatur niſi idea ejus, quod antea ſæpius cum eodem perceptum (§. *273. 92. Pſych. empir.*); ideo opus eſt ut ea, quæ in fabula finguntur, ſi ſigillatim ſpectentur, antea jam ſæpe perceperimus, adeoque in vulgus nota eſſe debent.

Quodſi fabula contineret talia, quorum ideam vi imaginationis ſuſcitare non poſſes, quid ea ſibi velit, ignorares, conſequenter abſente idea nec tibi exhibebit ea, quæ notioni veritatis moralis inculcandæ reſpondent. Et quoniam vulgi potiſſimum gratia conduntur fabulæ, etſi non minus proſint perſpicacioribus, quemadmodum mox oſtendemus; fabula componi debet ex iis, quæ in vulgus nota ſunt. Quodſi fabulas *Æſopi* vel alias, quas nobis reliquit antiquitas, vel fugitivo oculo percurrere volueris; ſtatim animadvertes, eas ad popularitatem maxime compoſitas eſſe. Idem obſervat Chriſtus in parabolis, quas ſub fabularum notione comprehendi ſupra annotavimus (*not. §. 302.*). Atque ideo eximium fabulæ uſum habent, quatenus ſingularem præbent modum, eumque perfacilem notionem rerum conceptu non adeo facilium ingenerandi animo etiam rudiorum per ideas maxime vulgares. Uſum hunc prævidit, qui fabulas primus invenit, *Homerus*, & idem ſe poſtea probavit ceteris, qui ejus exemplo permoti plures compoſuere.

§. 307.

Fabulæ veritatem, quam inculcant, ad cognitionem intuitivam reducunt. Etenim per res in vulgus notas ea nobis exhibent, quæ notioni veritatis, quam docent, inſunt (§. 305. 306.), ut adeo ad ideam fabulæ reſpondentem animum advertentes eandem cognoſcamus. Quoniam itaque intuitiva eſt cognitio, quæ ipſo idearum intuitu abſolvitur (§. *286. Pſych. empir.*); quin fabulæ veritatem, quam docent,

Cognitionis ad intuitivam reductio per fabulas.

docent, ad cognitionem intuitivam reducant, dubitandum non eſt.

Intuitiva cognitio maxime convenit vulgo, unde fabulæ ad vulgi palatum maxime compoſitæ, præſertim cum nec loquantur niſi de vulgo notis (§. 306.). Sed cum intuitiva cognitio maximum ſit ad certitudinem præſidium, in univerſum omnibus, etiam eruditioribus inſignem utilitatem adferunt. Conveniunt in eo cum exemplis, quemadmodum exemplorum ſpeciem easdem conſtituere jam ante annotavimus (*not. §. 302*). Quamobrem quæ de exemplis ſupra demonſtravimus, ad fabulas etiam applicari poſſunt, veluti quod *proſint ad veritates univerſales rectius intelligendas* (*§. 260.*), *ad realitatem notionis oſtendendam* (*§. 265.*), *& ad veritatem aliunde agnitam confirmandam* (*§. 269.*). Unde fabulæ in hiſce exemplorum vicem ſuſtinent, etſi in quibusdam eadem antecellant, præſertim ubi tibi res fuerit cum vulgo imperito, & in aliis quoque veritatibus ad cognitionem intuitivam reducendis locum habent, ubi exemplis non conceditur uſus. Latius enim patet fabularum, quam exemplorum uſus, cum per fabulas doceri poſſint, quæ exemplis doceri nequeunt: cujus ratio ex notione fabularum moralium perſpicitur (§. 303.), etſi quoque notio rationalium eandem jam inſinuet. Sane Chriſtus efficaciam verbi divini, & quomodo impediatur, parabola de agricola ſemen agro committente clariſſime docet, quæ per exempla vix ac ne vix quidem doceri poterat.

§. 308.

Fundamentum ſignificatus fabularum.

Quæ in fabula finguntur, ſimilitudinem habere debent cum iis, quæ docet. Etenim fabulæ veritatis illius, quam docent, ideam animo ingenerare debent (§. 305.), conſequenter neceſſe eſt ut ea, quæ notioni veritatis iſtius inſunt, contineant. Quoniam igitur ſimilitudo conſtituitur per ea, quæ in entibus eadem ſunt (§. *159. Ontol.*); quæ in fabulis finguntur, ſimilitudinem habere debent cum iis, quæ docent.

Videmus itaque, quodnam ſit ſignificatus fabularum fundamentum, nempe ſimilitudo ficti & veri: id quod exempla

pla fabularum illuſtrant & confirmant. Fabula Æſopica de mure ruſtico urbanum hoſpitio excipiente inculcat, inopiam cum ſecuritate copiæ cum anxietate præferendam. Repræſentat copiam eſculentorum, qua abundat mus urbanus, ſed caret ruſticus. Commemorat ſtrepitum in ſerra & latratum canum inter epulandum auditum, & amborum trepidationem & fugam, ut, quo ſe vertere debeant, vix reperiant, ut repræſentetur axietas cum copia conjuncta, a qua immunis eſt ruſticus, qui malle ſeſe declarat inopiam cum ſecuritate, quam copiam cum anxietate. Ponamus jam caſum verum. Titius in loco degit, ubi ea fruitur ſorte, ut nihil ipſi deſit eorum, quæ ad vitæ neceſſitatem ac commoditatem facere poſſunt, & ubi nihil ipſi periculi imminet ab inimicis, nec ulla creantur tædia. Offertur ipſi alio in loco conditio alia multo pinguidior & honoratior, ſed ubi inſidiæ continuo metuendæ ſunt & periculum fortunæ ſplendidæ, qua plurimorum invidiam incurrit, imminet. Prudentia ſuadet, ut ſorte tenuiori, quæ periculis ac tædiis vacat, contentus eam cum pinguiori, quæ tot ac tantis periculis expoſita, non commutet. Quodſi caſum verum cum fabula, verum adeo cum ficto componere volueris, ſimilitudinem obviam animadvertes.

§. 309.

Quomodo fabula inveniatur.

Fabulam inventurus ſumere debet veritatem, quam alteri perſuadere vult, eam deinde applicare ad caſum quendam verum, & diſpicere num ex iis, quæ in vulgus cognita ſunt, effingere poſſit alium, qui ſimilitudinem cum vero quoad ea, quæ docere vult, habet. Quoniam enim fabula veritatis cujusdam docendæ gratia invenitur (§. 302.); eam inventurus utique noſſe debet, quamnam veritatem alteri perſuadere velit, adeoque eandem ſumere tanquam principium, unde fabulam deducat. Quoniam vero quæ in fabula finguntur, in vulgus nota eſſe (§. 306.), & ſimilitudinem quandam cum iis, quæ docet, habere debent (§. 308.), veritatem, quam alteri perſuadere vult, ut ad caſum quendam verum

Digitized by Google

applicet, ac deinde diſpiciat opus eſt, num ex iis, quæ in vulgus nota ſunt, caſum alium effingere poſſit ipſi ſimilem quoad ea, quæ docere intendit.

Patet adeo, fabularum inventionem eſſe arduam, immo haud raro difficillimam. Experientia dabit fidem oculatam, ubi quis ad eas inveniendas animum appulerit, præſertim ubi ipſi curæ cordique fuerit, ne quid in invento ejusdem jure deſideretur.

§. 310.

Principium inveniendi fabulas.

Fabulæ inveniuntur ope principii reductionis. Etenim fabula invenitur, ſi caſus quidam verus veritatis cujusdam univerſalis reducitur ad alium fictum, qui notionem iſtius veritatis cum eo communem habet (§. 309.). Enimvero principium reductionis eſt artificium, quo objectum aliquod, de quo quid quæritur, reducitur ad aliud notionem quandam communem habens, ut ea, quæ de hoc nobis innotuere, vi notionis communis ad illud quoque applicari poſſint (§. 472. *Pſych. empir.*). Patet itaque fabulas ope principii reductionis inveniri.

Videmus adeo, quo artificio utantur fabularum inventores, principio nimirum reductionis: quod quemadmodum ad inveniendum in genere utiliſſimum, ita ad fabulas inveniendas abſolute neceſſarium eſt. Quoniam in arte inveniendi principium reductionis ampliſſimum ſibi locum vindicat, abque hoc principio autem nulla effingitur fabula; nemo in dubium revocare poterit fabularum autores inter inventores locum habere. Neque eſt quod inventores abjecte de fabularum inventoribus ſentiant: quodſi enim fabula nomen ſuum tueri, nec quicquam in eadem deſiderari debet, haud exiguæ ſæpe artis eſt eam invenire, ita ut in aliis veritatibus inveniendis excellentes hic vires ſuas deficere agnoſcant, ubi in rem præſentem veniunt. Fabulæ aniles nugæ ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quæ nihil veritatis continent, & earum autores in nugatorum, non inventorum veritatis numero ſunt. Abſit autem ut hiſce æquipares inventores fabularum vel fabellarum, cum quibus in præſente nobis negotium eſt, & quas vel inviti in Philoſophiam practicam admittere tenemur, niſi praxi officere velimus.

§. 311.

Cur inventores fabularum ingenioſi eſſe debeant.

Fabularum inventores ingenioſi eſſe debent. Utuntur enim principio reductionis, nec absque ejus ope quicquam efficiunt (§. 310.). Quoniam ope principii reductionis objectum aliquod, de quo quid quæritur, reducitur ad aliud notum, quod notionem communem cum iſto habet (§. 472. *Pſych. empir.*); inventores fabularum ea diſcernere debent, quæ in rebus diverſis eadem ſunt, conſequenter earundem ſimilitudinem pervidere (§. 195. *Ontol.*). Enimvero qui rerum ſimilitudinem facile obſervat, ingenioſus eſt (§. 476. *Pſych. empir.*). Inventores itaque fabularum ingenioſi eſſe debent.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quæ in fabulis finguntur, ſimilitudinem habere debent cum iis, quæ docent (§. 308.). Fabularum itaque inventores ſimilitudinem rerum facile obſervare tenentur. Quamobrem cum igenioſus ſit, qui ſimilitudinem rerum facile obſervat (§. 476. *Pſych. empir.*); fabularum inventores ingenioſi eſſe debent.

Prima demonſtratio eadem eſt, qua evicimus inventores in genere ingenioſos eſſe debere, ſeu ingenio opus habere (§. 481. *Pſych. empir.*). Unde confirmatur, quod ad propoſitionem præcedentem de autoribus fabularum, inter inventores veritatis locum ſibi vindicantibus, annotatum fuit (*not.* §. 310.). Nec minus hinc eluceſcit ratio, cur ſubinde aliis inventoribus tantum non impoſſibile ſit fabulas invenire, quæ ſint omnibus ſuis numeris abſolutæ. Dantur enim inventores, qui cum ingenio non ſatis polleant,

Digitized by Google

laborioſa demum artificiorum alienorum imitatione metam attingunt, neſcientes quo ſe vertant, ubi alieno auxilio deſtituuntur.

§. 312.

Quarum rerum notitia inventor inſtructus eſſe debeat.

Fabulas inventurus rerum vulgarium notitiam habere debet. Etenim quæ in fabula finguntur, in vulgus nota, ſeu, quod perinde eſt, res vulgares eſſe debent (§. 306.). Patet itaque fabulas inventurum rerum vulgarium notitiam habere debere.

Res vulgares hic dicimus eas, quas vulgo norunt omnes, quæque adeo communi experientia addiſcuntur. Iſtiusmodi ſunt, quæ ad hiſtoriam muris urbani & ruſtici ſeu in agris degentis ſpectant, & indolem muris cujuslibet concernunt in fabula Æſopica, ad quam paulo ante provocavimus (*not. §. 308.*). Talia quoque ſunt, quæ communi paſtorum experientia conſtant, veluti de lupis, qui ovibus inſidiantur, de canibus, qui eos cuſtodiunt, de ovium inermium timiditate. Quo etiam pertinent ea, quæ ruri a ruſticis, in urbe a civibus & incolis, immo in aula ab aulicis fiunt. Quamobrem patet, fabularum inventores omnem ſibi experientiam comparare debere, quæ ubivis inter omne viget hominum genus.

§. 313.

Quarum univerſalis cognitio Fabularum inventori eſſe debeat.

Fabularum inventores veritatum ſcitu maxime utilium cognitione inſtructi eſſe debent. Fabulæ enim inveniuntur veritatum, præſertim moralium docendarum gratia (§. 302.), & eas inventurus notionem veritatis, quam docere vult, ad ideam rerum vulgarium reducere debet (§. 309.). Neceſſe igitur eſt, ut fabularum inventores veritatum ſcitu maxime utilium cognitione ſint inſtructi.

Ita videmus *Æſopum* fuiſſe inſtructum regularum prudentiæ cognitione, quæ hominibus obſervandæ, niſi per imprudentiam damna & pericula incurrere velint. Exempli loco eſſe poteſt fabula

bula de mure ruſtico & urbano, ſupra in medium allata (*not.* §. *308.*). Prudentiæ enim præceptum eſt admodum ſalutare, quod inopia cum ſecuritate præferenda ſit copiæ cum multa anxietate. Immo Chriſtus veritates theologicas maxime arduas hac methodo propoſuit. Exempli loco eſſe poteſt parabola de zizaniis inter triticum, qua doctrina de permiſſione mali Philoſophis ac Theologis captu omnium difficillima viſa, & quæ ſummam habet utilitatem in religione tam naturali, quam revelata adverſus empæctas alioſque homines profanos quoſcunque defendenda, & in multa hominum officia influit, ad ipſum vulgi captum reducitur (*§. 601. Part. I. Theol. nat.*). Niſi enim vocabulo offendaris, vel offendas alios, a cujus incauto uſu ſcandali evitandi gratia abſtinendum eſſe ſupra jam inculcavimus (*not. §. 302.*), parabola iſta exemplum præbet exquiſitiſſimum fabulæ rationalis (§. 303.). Ceterum ex hac propoſitione intelligitur, fabularum inventoribus non ſufficere notitiam rerum vulgarium, etſi eadem inſtructi eſſe debeant (§. 312.), ſed requiri etiam in iis veritatum ſublimium & maxime arduarum intimiorem cognitionem, quæ ſcitu maxime neceſſaria & longe utiliſſima ſunt. Qui adeo ex vulgari tantummodo notitia fabulas æſtimant, & de inventoribus earundem ſtatuunt; oppido falluntur. Aliter ſentiunt, qui *Æſopum* meritis encomiis condecorare ſolent, & cur ita ſentiant, abunde intelligitur ex iis, quæ a nobis de fabulis earumque inventoribus hactenus demonſtrata ſunt. Nos nemini meritas invidemus laudes, & ſuo unumquodque æſtimamus pretio, neminem extollentes cum opprobrio aliorum, nec veritatis quoddam genus extollentes in contemtum veritatum ceterarum, quemadmodum facere ſolent, qui idololatrico cultu ſuam tantummodo proſequuntur Minervam.

§. 314.

Si hiſtoria quædam ad veritatem quandam ſignificandam adhibetur, quæ ex eadem nullo ratiocinio colligi poteſt; in fabulam rationalem convertitur. Etenim ſi veritas illa, quam docere intendis, ex hiſtoria nullo ratiocinio colligi poteſt, ut ad eam ſignificandam apta evadat, circumſtantias fingas neceſſe

Quomodo hiſtoria in fabulas convertantur.

neceſſe eſt, quæ in eadem deſiderantur. Enimvero quod veritatis docendæ gratia fingitur, fabula eſt (§. 302.). Hiſtoria igitur in fabulam convertitur, ubi eam ad veritatem quandam ſignificandam adhibes, quæ ex eadem nullo ratiocinio colligi poteſt. Quoniam vero hiſce ſubjectis non tribuuntur niſi talia prædicata, qualia ipſis convenire poſſunt, rationalis vero fabula eſt, qua ſubjectis non tribuuntur, niſi quæ convenire poſſunt, prædicata (§. 303.); hiſtoria in fabulam rationalem convertitur, ubi ad ſignificandam veritatem quandam adhibetur, quæ nullo ratiocinio ex eadem colligi poteſt.

Ita P. *Abrahamus a S. Clara*, Ordinis Auguſtinianorum diſcalceatorum, *Leopoldo* Imperatori quondam a Concionibus ſacris, qui ingenio excellebat, rerum vulgarium notitia maxime inſtructus erat, & dogmata moralia ſcitu utiliſſima probe perſpecta habebat, hiſtoriam evangelicam de centurione Capernaitico in fabulam convertit, dum ad inculcandum promptam militum obedientiam ob promptam ſtipendiorum ſolutionem eandem transferebat. Neque enim in hiſtoria iſta ullæ occurrunt circumſtantiæ, ex quibus colligi poteſt, promptam ſtipendiorum ſolutionem fuiſſe promptæ obedientiæ cauſam. Nemo tamen negaverit, ſi hiſtoria iſta conſideretur inſtar fabulæ rationalis, ei hunc uſum imponi poſſe. Quamobrem cum Pater iſte, qui iis dotibus inſtructus erat, quas in fabularum inventoribus requiſiveris, dependentiam promptæ obedientiæ militum a prompta ſtipendiorum numeratione inculcare intenderet; quo minus translationem hiſtoriæ ad hunc ſignificatum pro fabula rationali habeamus, nihil prorſus obſtat.

§. 315.

Vis perſuadendi veritatem quanta ſit fabulis. *Fabulæ magnam vim habent veritatem aliis perſuadendi.* Cum enim fabulæ quæ fingunt in vulgus nota ſint (§. 306.), vera eſſe, quæ fabula cum vero communia habet (§. 309.), nemo

nemo non videt ac lubenter concedit. Quamobrem ubi fictum ad verum reducit interpretatio (§. 304.), adeoque fabula veritas, quam inculcat, ad cognitionem intuitivam reducitur (§. 307.), ut eam in idea, quæ animo obverſatur, ob animadverſam veri cum ficto ſimilitudinem (§. 309.) quaſi coram intueamur (§. *286. Pſych. empir.*), quin eam pro certiſſima habeamus dubitari nequit (§ *567. Log.*). Quoniam itaque fortem elicit aſſenſum veritati nondum pronatæ præbendum, magnam omnino vim habent veritatem aliis perſuadendi (§. *1001. Log.*).

Confirmatur idem a poſteriori. Neque enim alia re opus eſt, quam ut attenta mente fabulam aliquam perluſtremus, & ad noſmetipſos animum advertamus, ut vim, quam fabulæ tribuit propoſitio præſens, in nobismetipſis experiamur. Qui paulo majore acumine utitur, ipſam quoque demonſtrationem in exemplo, ad quod eandem applicat, quaſi coram intuebitur, ut rationem iſtius vis intuitive agnoſcat.

Ob vim hanc perſuadendi veteres tanto in pretio habuere fabulas, adeoque iisdem uſi ſunt in rebus maxime arduis. Ad hanc potiſſimum reſpicere tenentur inventores, cum præſtantia fabulæ æſtimetur ex magnitudine vis iſtius, & fabula tota ad perſuadendum veritatem alteri compoſita eſſe debeat (§. 305.). Quo major fuerit vis perſuadendi, quam habet fabula, eo majus quoque cenſetur acumen & ingenium inventoris, eoque magis fabula delectat etiam philoſophos acutiores.

§. 316.

Fabularum uſus in redarguenda hominum ſtultitia.

Si fabulæ regulas prudentiæ a contrario deſumto argumento aliis perſuadent; ſtultitiam contra eas agentis palpabilem reddunt. Quodſi enim fabula regulam quandam prudentiæ argumento a contrario deſumto perſuadere debet aliis, fingendæ

gendæ ſunt actiones hominum, brutorum vel rerum aliarum regulæ prudentiæ, quam docere intendis, contrariæ. Et quoniam fabula notionem veritatis ejus, quam docet, alterius animo ingenerare & aſſenſum ipſi præbendum elicere debet (§. 305.); fabula regulam prudentiæ argumento a contrario deſumto inculcatura abſurditatem actionis contrariæ docere debet, conſequenter cum in vulgus nota ſint, quæ finguntur (§. 306.), & veritas, quæ inculcatur ad cognitionem intuitivam reducatur (§. 307.), abſurditatem iſtam in iis, quæ hominibus etiam plebejis nota ſunt, veluti coram intuendam exhibent. Quamobrem ubi ſtultitiam rides in hominibus, brutis vel rebus aliis, de quibus loquitur fabula, & interpretatione mox fictum reducitur ad verum (§. 304.); quin ſtultitia contra regulas prudentiæ agentis palpabilis reddatur, dubitandum non eſt.

A poſteriori veritatem propoſitionis præſentis loquuntur fabulæ, quæ ſunt hujus furfuris, veluti Æſopica de cane fruſtum carnis ex faucibus in fluvium demittente, dum umbræ majori in eodem viſæ inhiat, ad redarguendam ſtultitiam eorum, qui ſpe lucri incerti, quod majus videtur, boni præſentis, quo fruuntur, jacturam facere nulli dubitant. Etenim nemo non ridet canem in fabula, & ſtultitiam accuſat. Quoniam vero negare haud quaquam poteſt, hominem ſpe lucri, quod majus apparet, bonum præſens, quo fruitur, amittentem, cani in fabula ſimillimum eſſe; quin hujus ſtultitia palpabilis ſit, negare nequit, niſi iis contradicere velit, quæ in ſeipſo experitur.

Quæ de maxima fabularum vi in perſuadendo ſeſe exerente in propoſitione præcedente evicimus (§. 315.); ea inprimis in hoc fabularum genere manifeſta ſunt. Quamobrem ubi fabularum inventores ea inculcare volunt, quorum veritas rectius perſuadetur argumento a contrario deſumto, hoc

hoc genere uti tenentur, ſi fini fabulæ ſatisfacere voluerint (§. 305.). Plurimæ ſunt veritates morales, quæ rectius docentur per contrarium, cujus manifeſta abſurditas eſt. Pertinent huc inprimis regulæ decori, quarum veritas haud facilius agnoſcitur, quam indecori oppoſiti abſurditate manifeſta agnita. Et quæ prudentiæ ſunt, earum veritas non magis in oculos incurrit, quam ubi in oppoſitam ſtultitiam oculos convertis. Sunt etiam quædam bona, quorum magnitudo vix agnoſcitur, niſi malis oppoſitis perſpectis. Fabularum adeo genus, quod veritatem per contrarium docet, latius patet, quam putaveras: ſit ita quod in propoſitione majoris perſpicuitatis gratia ad regulas prudentiæ docendas idem reſtrinxerimus. Nemo autem non videt, eandem ſubſiſtere demonſtrationem, ſi propoſitioni omnem latitudinem tribuere volueris, quam habere poteſt.

§. 317.

Si, quæ fabula docet, vi demonſtrationis vera eſſe cognovimus; ſenſus atque imaginatio ad conſenſum cum intellectu reducitur. Etenim fabulæ veritatem, quam inculcant, ad cognitionem intuitivam reducunt (§. 307.). Quamobrem cum in vulgus nota ſint, quæ in iis finguntur (§. 306.), & cognitio intuitiva ipſo idearum intuitu abſolvatur (§ 286. *Pſych. empir.*); ſi, quæ fabula docet, vi demonſtrationis vera cognovimus, eadem nobis in ideis rerum vulgarium quaſi coram intuenda exhibet. Quoniam itaque nemo eſt qui neſciat, nos harum rerum ideas ſenſui debere, & vi imaginationis reproducere; quæ beneficio intellectus vera cognoveramus (§. 544. *Log.*), nunc quoque beneficio ſenſuum & imaginationis vera agnoſcimus (§. 517. *Log.*). Patet adeo, ſenſum atque imaginationem ad conſenſum cum intellectu reduci, ſi quæ fabula docet, vi demonſtrationis vera eſſe cognovimus.

Reductio ſenſuum & imaginationis ad conſenſum cum intellectu.

Digitized by Google

Conveniunt in hoc fabulæ cum exemplis (§. 299.), atque experientia domeſtica (§. 300.), immo exemplis præſtant, quatenus ſimilitudinis cum rebus vulgaribus etiam aliquis eſt effectus, qualem modo demonſtravimus (§. 316.). Atque hinc patet, fabulas non modo convenire plebi ac idiotis, ut perſuadeas ipſis ea, quorum convinci nequeunt; verum etiam uſum inſignem præſtare haud raro iis, qui veritatis convicti ſunt: patebit enim inferius, quam neceſſarius etiam his ſit conſenſus ſenſuum atque imaginationis cum intellectu. Neque eſt, quod excipias, fabulas contemni ab iis, qui veritatis aliunde convinci poſſunt. Quodſi enim ſibi caveant a præcipitantia in judicando, eas minus recte contemni animadvertent. Nec contemtus eorum, qui per præcipitantiam judicant, vera quæ ſunt, falſa efficere poteſt. Qui fabularum uſum facere nolunt, quem facere poterant, immo debebant, ſibi imputent, ſi damnum ex contemtu ſentiant. Exempla fabularum, ad quæ in anterioribus provocavimus, propoſitionem quoque præſentem illuſtrant.

§ 318.

Plena fabulæ cognitio unde pendeat.

Qui notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam aliunde jam habet; ſimilitudinem ficti & veri diſtincte cognoſcit. Qui enim notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam aliunde jam habet is quæ ſigillatim enunciabilia eidem inſunt, a ſe invicem diſtinguere valet (§. *38. Pſych. empir.*). Quamobrem cum quæ in fabula finguntur, ſimilitudinem cum iis habeant, quæ docent (§ 308.), conſequenter quæ finguntur, ea continent, quæ ad notionem ejus, quod docetur, ſpectant (§. *195. Ontol.*); attentione ſua etiam in ficto diſtinguit, quod ad notionem veri pertinet. Quoniam itaque diſtinctam ſimilitudinis notionem habet, qui ea, quæ communia rebus inſunt, a ſe invicem diſtinguit (§ *195 Ontol.* & §. *38. Pſych. empir.*); qui notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam aliunde jam habet, ſimilitudinem veri & ficti diſtincte agnoſcit.

Diſtincta

Diſtincta ſimilitudinis cognitio non cadit in eum, qui notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam minime habet. Unde patet, aliter ſeſe habere fabulam ad intellectum ejus, qui notione diſtincta ejus, quod fabula docet, inſtructus eſt, quam ad intellectum alterius, qui eadem caret. Quoniam fabulam interpretatur, qui veritatem illam, quam docet, indicat (§. 304.); nemo non videt, accuratiorem fore interpretationem ejus, qui ſimilitudinem ficti & veri diſtincte cognoſcit, quam qui in confuſa ejus perceptione acquieſcit, conſequenter qui notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam aliunde jam habet, quam qui eadem deſtituitur.

§. 319.

Uberioris interpretationis ac dilatationis fabularum genuinum fundamentum.

Qui notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam aliunde jam habet, eam uberius & accuratius interpretari poteſt altero, qui eadem deſtituitur, immo fabulam breviter prolatam rite dilatare poteſt. Etenim qui notionem ejus, quod fabula docet, diſtinctam aliunde jam habet, ſimilitudinem ficti & veri diſtincte agnoſcit (§ 318.). Quamobrem cum diſtincta ſit notio, ſi in re percepta plura ſigillatim enunciabilia diſtinguimus (§. 38. *Pſych. empir.*), ea, quæ ad ſimilitudinem ficti & veri ſpectant, a ſe invicem diſtinguere & ſigillatim enunciare valet. Enimvero fabula veritatem docet vi ſimilitudinis ficti cum vero (§. 309.), & eandem interpretatur, qui ſignificatum hunc explicat (§ 304.). Quamobrem qui diſtinctam ſimilitudinis ficti & veri notionem habet, is accurate & quoad ſingula, conſequenter uberius, fabulam interpretari valet quam alius, qui eadem deſtituitur. *Quod erat unum.*

Porro qui diſtinctam veri & ficti notionem habet, is accurate novit, quænam ſint in iis, quæ finguntur, eadem cum vero, quod ſignificari debet (§. 195. *Ontol.* & § 38. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi fabula breviter profertur, quæ-

Digitized by Google

nam uberius commemoranda ſint, ubi dilatari debet, eidem conſtat, qui diſtinctam veri, quod fabula docet, notionem jam aliunde habet, conſequenter verendum eſt minime, ne vel extra oleas vagetur narrando, quæ ad rem minime faciunt, vel quædam prætermittat, quæ narrari debebant. Fabulam adeo rite dilatare poteſt, qui notionem ejus, quod docet, diſtinctam aliunde jam habet. *Quod erat alterum.*

Accurata fabulæ interpretatio requirit, ne ſimilitudo ficti cum vero extendatur ultra ſuum tertium: hoc autem pervidere nequit, niſi qui notionem veri diſtinctam aliunde jam habet, neque enim plura, nec pauciora ex iis, quæ finguntur, ad ſignificatum trahi poſſunt, quam quæ eadem ſunt cum iis, quæ notionem veri ingrediuntur. Similitudo non fingitur ad arbitrium, ſed per ſe adeſt, niſi falſa habere velis pro veris. Cumque uberioris interpretationis gratia dilatetur fabula, nec aliunde quam ex notione diſtincta veri aliunde jam cognita perſpicere licet, quænam præter ea, quæ proferuntur, adhuc commemorari poſſint ac debeant, ut ſimilitudo diſtinctam exhibeat veri notionem eamque completam. Quantum hic peccetur, exemplo ſuo docent concionatores Proteſtantium imperiti, qui in interpretandis parabolis Chriſti haud raro extra oleas vagantur, easque ultra ſcopum dilatant inutiliter, ut dicendo tempus ſermoni ſacro deſtinatum teratur. Propoſitio etiam præſens inſervit dijudicandis regulis, &, ubi a vero minime abeunt, demonſtrandis, quas pro dilatandis fabulis præſcribunt Progymnaſmatum *Aphthonii* interpretes ac commentatores. Sed noſtrum non eſt ea hic inculcare diſertius, quæ ad uſum oratorium faciunt, ubi fabulas non conſideramus, niſi quatenus in praxi morali certiſſimum uſum pollicentur. Unicum tantummodo addere lubet, ut aliorum acumen juvemus, cum fabula magnam vim habere debeat perſuadendi aliis veritatem (§. 315.), adeoque non tantummodo ad ejusdem ideam alterius animo ingenerandam, verum etiam ad eliciendum aſſen-

aſſenſum ipſi præbendum compoſitæ ſint, requiratur (§. 305.), in dilatanda fabula rationem quoque habendam eſſe eorum, quæ vim perſuadendi amplificant ac roborant. Quicquid enim huc facit, id in uberiori fabulæ interpretatione explicandum, cujus gratia cum dilatetur fabula, quemadmodum modo obſervavimus, quin illorum in eadem dilatanda recte habeatur ratio, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.

§. 320.

Exempla, quæ propriæ debentur experientiæ, præferenda ſunt exemplis, quæ debentur alienæ, & in genere experientia propria præferenda alienæ. Quoniam ea experimur, quæ ad perceptiones noſtras attenti cognoſcimus (§. 664. *Log.*), exempla, quæ propriæ experientiæ debentur, talia continent, quæ ipſimet obſervavimus. Quamobrem cum ea nobis certa ſint, quæ ipſimet obſervavimus (§. 567. *Log.*); ea, quæ exempla docent, quæ propriæ experientiæ debentur, nobis certa ſunt. Enimvero ſi ea, quæ docent exempla, quæ alienæ experientiæ debentur, pro veris habemus; aſſenſum iis præbemus propter autoritatem narrantis. Quamobrem cum hic aſſenſus fides ſit (§. 611. *Log.*); non majorem certitudinem habemus eorum, quæ exempla docent, quam quæ fidei eſt. Quoniam itaque multa ſunt requiſita hominis fide digni, quæ in dato caſu difficulter haud raro applicantur (§. 613. & *ſeqq. Log.*); fides facile vacillat, ubi rationes quædam adſunt, quæ aſſenſum in contrarium trahunt, aut ſaltem alliciunt. Nemo igitur dubitaverit, exempla, quæ propriæ debentur experientiæ, præſtare iis, quæ debentur alienæ, adeoque illa hiſce eſſe præferenda. *Quod erat primum.*

Quænam exempla aliis præferenda & quænam experientia præſtet altera.

Enimvero quæ de prærogativa exemplorum experientiæ propriæ debitorum præ exemplis alienæ debitis de-

Digitized by Google

exemplorum ex ſcriptura ſacra deſumtorum magna eſt autoritas penes eos, qui divinitatis ejusdem ſunt convicti: id quod ideo monemus, ne, quæ de exemplis ex hiſtoria petitis dicuntur, ad exempla, quæ hiſtoria ſacra Chriſtianis ſuppeditat, perperam applicentur.

§. 323.

Quando cognitio viva omnibus ſuis numeris ſit abſoluta.

Cognitio viva omnibus ſuis numeris abſoluta eſt, ſi veritatis ejus, quod cognoſcimus, vi demonſtrationis convincimur, & exemplorum domeſticæ experientiæ atque fabularum ope in eadem confirmamur. Etenim ſi vi demonſtrationis convincimur veritatis, beneficio intellectus certi reddimur, vera omnino eſſe, quæ pro veris habemus (§. *982. 564. 498. Log.* & § *434. 435. Pſych empir.*). Enimvero ſi quæ in diſciplinis demonſtrantur exemplis, præſertim experientiæ domeſticæ, quæ ceteris præferuntur (§. 320.), atque fabulis, quæ hiſce æquipollent (§. 321.), confirmantur, ſenſus & imaginatio cum intellectu ad conſenſum reducitur (§. 299. 300. 317.). Major itaque certitudo cognoſcenti eſſe nequit, quam ſi veritatis vi demonſtrationis convincitur, & exemplorum domeſticæ experientiæ atque fabularum ope in eadem confirmatur. Quamobrem cum certitudo cognitionem vivam efficiat (§. 246.), hæc omnibus numeris abſoluta erit, ſi veritatis ejus, quod cognoſcimus, vi demonſtrationis convincimur, & exemplorum domeſticæ experientiæ atque fabularum ope in eadem confirmamur.

Patet hinc, quem in finem adeo operoſe adſtruxerimus, quæ de exemplis, experientia domeſtica atque fabulis hactenus tradidimus. Maximi cum ſit momenti in omni praxi morali cognitio viva; nihil quoque eorum prætermittendum, quod ad eam acquirendam prodeſt. Abſit itaque, ut quis ſibi perſuadeat, vel aliis perſuadere conetur, nos hic, tradidiſſe, quæ a ſcopo præſente ſunt aliena.

§. 324

§. 324.

Felicitatem homines omnes per naturam ſuam appetunt. Ea enim eſt hominis voluntas (§ *891. Pſych. empir.*), is etiam appetitus ſenſitivus, vt quam primum ſibi aliquid repræſentat tanquam bonum, id velit & appetat (§. *589. Pſych. empir.*). Enimvero ſi bonum cognoſcimus, ex eo voluptatem percipimus (§. *558. Pſych. empir.*), quæ vera eſt, ſi bonum, quod cognoſcimus, fuerit verum, apparens vero, adeoque pro vera habetur, etſi non ſit, ſi bonum tantummodo apparens fuerit (§. *559. Pſych. empir.*). Id igitur per naturam ſuam appetit homo, unde voluptatem percipit. Quamobrem cum felicitas ſit ſtatus, quo voluptas vera perdurat, & apparens felicitas ſtatus ſit, quo quis voluptate apparente fruitur (§. *636. Pſych. empir.*); evidens eſt homines per naturam ſuam felicitatem appetere. *Appetitus naturalis felicitatis.*

Nemo mortalium eſt, qui non felix eſſe cupiat, nec felicitatis appetitus ab homine ſeparari poteſt. Quod vero tam multi felicitatem veram nihili faciant, & infelicitatis ſuæ fabri exiſtant, non alia accidit de cauſa, quam quod voluptatem apparentem cum vera confundant, adeoque felicitatem apparentem dum veræ præferunt, infelices fiant præter intentionem omnem votumque ſuum. Scholaſtici ideo homini inſtinctum naturalem tribuunt, quo is fertur in felicitatem: ſed quid ſit *inſtinctus* iſte *naturalis*, ex demonſtratione propoſitionis præſentis intelligitur. Denotat nempe determinationem naturalem appetitionis felicitatis, quæ quomodo fluat ex natura voluntatis & appetitus, ex demonſtratione præſente perſpicitur, clarius autem intelligitur, ſi principia, quæ eam ingrediuntur, ex Pſychologia habueris perſpecta.

§. 325.

Infelicitatem homines omnes per naturam ſuam averſantur. Ea enim eſt hominum noluntas, ea averſatio ſenſiti- *Averſatio naturalis infelicitatis.*

ſitiva, ut, quamprimum ſibi aliquid repræſentat tanquam malum, id nolit & averſetur (§. *590. 881. Pſych. empir.*). Enimvero ſi malum cognoſcimus, vel etiam cognoſcere nobis videmur, tædium ex eo percipimus (§. *569. 570. Pſych. empir.*), quod conſtans eſt, ſi ex malo vero, mutabile vero, ſi ex apparente percipitur (§. *571. Pſych. empir.*). Id igitur per naturam ſuam averſantur homines, unde tædium percipiunt. Quamobrem cum infelicitas ſit ſtatus, quo tædia perdurant (§. *637. Pſych. empir.*); evidens eſt homines per naturam ſuam infelicitatem averſari.

Nemo mortalium eſt, qui infelix eſſe velit, nec averſatio infelicitatis a natura humana ſeparari poteſt. Cum enim quilibet felix eſſe cupiat, nec felicitatis appetitus ab homine ſeparari poſſit (*not.* §. *324.*), impoſſibile autem ſit, ut idem ſimul ſit & non ſit (§. *28 Ontol.*); nec fieri poteſt, ut quis infelicitatem appetat, adeoque eandem neceſſario averſatur. Qua vero de cauſa accidat, ut ſeipſos infelices reddant mortalium longe plurimi, ad propoſitionem præcedentem jam annotavimus. Scholaſticorum phraſi dicendum eſt, hominem inſtinctu quodam naturali averſari infelicitatem; ſed quid ſibi velit hic *inſtinctus naturalis*, ex demonſtratione propoſitionis liquet. Denotat nimirum determinationem naturalem averſionis infelicitatis, quæ quomodo fluat ex natura averſationis demonſtratio præſens docet.

§. 326.

Motivum cuſtodiæ legis naturalis.

Felicitas eſt motivum committendi actiones legi naturæ conformes. Etenim felicitatem homines omnes naturaliter appetunt (§. 324.). Quamobrem cum quoties quid volumus (§. *892. Pſych. empir.*), vel etiam actu appetitus ſenſitivi appetimus, id nobis repræſentemus tanquam bonum (§. *893. Pſych. empir.*); neceſſe eſt ut homines in univerſum omnes felicitatem ſibi repræſentent tanquam bonam, conſe-

Digitized by Google

ſequenter etiam id, quod ad felicitatem conſequendam & conſervandam facit. Quoniam itaque felicitatem legis naturalis cuſtodia conſequimur (§. 396. *Part. I. Phil pract. univ.*) & conſervamus (§. 397. *Part. I. Phil pract univ.*), ita ut ſine ea nec eam conſequi (§. 398. *Part I. Phil pract univ.*) nec conſervare licet (§. 397. *Part. I. Phil. pract. univ.*), neque abſque ea quisquam felix eſſe poſſit (§. 399. *Part. I. Phil. pract. univ.*); cuſtodiam legis naturalis veritatum harum convictus ſibi repræſentare nequit niſi bonam. Enimvero repræſentatio boni eſt motivum volitionis (§. 890 *Pſych. empir.*). Quamobrem felicitas, per quam cuſtodiam legis naturalis nobis repræſentamus tanquam bonam (*per demonſtrata*), eſt motivum cuſtodiæ legis naturalis, conſequenter committendi actiones legi naturæ conformes (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

Cui ea probe perſpecta ſunt, quæ de cuſtodia legis naturalis in parte prima demonſtrata ſunt, ei felicitas non poteſt non eſſe motivum committendi actiones legi naturæ conformes. Quod vero tot ſint homines, qui, etſi felicitatem naturaliter appetant omnes (§ 324.), non tamen ideo felicitate permoventur ad actiones ſuas legi naturali conformandas, non alia de cauſa contingit, quam quod felicitatis veræ notione deſtituantur, & vel ignorent, vel ſaltem pro certo minime habeant, non dari medium aliud conſequendi ac conſervandi felicitatem ſuam, quam cuſtodiam accuratam legis naturalis. Ecquis enim eſt, qui neſciat, longe plurimos ſibi perſuadere, quaſi lex naturæ impediat, quo minus felices eſſe poſſint, cum voluptatem nocuam ab innocua minime diſcernentes tum demum ſeſe felices arbitrentur, ubi ipſis integrum eas committere actiones, ad quas ipſos trahit ſua voluptas. Non vero nobis jam quæſtio eſt de eo, num agnoſcatur vulgo, felicitatem eſſe motivum cuſtodiæ ſeveræ legis naturalis, ſed potius de hoc, num tale ſit. Veritatem enim profitemur in Philoſophia, non quæ perverſis hominum opinionibus conſen-

taneæ ſunt docemus, quas veritatem demonſtrando ac inculcando corrigere ſtudemus. Ceterum ipſa demonſtratio clariſſime docet, quænam ad hoc requirantur, ut felicitas, quæ motivi indolem habet, etiam ſit motivum agenti. Supponimus hic agenti veritatem, quam in parte prima evicimus, eſſe perſpectam, nec ullum ipſi circa eandem ſupereſſe dubium. Quodſi quis ejusdem fuerit convictus, in ſeipſo experietur, quantum motivum committendi actiones legi naturali conformes ſit felicitas, ubi in eam mentis aciem convertit. Motivum omne vivam ſupponit cognitionem (§. 244.), & ſola certitudo, quam convictioni deberi novimus (§. 982. *Log.*), cognitionem vivam efficit (§. 246). Ecquis ergo deſideret, ut alia ſit ratio felicitatis, quando tanquam motivum cuſtodiæ legis naturalis ſpectatur?

§. 327.

Motivum non transgrediendi legem naturæ.

Infelicitas eſt motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias. Etenim infelicitatem naturaliter averſantur homines omnes (§. 325.). Quamobrem cum quoties quid nolumus (§. 892. *Pſych. empir.*), vel etiam actu averſamur, id nobis repræſentemus tanquam malum (§. 893. *Pſych. empir.*); neceſſe eſt ut homines in univerſum omnes infelicitatem ſibi repræſentent tanquam malam, conſequenter etiam id, quod nos infelices reddit. Quoniam felicitas amittitur transgreſſione legis naturalis (§. 401. *Part. I. Phil. pract. univ.*), eademque homo ſit infelix (§. 405. *Part. I. Phil. pract. univ.*); transgreſſionem legis naturalis harum veritatum convictus ſibi repreſentare nequit niſi malam. Enimvero repræſentatio mali motivum nolitionis eſt (§. 890. *Pſych. empir*). Quamobrem infelicitas, per quam transgreſſionem legis naturalis nobis repræſentamus tanquam malam (*per demonſtrata*), eſt motivum non transgrediendi legem naturæ, conſequenter omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 139. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

Quæ

Digitized by Google

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea mutatis mutandis ad præſentem quoque applicari poſſint. Si omnes infelicitatis notionem minime fallacem haberent, & quomodo transgreſſio legis naturæ ſit ejus cauſa agnoſcerent, cane ac angue pejus fugerent actiones legi naturæ contrarias, quas nunc lubenter committunt, propterea quod ſe felices exiſtimant, dum voluptate nocua fruuntur easdem committendo.

§. 328.

Felicitas eſt motivum culturæ virtutis. Eſt enim motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326.). Enimvero cum virtus ſit habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. *321. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui virtutem colit, actiones legi naturæ conformes committit. Eſt igitur felicitas motivum culturæ virtutis. *Motivum generale culturæ virtutis.*

Quoniam ſine virtute nemo felix eſſe poteſt, nec felicitas a virtute ſejungi poteſt (§. *400. Part. I. Phil. pract. univ.*); eodem etiam modo oſtenditur, felicitatem eſſe motivum culturæ virtutis, quo ante evicimus, eandem eſſe motivum cuſtodiæ legis naturalis (§. 326.).

Habemus adeo motivum generale colendæ virtutis. Hoc nimirum utimur, quando virtutem in genere conſideramus, & voluntas in genere determinanda, ut virtuti nos dedere eamque colere velimus. Quamdiu adeo de actionibus legi naturæ conformibus committendis ſermo eſt, & nondum quæritur, quænam ſint iſtæ actiones in ſpecie; motivum iſtud ſufficit. Ubi vero ad diverſas virtutum ſpecies deſcendimus, particularia ſeſe offerunt motiva, quibus utendum determinaturis voluntatem ad has vel iſtas actiones in ſpecie committendas. Non tamen ideo exiſtimandum, motivum generale eſſe ſuperfluum, ſi ſingulis virtutibus ſua conveniant propria motiva, atque iisdem utendum ſit, ubi hanc vel iſtam virtutem in ſpecie colere volueris. Etenim motivum generale requiritur ad propoſitum generale colendi virtu-

Digitized by Google

tem. Hoc autem propoſitum minime ſuperfluum, ſed potius apprime neceſſarium, ubi omnem virtutem colere volueris, nec felicitatem tuam nullo modo turbandam ac interrumpendam duxeris.

§. 329.

Motivum generale vitiorum fugiendorum.

Infelicitas eſt motivum vitiorum fugiendorum. Eſt enim motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327.) Enimvero cum vitium in habitu actiones ſuas ratione contraria dirigendi conſiſtat, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui vitium fugit, actiones legi naturæ contrarias omittit. Eſt igitur infelicitas motivum vitiorum fugiendorum.

Quoniam vitium hominem reddit infelicem (§. 406. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ita ut vitio deditus felix eſſe nequeat (§. 403. *Part. I. Phil. pract. univ.*); eodem modo oſtenditur, infelicitatem eſſe motivum vitiorum fugiendorum, quo paulo ante evicimus, eandem eſſe motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327.).

Non eſt quod mireris, homines in univerſum omnes per naturam ſuam averſari infelicitatem (§. 325.); & hoc tamen non obſtante non permoveri infelicitate ad vitia fugienda. Quoniam enim vitia nocua voluptate delectant, plerique mortalium non agnoſcunt infelicitatem eſſe vitiorum ſobolem.

§. 330.

Motivum proſequendi ſummi boni.

Felicitas motivum eſt proſequendi ſummi boni. Etenim felicitas eſt motivum committendi actiones legi naturali conformes (§. 326.). Enimvero cum ſummum bonum legis naturalis cuſtodia acquiratur (§. 376. *Part. I. Phil. pract. univ.*) & conſervetur (§. 379. *Part I. Phil. pract. univ.*), nec ſine ea acquiri (§ 378. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec conſervari poſ-

poſſit (§ *379. Part. I. Phil pract. univ.*), qui ſummum bonum proſequitur, actiones legi naturali conformes committit. Eſt igitur felicitas motivum proſequendi ſummi boni.

Quoniam qui ſummum bonum conſequitur, felix eſt (§. *395. Part. I. Phil. pract. univ*); eodem etiam modo oſtenditur, felicitatem eſſe motivum ſummi boni conſequendi, quo paulo ante oſtendimus, felicitatem eſſe motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326.).

§. 331.

Summum bonum cur ſit ſuiipſius motivum.

Summum bonum per ſe appetibile eſt, ſuique ipſius motivum eſt, ſi diſtincte cognoſcitur. Etenim ſummum bonum hominis conſiſtit in non impedito progreſſu ad majores continuo perfectiones (§. *374. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam illud bonum eſt, quod nos ſtatumque noſtrum perficit (§. *554. Pſych. empir.*), idemque verum ſit bonum, ſi nos ſtatumque noſtrum perficit revera (§. *557. Pſych. empir.*); quin progreſſum ad majores continuo perfectiones pro ſummo bono habeat, quod homini conſequi licet, ut nomen ſuum tueatur, qui diſtincte idem cognoſcit fieri nequit. Quamprimum aliquid diſtincte nobis repræſentamus tanquam bonum, idem volumus (§ *891. Pſych. empir.*). Quare ut ſummum bonum conſequi velimus, non alia ratione opus eſt, quam ut idem diſtincte cognoſcamus. Enimvero per ſe appetibile eſt, quod tale eſt, ut idem velimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. *94. Part. I. Phil. pract. univ.*). Summum igitur bonum per ſe appetibile eſt. *Quod erat primum.*

Et quoniam ratio ſufficiens actus volitionis motivum eſt (§. *887. Pſych. empir.*), præter diſtinctam vero ſummi boni cognitionem non requiritur ratio alia, ut idem conſequi velimus (*per demonſtrata*); evidens omnino eſt, ſummum

bonum

bonum eſſe ſuiipſius motivum, ſi diſtincte cognoſcatur. *Quod erat alterum.*

Demonſtravimus in propoſitione præcedente (§. 330.), felicitatem eſſe motivum ſummi boni proſequendi, hic vero oſtendimus, ipſum eſſe ſuiipſius motivum, ſi diſtincte cognoſcitur, atque per ſe appetibile, ut alio motivo minime indigeat. Erunt igitur forſan aliqui, qui ſibi perſuadebunt, hæc invicem pugnare: nec deerunt alii, qui felicitatem motivum ſuperfluum pronunciaturi ſunt, propterea quod ſummum bonum, modo diſtincte cognoſcatur, alio motivo non indiget, ſed ſibimetipſi motivum eſt. Enimvero dubium hoc ſua ſponte in auram abit, modo attentionem noſtram deſiderari non patiamur. Plura enim ejusdem actus volitionis dantur motiva, nec omnia proſunt omnibus, cum non eadem ſit hominum omnium indoles. Præterea ſi motiva plura ad eundem volitionis actum concurrunt, motivum ex iis compoſitum fortius eſt ſimplici. Atque hinc abunde intelligitur, non obſtare, quo minus felicitas ſit ſummi boni proſequendi motivum, etiamſi hoc per ſe appetibile ſit ſuique ipſius motivum, nec felicitatem eſſe motivum ſuperfluum, quia ſummum bonum ſuiipſius motivum eſt. Haud raro experimur, motivum ſubinde ob circumſtantias quasdam emergentes vim ſuam non exerere, quod alias ſatis validum erat ad volitionis actum determinandum, tum vero aliud motivum efficax deprehendi, quod circumſtantiis iſtis convenit. Qui naturam humanam cognitam atque perſpectam habet, nec minus novit difficultatem flectendi voluntatem, non flectendam niſi per motiva; is de multitudine motivorum nunquam conqueretur. Enimvero nimis prolixum foret talia hic demonſtrare, neque ut demonſtrentur opus eſſe arbitramur, propterea quod ſua ſponte olim ex tractatione ſpeciali patebunt.

§. 332.

Motivum fugiendi

Infelicitas eſt motivum ſummi mali fugiendi. Infelicitas enim eſt motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327). Enim-

Enimvero cum in ſummum malum homines incidant transgreſſione legis naturalis (§. 377. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque committendo actiones eidem contrarias (§. 139. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui ſummum malum fugit, actiones legi naturæ contrarias committere non vult. Eſt igitur infelicitas motivum fugiendi ſummi mali. *ſummi mali.*

Summum malum opponitur ſummo bono, prouti ex collatione definitionum utriusque patet (§. 374. 375 *Part. I. Phil. pract. univ.*). Unde & motivum proſequendi ſummum bonum, quod felicitas eſt (§. 330.), opponitur motivo fugiendi ſummi mali, quod eſt infelicitas, (*vi præſentis*). Quemadmodum vero, qui felicitate motivo proſequendi ſummi boni uti voluerit, ad animum revocare debet, quod felicitas vera cum ſummo bono indivulſo nexu cohæreat (*not.* §. 398. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ita ex adverſo is, cui infelicitas ſummi mali fugiendi motivum eſſe debet, probe perpendere tenetur, infelicitatem a ſummo malo ſeparari minime poſſe (§. 407. *Part. I Phil pract. univ.*). Vides adeo, quam neceſſaria ſit theoria Philoſophiæ practicæ ad praxin, ita, ut bonus practicus non ſit, niſi idem fuerit bonus theoreticus. Quodſi excipias dari bonos theoreticos, qui mali deprehendantur practici, in notione boni theoretici error latet. Bonum v. gr. theoreticum appellas, qui theoriam novit, ſed veritatum, quas complectitur, minime convictus eſt, ut adeo theoriæ cognitionem non habeat vivam (§. 248.), ſed nonniſi mortuam. Quamobrem cum viva demum cognitio fiat motivum voluntatis vel noluntatis, mortua vero non fiat (§. 244.); quid mirum, ſi, qui tibi bonus videtur theoreticus, malus practicus deprehendatur. Præterea bonum forſan appellas theoreticum, qui aliquid theoriæ perſpexit, completam vero non poſſidet. Aſt is demum bonus dicetur theoreticus, qui & completam, & perfectam tenet theoriam. Denique etſi impoſſibile non ſit, ut praxis theoriam, quam quis animo firmiter tenet, minime adæquet, non tamen hinc ſequitur, bonum practicum non ſimul bonum theoreticum eſſe debere.

§. 333.

Summum malum cur ſit per ſe averſabile.

Summum malum per ſe averſabile eſt, atque ipſum eſt motivum idem nolendi, ſi diſtincte cognoſcatur. Summum malum hominis conſiſtit in continuo progreſſu ad majores indies imperfectiones (§. *375. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam malum eſt, quod nos ſtatumque noſtrum ſive externum, ſive internum imperfectiorem reddit (§. *565. Pſych. empir.*), idque verum, ſi revera nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit, non tantummodo reddere videtur (§ *568. Pſych. empir.*); qui ſummum malum diſtincte cognoſcit, id ſibi tanquam malum non poteſt non repræſentare. Quamobrem cum quid nolimus, quamprimum id tanquam malum nobis repræſentamus (§. *892. Pſych. empir.*), immo etiam actu averſationis ſenſitivæ idem averſemur, dum hoc fit (§. *893. Pſych. empir.*); fieri haud quaquam poteſt, quin ſummum malum nolimus, quamprimum id diſtincte cognoſcimus. Quia igitur per ſe averſabile eſt, quod tale eſt, ut diſtincte cognitum averſemur, ſeu idem nolimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. 95. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ſummum malum per ſe averſabile eſt. *Quod erat unum.*

Et quoniam ratio ſufficiens actus nolitionis motivum eſt (§. *887. Pſych. empir.*), præter diſtinctam vero mali ſummi cognitionem non requiritur ratio alia, ut idem fugere velimus, ſeu idem nolimus (*per demonſtrata*); evidens omnino eſt, ſummum malum, ſi diſtincte cognoſcatur, eſſe ipſummet motivum idem nolendi. *Quod erat alterum.*

Quæ paulo ante de ſummo bono per ſe appetibili annotavimus (*not. §. 331.*), ea etiam de ſummo malo per ſe averſabili tenenda ſunt.

§. 334.

Digitized by Google

§. 334.

Felicitas eſt motivum vitæ perfectæ. Felicitas enim eſt motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326.). Enimvero qui vitæ perfectæ ſtudet, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere debet, ſeu actiones ſuas omnes quoad minima eidem conformare tenetur (§. 17.), conſequenter non vult committere actiones niſi eidem legi conformes. Eſt igitur felicitas motivum vitæ perfectæ. *Motivum vitæ perfectæ.*

Vitæ perfectæ medium eſt cuſtodia legis naturalis, conſequenter animi ſollicitudo non committendi actiones niſi naturali legi conformes (*§. 138. Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui vult finem, media etiam velit neceſſe eſt (*§. 941. Ontol.*), immo ubi cognoſcit ſe finem aliter niſi per hæc media conſequi poſſe, eadem etiam actu vult. Quamobrem motiva finis ſunt etiam motiva mediorum Cum itaque oſtenderimus felicitatem eſſe motivum cuſtodiæ legis naturalis (§. 326.); nullum ſupereſſe poterit dubium, quin etiam ſit motivum vitæ perfectæ. Equidem adſunt ſubinde rationes, cur media averſemur, etſi velimus finem, adeoque motiva nobis ſunt nolendi media, non obſtante, quod finem velimus; non tamen ideo neceſſe eſt, ut cogitemus de peculiaribus motivis appetendi media. Etenim non alia re opus eſt, quam ut animum advertentes ad motiva finis conſtantem ejus voluntatem efficiamus. Quodſi enim deinceps conſtet, finem aliter nos conſequi minime poſſe, niſi etiam media velimus; ea tandem admittimus, non obſtantibus rationibus, ob quas eadem adverſamur. Experientia quotidie obvia hoc ſatis ſuperque confirmat. Etenim non videmus uſum mediorum aliis perſuaſuros uti motivis aliis, quam ut ipſos doceant, abſque hiſce mediis finem obtineri minime poſſe. Quodſi enim conſtanter velint finem, neceſſitati mediorum inculcandæ unice inſiſtunt. Enimvero ubi contingit alterum affirmare, quod potius ſine potiori nolit, quam mediis hiſce uti; tunc demum ad motiva mediorum inculcanda ſeſe convertunt.

Digitized by Google

§. 335.

Motivum generale volitionis & electionis, quod quid placeat.

Quod quid nobis placet, id eſt motivum volitionis, & quod magis placet, vel maxime placet, motivum electionis. Quoniam enim anima ex pluribus poſſibilibus eligit, quod ipſi maxime placet, & quia ipſi placet, nec vult, niſi quia ipſi placet, quod vult (§. *937. Pyſch. empir.*); per hoc, quod quid ipſi placet, intelligitur, cur id velit, adeoque ratio ſufficiens volitionis eſt, quod quid nobis placet, & ratio ſufficiens electionis eſt, quod magis placet aliis, vel quod omnium maxime placet (§ *56. Ontol.*). Enimvero ratio ſufficiens actus volitionis motivum eſt (§. *887. Pſych. empir.*), adeoque ubi quid volumus præ aliis, motivum electionis. Quare quod quid nobis placet, id eſt motivum volitionis, & quod quid magis placet, vel omnium maxime placet, id eſt motivum electionis.

Experientia propoſitionis præſentis veritatem abunde confirmat. Videas enim quotidie, homines permoveri ad actiones committendas, quod ipſis placeant, & ideo ex multis eligere, quod ipſis maxime placet. Inde eſt, quod qui in notionibus confuſis acquieſcunt, nec ipſimet diſtincte norunt, cur quid ipſis placeat, interrogati cur hoc faciant, vel eligant, non aliud reſpondent, quam quod hoc ipſis placeat, vel in caſu electionis quod magis placeat ceteris, aut quod maxime placeat. Cave tamen, ne cum nonnullis hinc inferas, quaſi quid velimus, vel eligamus abſque ratione ſufficiente. Etenim cum nihil ſit abſque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. *70. Ontol.*), ſemper quoque datur ratio, cur quid nobis nobis placeat, & cur magis vel omnium maxime placeat. Et ubi in eam inquiſiveris, ut diſtincte intelligas, cur quid placeat, vel cur magis aut maxime placeat, deprehendetur, quod placet bonum, quod magis placet melius, quod maxime placet, optimum haberi, conſequenter ſi pro motivo volitionis venditatur, quod quid placet, id minime

Digitized by Google

nime contrariari ei, quod alibi (*§. 890. Pſych. empir.*) demonſtravimus, motiva volitionis eſſe repræſentationem boni.

§. 336.

Pulchritudo motivum volitionis.

Quoniam quod nobis placet, pulchrum eſt (§. *543. Pſych. empir.*), motivum vero volitionis eſt, quod quid nobis placet (§. 335.); ideo patet, *pulchritudinem eſſe motivum volitionis.* Et eodem modo patet, *pulchritudinem* quoque *eſſe motivum electionis* (§. *cit.*).

§. 337.

Cautio circa hoc motivum adhibenda.

Quoniam tamen pulchritudo alia vera eſt, alia apparens (§. *546. Pſych. empir.*); *ubi pulchritudo motivum volitionis vel electionis eſt, probe diſpiciendum num vera ſit pulchritudo.*

Quomodo pulchritudo vera ab apparente diſcernatur, per definitiones utriusque patet (*§. 546. Pſych. empir.*). Quodſi eas applicare volueris, diſtincta rerum cognitione opus eſſe intelliges, niſi vana ſpecie deludi velis. Quam parum enim fidendum ſit pulchritudini, niſi diſtincta rerum cognitione nitatur, abunde probat pervulgatum illud: *ſuum cuique pulchrum:* ad quod etiam provocare videas eos, qui alias acumine præſtant, probaturos quod nulla detur pulchritudinis ratio firma, ſed ea unice hominum opinionibus nitatur. Aliter tamen ſentiet, qui ad animum revocaverit, quæ de pulchritudine tradidimus in Pſychologia empirica. Hiſce probe intellectis, pulchritudo etiam tuto admittetur tanquam motivum volitionis & electionis in Philoſophia practica.

§. 338.

Motivum generale nolitionis, quod quid diſpliceat.

Quod quid nobis diſplicet, id eſt motivum nolitionis. Anima enim non vult, niſi quia diſplicet, quod non vult (§. *937. Pſych. empir.*). Quoniam itaque per hoc, quod quid ipſi diſplicet, intelligitur, cur id nolit; ratio ſufficiens nolitionis

Digitized by Google

tionis eſt, quod quid nobis diſplicet (§. *56. Ontol.*). Eſt vero ratio ſufficiens actus nolitionis motivum (§. *887. Pſych. empir.*). Quod quid igitur nobis diſplicet, id eſt motivum nolitionis.

Experientia hujus quoque propoſitionis veritatem abunde confirmat. Videas enim quotidie homines ad actiones quasdam committendas adduci minime poſſe, quod ipſis diſpliceant. Quamobrem interrogati, cur hoc facere nolint, qui in notionibus confuſis acquieſcunt, nec ipſimet diſtincte norunt, cur diſpliceat, reſpondere ſolent, ſe hoc facere nolle, quod facere diſpliceat. Male autem hinc inferunt nonnulli, actum nolitionis non ſemper requirere rationem ſufficientem, adeoque animam ſeſe determinare poſſe ad nolendum absque motivo. Cum enim neceſſe ſit, dari rationem, cur, quod diſplicet, diſpliceat (§. *70. Ontol.*); ubi in eam inquiſiveris, deprehendes quod diſplicet malum judicari, ut adeo propoſitio præſens non contrarietur ei, quod de motivo nolitionis alibi demonſtratum, ſcilicet quod ſit repræſentatio mali (§. *890. Pſych. empir*).

§. 339.

Deformitas motivum nolitionis.

Quoniam quod nobis diſplicet, deforme eſt (§. *543. Pſych. empir.*), motivum vero nolitionis eſt, quod quid nobis diſplicet (§. 338.); ideo patet, *deformitatem eſſe motivum nolitionis*, quemadmodum *pulchritudinis defectus eſt ratio, cur actus volitionis ceſſet, præſertim in electione* (§. *336. h. & §. 889. Pſych. empir.*).

Hinc in caſu electionis audias hanc rationem reddi, cur quis ad hoc eligendum ſeſe determinari nequeat, quod pulchrum non ſit; ex adverſo autem cur hoc eligere nolit, rationem hanc reddat, quod ſit deforme. Nolitio enim non eſt nuda volitionis omiſſio (§. *884. Pſych. empir.*), adeoque ratio, quam requirit (§. *885. Pſych. empir.*), tanquam actus poſitivi poſitiva eſſe debet.

Aſt

Digitized by Google

Aſt omiſſio volitionis cum actus privativus ſit, rationem quoque non habet niſi deficientem. Ubi de motivis quæſtio eſt, probe diſtinguenda eſt volitionis omiſſio ab actu nolitionis, etſi non deſint caſus, in quibus actus poſitivus cum privativo facile confunditur. Et cum rationem actus privativi allegari audias, quod non placeat, vel non placeat ſatis, idiomate vernaculo dicere ſolemus: Es will mir nicht recht gefallen, ich will es lieber laſſen.

§. 340.

Cautio circa hoc motivum adhibenda.

Quoniam deformitas vera ab apparente differt (§. *549. Pſych. empir.*), nec defectus pulchritudinis deformitas eſt, quemadmodum ex collatione definitionum pulchritudinis & deformitatis liquet (§. *545. 548. Pſych. empir.*); *ubi deformitas motivum nolitionis eſt, probe diſpiciendum num vera ſit deformitas, & ſollicite cavendum ne deformitas cum defectu pulchritudinis confundatur.*

Quomodo deformitas vera ab apparente diſcernatur, per definitiones utriusque patet (§. *549. Pſych empir.*), quomodo autem a defectu pulchritudinis diſtinguatur, ex collatione definitionum pulchritudinis & deformitatis liquet (§. *545 548. Pſych. empir.*). Deprehendes autem in hac quoque definitionum applicatione, quam neceſſaria ſit diſtincta rerum cognitio, niſi a vero aberrare velis.

§. 341.

Pulchritudo vitæ perfectæ.

Vita perfecta pulchra eſt. Etenim cum perfectio vitæ moralis in conſenſu actionum liberarum omnium inter ſe & cum naturalibus conſiſtat (§. 9.); qui perfectionem vitæ moralis ſibi repræſentat, veræ cujusdam perfectionis ſibi conſcius eſt (§. *503. Ontol.*). Quamobrem cum voluptatem percipiamus, quando perfectionis cujusdam nobis conſcii ſumus (§. *511. Pſych. empir.*), eamque veram, ſi vera fuerit perfectio (§. *514. Pſych. empir.*); quin ex vita perfecta volupta-

Digitized by Google

ptatem veram percipiamus, ſi quidem eandem cognoſcamus, dubitari nequit. Enimvero id, ex quo veram voluptatem percipimus, per ſe aptum eſt ad voluptatem in nobis producendam, adeoque vita perfecta per ſe apta eſt ad voluptatem in nobis producendam. Quare cum aptitudo producendi in nobis voluptatem ſit pulchritudo rei (§. 545. *Pſych. empir.*), vitam perfectam pulchram eſſe patet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Si perfectionis vitæ moralis nobis conſcii ſumus, voluptatem ex ea percipimus (§. 511. *Pſych. empir.*), eamque veram (§. 514 *Pſych. empir.*). Quamobrem cum nobis placeat id, ex quo voluptatem percipimus (§. 542. *Pſych. empir.*), & quidem per ſe, ſi vera fuerit voluptas; vita perfecta per ſe nobis placere debet. Quod placet, pulchrum eſt (§. 543. *Pſych. empir.*), & quidem vere pulchrum eſt, non tantummodo videtur, ſi per ſe placet. Vita igitur perfecta pulchra eſt.

Prædicamus vulgo pulchritudinem de vita perfecta. Philoſophi igitur eſt inquirere, num ſubſit veritas, cumque verum eſſe judicium negari non poſſit, demonſtrandum utique eſt, & ad uſum aliquem transferendum. Ceterum qui demonſtrationem præſentem perpendit, haud difficulter perſpiciet, cur pulchritudo vitæ perfectæ cognitu difficillima ſit, ut pauci omnino dentur qui eandem cognoſcunt. Multo clarius autem hoc conſtabit, ubi notionem vitæ perfectæ ſuperius expoſitam rite evolveris, demonſtrationes in ſua principia reſolvendo. Quamobrem videri mirum haud quaquam poteſt, ſi pauciſſimi reperiantur, qui hac pulchritudine capiuntur.

§. 342.

Motivum vitæ perfectæ pulchritudo ejus.

Quoniam vita perfecta pulchra eſt (§. 341.), pulchritudo autem motivum volitionis (§. 336.). *Pulchritudo vitæ perfectæ motivum eſt vitam perfectam vivendi, adeoque eidem ſtudendi.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam pauci pulchritudinem vitæ perfectæ capiunt (*not.* §. 341); in paucis etiam motivum hoc efficax. Non tamen inficiari poteſt, quod ſit longe efficaciſſimum, ſi quidem pulchritudinem iſtam diſtincte percipias & ejusdem fueris convictus. Maximopere igitur commendandum eſt, ut omnem adhibeamus diligentiam, quo eandem cognoſcamus. Etenim non efficacius deprehenditur medium conſtantiam voluntatis vivendi vitam perfectam conſervandi, quam viva pulchritudinis hujus cognitio, præſertim ubi ad præclara præſtanda diſpoſitus fuerit animus. Immo a vero non aberrat, qui affirmaverit, cognitionem certam hujus pulchritudinis haud parum conferre ad augendam felicitatem hominis, cum puriſſima ſit voluptas, qua animus perfunditur, ubi perfectionem vitæ moralis, a cujus ſenſu pendet pulchritudinis iſtius idea, intuemur. Quicquid vero veram hominis voluptatem auget, id felicitatem ejus auget. Accedit quod ipſa pulchritudinis hujus cognitio perfectionem intellectus noſtri aperte loquatur, adeoque ſincera voluptate cognoſcentem perfundat (§. 511. *Pſych. empir.*). Nemo igitur reprehenderit proponi a nobis, quæ paucis proſunt: ſufficit quod multis prodeſſe poſſint, ſi multi facere velint, quod debent. Etenim ad vitam perfectam vivendam obligantur omnes, qui vero vitam perfectam vivit, ut ejus ideam in ſeipſo intueatur, is intuebitur & pulchritudinem illius, atque efficaciam hujus motivi in ſe experietur.

§. 343.

Deformitas vitæ imperfectæ.

Vita imperfecta deformis eſt. Cum enim imperfectio vitæ moralis in diſſenſu actionum liberarum cum inter ſe tum a naturalibus conſiſtat (§. 13.), qui ad ſibi cognitam atque perſpectam animum advertit, veræ imperfectionis ſibi conſcius eſt (§. 504. *Ontol.*). Quamobrem cum in intuitu imperfectionis tædium conſiſtat (§. 518 *Pſych. empir.*), adeoque ad tædium creandum per ſe aptum ſit, quod veræ imperfectioni obnoxium eſt; vita imperfecta apta eſt

Digitized by Google

ad tædium nobis creandum, ubi eandem cognoſcimus. Enimvero deformitas rei in aptitudine tædium in nobis producendi conſiſtit (§. 548. *Pſych. empir.*). Vita igitur imperfecta deformis eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui vitam imperfectam cognoſcit, & ad cognitam ſibi atque perſpectam animum advertit, is imperfectionis veræ ſibi conſcius eſt (*per demonſtrata*), conſequenter ex ea tædium percipit (§. 518. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque id diſciplet, ex quo tædium percipitur (§. 542. *Pſych. empir.*); vita imperfecta eam cognoſcenti diſplicet. Quod diſplicet deforme eſt (§. 543. *Pſych. empir.*). Vita igitur imperfecta deformis eſt.

Deformitatem vitæ imperfectæ pauci capiunt. Eam nonniſi acutioribus pervidere datum eſt. Abunde hoc elucet ex iis, quæ de vita imperfecta tradita ſunt in ſuperioribus. Satis abſtracta eſt notio, quæ ad paucorum eſt palatum. Equidem de vitæ imperfectæ deformitate tantum non loquuntur omnes; ſed non ſatis intelligunt, quid loquantur. Opponitur deformitas pulchritudini, quemadmodum imperfectio perfectioni, unde non mirum, deformitatis vitæ imperfectæ notionem diſtinctam & ſatis adæquatam ejusdem eſſe difficultatis, qua notionem diſtinctam & ſatis adæquatam pulchritudinis vitæ perfectæ laborare paulo ante monuimus (*not. §. 342.*).

§. 344.

Deformitas vitæ imperfectæ motivum eam fugiendi.

Deformitas vitæ imperfectæ eſt motivum vitam imperfectam fugiendi. Etenim deformitas in genere eſt motivum nolitionis (§. 339.). Quamobrem & deformitas vitæ imperfectæ motivum eſt eandem cognoſcenti, cur vitam imperfectam vivere nolit, conſequenter motivum eſt vitam imperfectam fugiendi.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam pauciſſimis datur deformitatem vitæ imperfectæ diſtincte cognoſcere (*not.* §. *343.*), pauciſſimis quoque motivum hoc prodeſt. Quamobrem quæ paulo ante de pulchritudine vitæ profectæ vivendæ motivo annotavimus (*not.* §. *342.*); ea quoque de deformitate vitam imperfectam fugiendi motivo tenenda ſunt. Qui vitæ perfectæ ſtudet, ut intuitive cognoſcat ejus pulchritudinem, & animum advertit ad vitam imperfectam, ut idea deformitatis vitæ imperfectæ animo ejus ingeneretur, cui idea pulchritudinis vitæ perfectæ lucem affundit; is efficaciam hujus motivi in ſeipſo experietur, & quantum juvet conſtantiam ac perpetuitatem voluntatis vivendi vitam perfectam, ipſo opere convincetur.

§. 345.

Motivum vitæ rationi, voluntati Numinis, naturæ humanæ convenientis.

Felicitas eſt motivum vitæ rationi & voluntati Numinis conformis, atque vitæ convenientis naturæ humanæ. Eſt enim felicitas motivum vitæ perfectæ (§. 334.). Sed vita rationi, vita voluntati Numinis, & vitæ humanæ naturæ conformis iisdem regulis continetur cum vita perfecta (§. 57.), conſequenter qui vult vitam perfectam vivere, is etiam vult vitam vivere rationi, voluntati divinæ ac naturæ humanæ conformem, adeoque idem eſt motivum vitæ, quæ rationi, voluntati Numinis atque naturæ humanæ conformis, quod eſt vitæ perfectæ (§. *887. Pſych. empir.*). Felicitas igitur eſt motivum vitæ conformis rationi, voluntati divinæ atque naturæ humanæ.

Nimirum una eademque vita diverſo reſpectu perfecta, rationi ac voluntati divinæ conformis, atque naturæ humanæ conveniens eſt, ſeu perfectio, convenientia cum ratione, cum voluntate divina, cum humana natura ſunt diverſa ejusdem vitæ prædicata. Quamobrem qui vult vitam unam, is etiam vult alteram quamcunque. Non igitur opus eſt, ut diverſis motivis unus idemque actus voluntatis determinetur. Non tamen ideo

Digitized by Google

negatur, quod pro diverſo reſpectu unius ejusdemque vitæ diverſa dentur motiva, ſeu, ſi accuratius loqui velis, diverſo reſpectu conſiderata una eademque vita diverſa quoque ſuppeditet eam vivendi motiva. Sane vidimus modo, vitam moralem, ſi ſpectetur ut perfecta, motivum nobis præbere eam vivendi, quod in pulchritudine ipſius conſiſtit (§. 341. 342.). Pulchritudo autem iſta non perſpicitur, niſi mentis aciem in perfectionem vitæ rationi, vel voluntati Numinis, aut naturæ humanæ conformis intendas. Etenim vita rationi conformis non intelligitur pulchra, niſi quatenus perfecta, & idem dicendum eſt de vita voluntati Numinis conformi, & de vita naturæ humanæ conveniente.

§. 346.

Motivum fugiendi vitam imperfectam. *Infelicitas eſt motivum fugiendi vitam imperfectam.* Etenim infelicitas eſt motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327.). Enimvero quo magis hominis actiones legi naturæ difformes ſunt, eo majori imperfectioni vita ejus obnoxia eſt (§. 20.), conſequenter qui vitam imperfectam vivere non vult, is velit neceſſe eſt omittere actiones legi naturæ contrarias, & viciſſim qui vult omittere actiones legi naturæ contrarias, is vult etiam fugere vitam imperfectam. Eſt igitur infelicitas motivum fugiendi vitam imperfectam.

Non opus eſſe duximus de vita imperfecta prolixe differere, cum alias oppoſitum eorum, quæ de perfecta demonſtravimus, de imperfecta oſtendi potuiſſet. Unde infelicitatis cum vita imperfecta nexus hic non ſupponi poteſt, etſi is plurimum faceret ad intimius inſpiciendam veritatem propoſitionis præſentis.

§. 347.

Motivum vitæ rationi, voluntati *Infelicitas eſt motivum fugiendi vitam rationi & voluntati Numinis contrariam, ac naturæ humanæ minime convenientem.* Qui vitam perfectam vivit, ſecundum rationem vivit (§. 55.), volun-

voluntati divinæ conformem (§. 56.) & naturæ ſuæ convenientem vivit vitam (§ 53.). Ex adverſo igitur qui vitam vivit imperfectam, is vitam rationi & voluntati divinæ contrariam, ac naturæ ſuæ minime convenientem vivat neceſſe eſt. Quodſi ergo quis noluerit vivere vitam imperfectam, is etiam nolit neceſſe eſt vivere vitam rationi ac voluntati divinæ contrariam, naturæque ſuæ parum convenientem. Unde patet idem eſſe debere motivum fugiendi vitam imperfectam, atque vitam rationi, voluntati divinæ naturæque humanæ contrariam. Quoniam itaque infelicitas eſt motivum fugiendi vitam imperfectam (§. 346.); erit eadem motivum fugiendi vitam rationi, voluntati divinæ naturæque humanæ contrariam. *Numinis, naturæ humanæ difformis fugiendi.*

Quæ paulo ante de felicitate motivo vitæ & perfectæ, & rationi, voluntati divinæ ac naturæ humanæ conformis annotavimus (§. 345.); ea mutatis mutandis huc quoque trahi poſſunt.

§. 348.

Omne bonum per ſe appetibile eſt, ſuique ipſius motivum, ubi diſtincte cognoſcitur. Etenim quamprimum rem quandam nobis repræſentamus tanquam bonam, eam appetimus (§. *589. Pſych. empir.*), &, ſi eandem diſtincte tanquam bonam nobis repræſentamus, volumus (§ *891. Pſych. empir.*). Quamobrem cum per ſe appetibile ſit, quod tale eſt, ut idem velimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quale ſit (§. *94. Part. I. Phil. pract. univ.*); bonum omne per ſe appetibile eſt. *Quod erat unum.* *Bonum motivum ſui ipſius.*

Porro repræſentatio diſtincta boni eſt motivum ut idem velimus (§. *890. Pſych. empir.*). Sed omne bonum, ubi diſtincte cognoſcitur, tanquam bonum diſtincte nobis repræſentatur. Ergo omne bonum eſt motivum ſui ipſius, ut idem velimus, ubi diſtincte cognoſcitur. *Quod erat alterum.*

Bona igitur vera nullo indigent motivo, modo diſtincte cognoſcantur. Quod vero videas plurimorum animos a veris bonis eſſe alienos, ut non modo negligantur, verum etiam haud raro contemnantur; non alia accidit de cauſa, quam quod diſtincta eorundem cognitione deſtituantur. Diſtinctam bonorum verorum cognitionem non eſſe adeo facilem, præſertim cum viva eſſe debeat (§. 244.), adeoque certa (§. 247), ut convicti ſimus ea vera bona eſſe (§. 248.), ex univerſa Philoſophia practica innoteſcet, & in Philoſophiæ partibus anterioribus probe verſatus haud obſcure colliget ex induſtria, qua ad ea, quæ demonſtrantur, comprehendenda uſus fuit. Unde quoque pauci ſunt, qui bona vera per ſe appetunt, nec alio indigent motivo.

§. 349.

Felicitas motivum verorum bonorum appetendorum.

Felicitas eſt motivum vera bona appetendi. Quoniam enim homines omnes felicitatem naturaliter appetunt (§. 324.), utique ratio ſufficiens cur quid appetatur eſt, ſi nos felices reddere agnoſcitur. Enimvero bona vera hominem felicem reddunt (§. *402 Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem felicitas ratio ſufficiens eſt, cur vera bona appetamus, conſequenter, cum ratio ſufficiens actus volitionis motivum ſit (§. *887. Pſych. empir.*), motivum eſt vera bona appetendi.

Hoc igitur motivo excitanda eſt appetitio bonorum verorum, qua porro excitabis ſtudium bona vera cognoſcendi, ut ſe ipſa commendent cognoſcenti (§. 348.). Dubium oriri poterit, an felicitas motivum eſſe poſſit bona vera appetendi, antequam diſtincte cognoſcantur, conſequenter antequam ſeipſa commendent cognoſcenti, ut alio motivo non ſit opus, niſi ad volitionem firmiorem præſtandam. Etenim quod bona vera hominem reddant felicem, ex eo demonſtratur, quod ex bono vero veram percipiamus voluptatem, quando idem cognoſcimus, quicquid autem homini veram voluptatem creat, id ad felicitatem ejus quid con-

Digitized by Google

conferat (*§. 402. Part. I. Phil. pract. univ.*). Antequam igitur convinci poſſis (ſine convictione autem non datur viva cognitio (§. 248.), quæ ſola (§. 244.) motivum præbet), bona vera nos felices reddere, notionem boni veri diſtinctam habere debes. Atat in ſalvo res eſt. Quod felicitas ſit verorum bonorum ſoboles, a poſteriori quoque convinci potes, aut ſaltem perſuaderi: id quod initio ſufficit. Quodſi deinde accedat cognitio a priori, appetitus robur acquirit, & immotus redditur, ut voluntas, quæ fertur in bona vera, conſtans & perpetua ſit (*§. 1062. Part. I Theol. nat.*). Enimvero cum hoc non ſatis pateat omnibus, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod ad praxin moralem apprime neceſſarium, ut idem diſertius doceamus e re eſſe exiſtimamus.

§. 350.

Quomodo felicitate ad bona vera appetenda permoveatur, qui demonſtrationes a priori non capit.

Alterum felicitate ad bona vera appetenda permoturus, qui demonſtrationem a priori nondum capit, quod ea nos reddant felices, 1) ſume per modum definitionis nominalis, vera bona nos reddere felices; 2) exemplis atque fabulis eum doce differentiam inter voluptatem nocuam atque innocuam; 3) iisdem oſtende, quod quædam, quæ habentur pro bonis, nonniſi nocuam afferant voluptatem; ex adverſo autem nulla adſit ratio, cur ex bonis, quæ pro veris venditas, percepta voluptas ullo modo ſit ſuſpecta. Dico hoc pacto ipſum differentiam inter bona vera & apparentia agniturum, & quod felices nonniſi verorum poſſeſſione reddamur agniturum, atque felicitate ad vera appetenda permotum iri. Quoniam enim bona vera ſola hominem reddunt felicem, atque hoc ipſo ab apparentibus diſtingui poſſunt (*§. 402 Part. I. Phil. pract. univ.*); per modum definitionis nominalis ſumere licet, vera bona nos reddere felices (*§. 197. Log.*). Cum homines omnes felicitatem per naturam ſuam appetant (§. 324.), nemo non ultro concedet, illa bona, quæ nos felices reddunt, eſſe appetenda, conſequenter appetenda

Digitized by Google

eſſe bona, quæ tu vera appellas. Enimvero cardo rei jam in eo verſatur, ut, unde agnoſcatur, quod bona quædam nos reddant felices, alia vero, quæ pro bonis habentur, non reddant. Quoniam homines omnes tunc ſe felices exiſtimant, quando voluptate fruuntur; infelices vero, quando tædiis torquetur animus; ubi fabulis atque exemplis alterum doces differentiam inter voluptatem nocuam atque innocuam, ſcilicet quod iſta in tædium degeneret, vel tædium pariat (§. *383. Part. I. Phil. pract. univ.*), hæc vero nunquam in tædium degeneret, nec tædium unquam pariat (§. *384. Part. I. Phil. pract. univ.*); hanc differentiam non modo rectius intelligit (§. 260. 305.), verum etiam tanquam certam admittit (§. 265. 305.), conſequenter ultro concedet innocuam voluptatem nocuæ eſſe præferendam, adeoque ſaltem concedet, eum ſemper eſſe felicem, qui nonniſi innocua fruitur voluptate, alium vero alio tempore infelicem eſſe debere, ut alio felix eſſe poſſit, felicitatem veram apparente nondum ſatis diſtinguens (§. *636. 637. Pſych. empir.*). Quodſi ergo porro exemplis atque fabulis eundem docueris, quædam eorum, quæ pro bonis habentur, nonniſi nocuam afferre voluptatem, eſſe vero alia, ubi nulla prorſus adeſt ratio, cur verendum ſit, ne voluptas ſit innocua; horum præ illis præſtantiam & capiet (§. 260. 305.), & admittet tanquam veram (§. 265. 305.). Quamobrem cum naturaliter felicitatem appetat (§. 324.), quin etiam appetere debeat bona vera felicitatis conſequendæ gratia (§. *891. Pſych. empir.*), & bona vera præferre apparentibus, dubitandum non eſt (§ *898. Pſych. empir.*). Atque adeo patet eo, quem in propoſitione declaramus, modo alterum ad bona vera appetenda adduci poſſe, qui demonſtrationem a priori nondum capit, quod ea nos reddant felices.

Vides

Digitized by Google

Vides adeo, quomodo felicitas tanquam motivum appetendi bona vera etiam proponi poſſit iis, qui demonſtrationes a priori in Philoſophiæ practicæ parte prima traditas nondum capiunt. Atque hoc exemplo docemur, quomodo idem obſervari debeat in veritatibus aliis perſuadendis, ubi via demonſtrationis calcari nequit. Qui demonſtrationes habet perſpectas, ac principia, quæ ſuppeditat Philoſophia noſtra, animo firmiter infixa tenet, eaque ſibi familiaria experitur; ei haud difficile fuerit idem præſtare in caſibus aliis, quod circa felicitatem bonorum verorum appetendorum motivum inculcat propoſitio præſens. Ita cum ſummum bonum felicitate nos beet maxima, quam in hac vita conſequi datur (*§. 395. Part. Phil. pract. univ.*), ita ut ipſum cum felicitate vulgo confundatur (*not. §. cit.*); eodem prorſus modo principiis noſtris in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis propoſitis inſiſtendo ad ſummum bonum proſequendum felicitate permovebis eos, qui demonſtrationes ibidem datas nondum capiunt. Abſit autem, ut plura expectes, quam a motivo expectare licet. Etſi enim ſine motivis anima ſeſe determinare nequeat ad volendum & nolendum (*§. 889. Pſych. empir.*), & ad utrumque ſeſe determinet iisdem convenienter (*§. 932. Pſych. empir.*), non tamen animam cogunt ad appetendum vel averſandum (*§. 931. Pſych. empir.*), ut adeo multæ adhuc eſſe poſſint rationes, cur vi motivorum reſiſtatur, ut earum efficacia reddatur irrita. Quodſi ergo has rationes non removeris, nec voto reſpondebit eventus (*§. 118. Ontol.*). Quænam vero ſint iſtæ rationes, & quomodo removeantur, ex iis intelligetur, quæ de impedimentis paulo inferius demonſtraturi ſumus. Hiſce tollendis niſi parem te deprehenderis, nec efficere poteris, ut felicitate alterum permoveas ad bona vera appetenda.

§. 351.

Qui gloria ducuntur, iis benignum aliorum de actionibus ſuis judicium eas committendi motivum eſt. Etenim qui gloria ducuntur, gaudio afficiuntur, ubi benignum aliorum, *Motivum eorum, qui gloria ducuntur.*

quod prævident, judicium de actionibus ſuis ſibi repræſentant (§. 765. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum gaudium in nobis oriatur, ſi quod habemus, vel certo nos obtenturos prævidemus, ut perinde ſit, ac ſi ejusdem jam compotes eſſemus, tanquam bonum inſigne nobis repræſentamus (§. 616. *Pſych. empir.*); qui gloria ducitur, non ſolum benignum aliorum de actionibus ſuis judicium ſibi bonum exiſtimat, verum etiam bonum ideo arbitratur, ut actiones iſtas committat. Quoniam itaque repræſentatio boni motivum volitionis eſt (§. 890. *Pſych. empir.*), qui gloria ducitur, ei benignum aliorum de actionibus ſuis judicium eas committendi motivum eſt.

Experientia veritatem propoſitionis præſentis abunde confirmat, eademque docet, non eſſe motivum aliud fortius, quam benignum aliorum de actionibus noſtris judicium, ubi ad gloriam diſpoſitus eſt animus. Neque dedecet hominem hoc motivum, quin potius maxime decet, modo ſibi caveat, ne affectus gloriæ ambitionem gignat. Sane ipſe Deus, qui non agit, niſi quod ipſum decet (§. 335. *Part. I. Theol. nat.*), mundum hunc produxit, ut perfectionem ſuam abſolute maximam patefaceret (§. 608. *Part. I. Theol. nat.*), conſequenter ut creaturæ intelligentes judicarent, actiones ipſius ipſum decere (§. 332. *Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum benignum ſit aliorum de actionibus agentis judicium, ſi ea, quæ alter fecit, bene ac recte ab ipſo facta eſſe (§. 765. *Pſych. empir.*), conſequenter agentem decere (§. 950. 332. *Part. I. Theol. nat.*) judicant; quin benignum creaturarum de actionibus Dei judicium ſit ipſi Deo agendi motivum dubitari nequit. Hæc in eorum gratiam addere viſum eſt, qui hebetiores ſunt, quam ut differentias rerum perſpiciant, quarum limites facile confunduntur, ne nos vitiis patrocinari argutentur, dum veritatis eum facimus uſum, quem habere poteſt ac debet.

§. 352.

§. 352.

Qui gloria ducitur, ei ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium eſt motivum non agendi. Etenim qui gloria ducitur, ſeu ad eandem pronus eſt, idem ad pudorem pronus eſt (§. 781. *Pſych. empir.*). Enimvero qui ad pudorem pronus eſt, ex ſiniſtris aliorum de actionibus ſuis judiciis triſtitiam percipit (§. 774. *Pſych. empir.*), adeoque judicia iſta ſibi tanquam mala repræſentat (§. 621. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque repræſentatio mali eſt motivum nolendi (§. 890. *Pſych. empir.*); ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium eſt motivum non agendi ei, qui gloria ducitur.

Siniſtra aliorum judicia quibusnam ſint motivum non agendi.

Qui gloria ducitur ſeu ad eandem pronus eſt, is vult, ut alii de actionibus ſuis benignum ferant judicium; ſed non vult, ut ferant ſiniſtrum. Quamobrem ubi novit, haſce actiones eſſe tales, ut alii de iisdem benignum judicium ſint laturi, iſtas vero eſſe iſtiusmodi, ut ſiniſtro aliorum judicio obnoxiæ ſint futuræ; in caſu priori actiones ſibi repræſentat tanquam medium benigna aliorum de ſe judicia eliciendi, in poſteriori autem tanquam medium ſiniſtra præcavendi. Quamobrem cum neceſſe ſit, ut velit medium, dum vult finem (§. 941. *Ontol.*); actiones priores committere vult, poſteriores autem committere non vult. Quemadmodum itaque benigna aliorum de actionibus committendis judicia ſunt ipſi motivum eas committendi; ita ex adverſo ſiniſtra ſunt motivum eas non committendi, ſeu omittendi. Diximus benignum aliorum de actionibus judicium eſſe motivum fortiſſimum eas committendi. Non minus forte motivum actionum omittendarum eſt ſiniſtrum aliorum de iisdem judicium.

§. 353.

Si ſiniſtrum aliorum de actionibus judicium motivum non agendi, benignum autem motivum agendi eſſe debet, probe diſpiciendum, ut ſit verum. Ponamus enim ſiniſtrum aliorum de actionibus judicium non eſſe verum, ſed falſum. Quoniam

Cautio circa motiva eorum, qui gloria ducuntur, adhibenda.

agendi propoſito perſiſtendi.

oritur, ſi ea, quæ fecimus, nobis repræſentamus tanquam bene & recte facta (§. *751. Pſych. empir.*), eſt quoque affectus omnium jucundiſſimus (§. *753. Pſych. empir.*), conſequenter qui ſumma voluptate animum demulcet (§. *608. Pſych. empir.*). Qui adeo bene & recte egit, & actiones a ſe commiſſas contemplatur, ſumma iſta voluptate fruitur, adeoque non modo eam rectius intelligit (§. 263.), intuitive eam cognoſcens (§. 254.), verum etiam omnium optime convincitur, ſi bene & recte agere perrexerit, ſe voluptatem iſtam ex actionibus a ſe perpetratis poſthac percepturum (§. 271.). Quamobrem cum ex hoc intelligat, actionibus iſtis felicitatem ſuam promoveri (§. *638. Pſych. empir.*), hanc vero per naturam ſuam appetat (§. 324.); quin in propoſito bene & recte agendi perſeverare velit dubitandum non eſt. Quoniam itaque acquieſcentia in ſeipſo prævia eſt ratio ſufficiens in bene ac recte agendi propſito perſeverandi (§. *56. Ontol.*), ratio autem ſufficiens actus volitionis motivum eſt (§. *887. Pſych. empir.*); acquieſcentia in ſeipſo utique motivum eſt in bene ac recte agendi propoſito perſeverandi.

Acquieſcentiam in ſeipſo vix prævidere poteſt, niſi qui eandem in ſeipſo fuerit expertus. Quamvis enim a priori demonſtravimus, ſi quis a ſe facta bene facta opinatur, eundem iis gaudere, vel ex iis voluptatem percipere (*§. 750. Pſych. empir.*), atque adeo convictio a priori ad eam prævidendam ſufficit (*§. 990. Log. & §. 435. Pſych rat.*); ea tamen hic prævidendi modus ſupponit, quæ in illo ægre reperias, qui nondum aliquid bene ac recte fecit, nec voluptatem iſtam gaudiumque iſtud ſatis capit, niſi qui domeſticæ experientiæ ſenſum utriusque debet. Quamobrem acquieſcentia in ſeipſo non tam motivum bene & recte agendi præbet ei, qui nihil adhuc bene ac recte fecit, & bene ac recte a ſe facta perpendit, ut ad bene & recte agendi ſtudium provocetur;

quam

quam motivum in bene ac recte agendi propoſito perſeverandi, poſtquam dulcedinem hujus affectus fuimus experti, ut ſuo eundem pretio æſtimare valeamus. Efficaciam ejus non melius experimur, quam ubi nobis adverſus iniquas aliorum cenſuras, criminationes atque calumnias ſolamini eſt, ubi affectus moleſtos inde orituros ſupprimit, ut robur ſuum acquirere animumque turbare nequeant. Etſi enim affectus naſcentes gradum voluptatis ex bene ac recte a ſe factis percipiendæ imminuere videantur; tantum tamen abeſt, ut, quod moleſti admiſcetur, ejus pretium deteriorare poſſit, ut potius ſingularem quandam animi tranquillitatem cauſetur, maxime appetibilem, qua non obſtantibus iniquis criminationibus, calumniis, immo machinationibus malevolorum, in propoſito bene ac recte agendi confirmamur. Hic ſtatus animi quodammodo comparari poteſt cum eo, quo præ gaudio effuſo lachrymæ funduntur, etſi ab eo plurimum differat. Quamvis ex principiis noſtris talia a priori demonſtrari poſſint; non tamen opus eſt in iis inculcandis eſſe prolixioribus, ad quæ in ſeipſo experiunda ducunt a nobis demonſtrata, ut experientia domeſtica magiſtra addiſcantur. Qui noſtra methodo in poſterum philoſophaturi ſunt, & principiis noſtris utentur, dabunt iis, quæ dedimus, longe profundiora, exemplo Mathematicorum recentiorum, qui veterum inventis uſi longius progrediuntur, & iis longe ſublimiora indies detegunt, ad quæ ipſis non pateret aditus, ſi veterum auxilio deſtituerentur. Ceterum hic quoque patet, ne acquieſcentia in ſeipſo fallaci ſpecie blandiatur, præſupponendam eſſe theoriam certam bene ac recte agendi.

§. 355.

Motivum generale a malo propoſito deſiſtendi.

Pœnitentia præviſa motivum eſt a male ac minus recte agendi propoſito deſiſtendi. Pœnitentia enim oritur, ſi ea, quæ fecimus, nobis repræſentamus tanquam male, aut minus recte facta (§. *759. Pſych. empir.*), eſtque affectus moleſtiſſimus (§. *758. Pſych. empir.*), conſequenter qui maximo tædio animum replet (§. *609. Pſych. empir.*). Qui adeo male

ac

ac minus recte egit & ad actiones a ſe commiſſas animum advertit, tædio iſto moleſtatur, adeoque non modo idem rectius intelligit (§. 263.), intuitive ipſum cognoſcens (§. 254.), verum etiam omnium optime convincitur, ſi male ac minus recte agere perrexerit, ſe tædium iſtud ex actionibus a ſe perpetratis poſthac percepturum (§. 271.): id quod etiam illorum exemplo addiſcit, quorum animum pœnitentia vexat. Quamobrem cum ex hoc intelligat, actionibus iſtis infelicitatem ſuam promoveri (§. *639. Pſych. empir.*), hanc vero per naturam ſuam averſetur (§. 325.); quin in propoſito male & minus recte agendi perſeverare nolit, conſequenter ab eodem deſiſtere malit, dubitandum non eſt. Quoniam itaque pœnitentia prævisa eſt ratio ſufficiens a male ac minus recte agendi propoſito deſiſtendi (§. *56. Ontol.*), ratio autem ſufficiens actus nolitionis motivum eſt (§. *887. Pſych. empir.*); pœnitentia omnino motivum eſt a male ac minus recte agendi propoſito deſiſtendi.

Quæ modo de prævisione acquieſcentiæ in ſeipſo annotavimus (*not.* §. *354.*); ea etiam mutatis mutandis ad prævisionem pœnitentiæ applicari poſſunt, quamvis hic facilius locus ſit exemplis, quæ nobis innotuere de aliis, quam in caſu prævisionis acquieſcentiæ in ſeipſo, propterea quod tædia, quæ ſentiunt ii, quos pœnitet factorum, non modo facilius obſervantur, quam voluptas, quam percipiunt in ſeipſis acquieſcentes, verum etiam iſta magis commovent animos obſervatorum, quam hæc commovere ſolet, ut adeo moleſtiam pœnitentiæ etiam non experti facilius admittant, quam dulcedinem acquieſcentiæ in ſeipſo. Potior tamen etiam in caſu pœnitentiæ eſt experientia propria, utut conſultius ſit ex alieno caſu diſcere, quæ vitanda ſunt. Theoriæ autem, quam in caſu acquieſcentiæ in ſeipſo commendavimus, uſus quoque elucet in caſu pœnitentiæ prævisæ, ne ſcilicet prævidere tibi videaris, quod non eſt, & omittas ea, quæ quod omiſſa fuerint, poſthac meliora edoctum pœnitet. Sine theoria certa

certa nusquam in praxi tuto progredi licet. Quamobrem ea nunquam ſatis commendari poteſt, nec ſuperfluum videri debet, quod idem quacunque data occaſione inculcetur, propterea quod plerorumque animos occupavit opinio, quaſi in Moralibus adeo ſcrupuloſa ac ſpinoſa theoria non ſit opus, qualem nos condimus, ad quam non omnibus promiſcue patet aditus, & quam acceſſu difficilem experiuntur. Quodſi experientiam propriam non requiſiveris, ſed exemplis alienis contentus fueris; pœnitentia etiam motivum præbet actiones malas & minus rectas omittendi. Immo idem obtinet, ubi alterum rationibus convincere potueris, fore, ut facti ſive poſitivi, ſive privativi ipſum poſthac pœniteat.

§. 356.

Utilitas eſt motivum rei appetendæ. Quoniam enim utile eſt, cujus aliquem facere poſſumus uſum (§. *262. Part. I. Phil. pract. univ.*), hic ipſe uſus ratio ſufficiens eſt, cur id habere velimus (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum ratio ſufficiens actus volitionis motivum ſit (§. *887. Pſych. empir.*); uſus iſte ſive utilitas, quæ in aptitudine præſtandi nobis aliquem uſum conſiſtit (§. *262. Part. I. Phil. pract. univ.*), eſt motivum rei appetendæ. *Utilitas motivum rei appetendæ.*

A poſteriori patet, homines maxime moveri ad agendum utilitate. Sane quicquid rerum appetimus, propter uſum, quem nobis præſtare poſſunt, appetimus, adeoque earum utilitas nos movet ad appetendum.

§. 357.

Quoniam ſola utilitas non eſt ratio ſufficiens juris, ſeu non ideo jus ad quid habes, quia tibi utile (§. *265. Part. I. Phil. pract. univ.*); injuſtus autem eſt, qui quid facit contra jus alterius perfectum, iniquus vero, qui quid facit contra jus alterius imperfectum (§. *239. Part. I. Phil. pract. univ.*); *niſi injuſtus vel iniquus eſſe velis, utilitas motivum rei appe-* *Cautio circa idem adhibenda.*

Digitized by Google

ac minus recte egit & ad actiones a ſe commiſſas animum advertit, tædio iſto moleſtatur, adeoque non modo idem rectius intelligit (§. 263.), intuitive ipſum cognoſcens (§. 254.), verum etiam omnium optime convincitur, ſi male ac minus recte agere perrexerit, ſe tædium iſtud ex actionibus a ſe perpetratis poſthac percepturum (§. 271): id quod etiam illorum exemplo addiſcit, quorum animum pœnitentia vexat. Quamobrem cum ex hoc intelligat, actionibus iſtis infelicitatem ſuam promoveri (§. 639. *Pſych. empir.*), hanc vero per naturam ſuam averſetur (§. 325.); quin in propoſito male & minus recte agendi perſeverare nolit, conſequenter ab eodem deſiſtere malit, dubitandum non eſt. Quoniam itaque pœnitentia prævisa eſt ratio ſufficiens a male ac minus recte agendi propoſito deſiſtendi (§. 56. *Ontol.*), ratio autem ſufficiens actus nolitionis motivum eſt (§. 887. *Pſych. empir.*); pœnitentia omnino motivum eſt a male ac minus recte agendi propoſito deſiſtendi.

Quæ modo de præviſione acquieſcentiæ in ſeipſo annotavimus (*not.* §. 354.); ea etiam mutatis mutandis ad præviſionem pœnitentiæ applicari poſſunt, quamvis hic facilius locus ſit exemplis, quæ nobis innotuere de aliis, quam in caſu præviſionis acquieſcentiæ in ſeipſo, propterea quod tædia, quæ ſentiunt ii, quos pœnitet factorum, non modo facilius obſervantur, quam voluptas, quam percipiunt in ſeipſis acquieſcentes, verum etiam iſta magis commovent animos obſervatorum, quam hæc commovere ſolet, ut adeo moleſtiam pœnitentiæ etiam non experti facilius admittant, quam dulcedinem acquieſcentiæ in ſeipſo. Potior tamen etiam in caſu pœnitentiæ eſt experientia propria, utut conſultius ſit ex alieno caſu diſcere, quæ vitanda ſunt. Theoriæ autem, quam in caſu acquieſcentiæ in ſeipſo commendavimus, uſus quoque elucet in caſu pœnitentiæ præviſæ, ne ſcilicet prævidere tibi videaris, quod non eſt, & omittas ea, quæ quod omiſſa fuerint, poſthac meliora edoctum pœnitet. Sine theoria certa

Digitized by Google

certa nusquam in praxi tuto progredi licet. Quamobrem ea nunquam ſatis commendari poteſt, nec ſuperfluum videri debet, quod idem quacunque data occaſione inculcetur, propterea quod plerorumque animos occupavit opinio, quaſi in Moralibus adeo ſcrupuloſa ac ſpinoſa theoria non ſit opus, qualem nos condimus, ad quam non omnibus promiſcue patet aditus, & quam acceſſu difficilem experiuntur. Quodſi experientiam propriam non requiſiveris, ſed exemplis alienis contentus fueris; pœnitentia etiam motivum præbet actiones malas & minus rectas omittendi. Immo idem obtinet, ubi alterum rationibus convincere potueris, fore, ut facti ſive poſitivi, ſive privativi ipſum poſthac pœniteat.

§. 356.

Utilitas motivum rei appetendæ.

Utilitas eſt motivum rei appetendæ. Quoniam enim utile eſt, cujus aliquem facere poſſumus uſum (§. *262. Part. I. Phil. pract. univ.*), hic ipſe uſus ratio ſufficiens eſt, cur id habere velimus (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum ratio ſufficiens actus volitionis motivum ſit (§. *887. Pſych. empir.*); uſus iſte ſive utilitas, quæ in aptitudine præſtandi nobis aliquem uſum conſiſtit (§. *262. Part. I. Phil. pract. univ.*), eſt motivum rei appetendæ.

A poſteriori patet, homines maxime moveri ad agendum utilitate. Sane quicquid rerum appetimus, propter uſum, quem nobis præſtare poſſunt, appetimus, adeoque earum utilitas nos movet ad appetendum.

§. 357.

Cautio circa idem adhibenda.

Quoniam ſola utilitas non eſt ratio ſufficiens juris, ſeu non ideo jus ad quid habes, quia tibi utile (§. *265. Part. I. Phil. pract. univ.*); injuſtus autem eſt, qui quid facit contra jus alterius perfectum, iniquus vero, qui quid facit contra jus alterius imperfectum (§. *239. Part. I. Phil. pract. univ.*); *niſi injuſtus vel iniquus eſſe velis, utilitas motivum rei*

appetendæ eſſe non debet, ubi eam appetere nequis, niſi jus alterius violando, hoc eſt, *idem vel tollendo, vel diminuendo, vel uſum ejus quomodocunque impediendo.*

Hoc probe obſervandum eſt, ne motivo iſto abutaris. Nihil frequentius eſt, quam ut homines utilitate metiantur omnia, & hac ſimpliciter moveantur ad agendum, parum ſolliciti de jure ſuo & de jure aliorum, ut ſcilicet non agant niſi jure ſuo, nec jus alterius tollant, nec diminuant, nec alterum quomodocunque in uſu juris ſui impediant. Hæc vero ratio eſt, cur injuſtitia & iniquitas adeo invaleſcat, & unus commodum ſuum quærat cum detrimento alterius, nulla legis naturalis reverentia. Quamobrem ubi utilitas te movet ad agendum, vel etiam non agendum, probe diſpiciendum eſt, num jure tuo & non violato jure alterius agere poſſis. Tunc enim demum motivo huic locus concedendus. Quodſi ergo tibi fuerit juſti ac æqui amor, injuſti atque iniqui odium; numquam commovebit te utilitas ad agendum, quod juſtitiæ atque æquitati repugnat. Sed hæc clarius patebunt ſuo loco, ubi ad ſpecialia deſcendemus. Non alio autem fine in theoriam legum naturalium ac naſcentis inde juris inquirimus, quam ne utilitatem juri exæquemus, errore perniocioſiſſimo, etſi noſtro ævo admodum familiari, ſi praxin ſpectes, & ne ſola utilitate ad agendum moveamur.

§. 358.

Quod utile judicetur bonum.

Porro quoniam utilitas eſt motivum rei appetendæ (§. 356.), quicquid vero appetimus, id nobis repræſentamus tanquam bonum (§. *892. 893. Pſych. empir.*); *quod nobis utile eſt, propter uſum, quem habere poteſt, habetur pro bono* (§. *262. Part. I. Phil. pract. univ.*).

Utile ſi in ſe ſpectantur, pro bono omnino recte habetur. Ex accidente adeo eſt, propter circumſtantias ſcilicet emergentes, ne licite id appetere poſſimus. Quænam vero ſint illæ cirſtantiæ, ex ſpeciali actionum humanarum theoria patebit. Non tamen

tamen aberraveris unquam, ſiquidem actiones cum lege naturali componas, quam utilitati cedas. Per ſe autem patet, in ipſa etiam utilitate dijudicanda veritatis rationem eſſe habendam, ne utile judicetur, quod non eſt, vel prorſus damnoſum exiſtit.

§. 359.

Inutilitas num ſit motivum nolendi.

Inutilitas non eſt motivum nolendi, ſed ſaltem ratio omittendi actum volitionis. Quoniam enim inutile eſt, quod nobis nulli uſui eſſe poteſt, utile autem, quicquid uſui cuidam noſtro inſervit (§. *262. Pſych. empir.*); quod inutile eſt, id utile eſſe nequit. Quamobrem cum utilitas ſit motivum volitionis (§. 356.); ſi quid judicatur inutile, motivum ſaltem abeſt volitionis, conſequenter actus volitionis ceſſat (§ *889. Pſych. empir.*). Eſt igitur inutilitas ratio omittendi actum volitionis (§. *56. Ontol.*). *Quod erat unum.*

Enimvero nuda volitionis omiſſio nolitio non eſt (§. *884. Pſych. empir.*). Inutilitas igitur non eſt ratio ſufficiens nolitionis (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum motivum nolitionis eſſe nequeat, quod ratio ſufficiens ejusdem non eſt (§. *887. Pſych. empir.*); inutilitas non eſt motivum nolendi. *Quod erat alterum.*

Inutilitatem itaque repræſentando tantummodo alterum a volendo avocamus, non vero ad nolendum adducimus. Nimirum propter uſum bonum habetur, quod utile judicatur (§. 358.). Oſtendendo igitur, nullum eſſe uſum, quem alter facere poſſit, eidem perſuademus id, quod alter appetit, non eſſe bonum, quemadmodum ipſi videtur, conſequenter motivum volitionis tollimus (*§. 890. Pſych. empir.*), ſine quo non ponitur volitionis actus (*§. 889. Pſych. empir.*). Quoniam vero actus nolitionis non ponitur, niſi quid habeatur pro malo (*§§. cit.*), ideo autem pro malo quid nondum habetur, quod nullus ſit ejus nobis uſus; nec ſola inutilitas motivum nolitionis eſſe poteſt. Aliud

eſt omittere actionem, quod cur eam committamus, ratio nulla adeſt; aliud vero eandem omittere, quod adſit ratio ſufficiens eam non committendi. In praxi morali plurimum refert hos caſus a ſe invicem diſtingui.

§. 360.

Quando quis ad actionem, quam vult omittendam adduci nequeat, niſi motivo nolitionis.

Si quis propter voluptatem nocuam quid appetit, vel etiam propter uſum, quem licite facere nequit; ad actionem omittendam adduci nequit, niſi ad nolendum adducatur. Etenim ſi quis propter voluptatem nocuam quid appetit, voluptas præviſa motivum volitionis eſt (§. *887. Pſych. empir.*). Quamobrem cum negari non poſſit, id quod appetit eſſe tale, ut voluptas inde percipiatur; ſed tantummodo oſtendi queat, quod ea ſit in tædium degeneratura, vel tædium ſive moleſtiam paritura (§. *383. Part. I. Phil. pract. univ.*); propter tædium vero inde ſecuturum pro malo habetur, quod propter voluptatem inde percipiendam habetur pro bono; oſtendendo voluptatem eſſe nocuam, non tantummodo tollitur motivum volitionis, verum etiam ponitur motivum nolitionis (§. *890. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis propter voluptatem nocuam quid appetit, ad actionem omittendam adduci nequit, niſi ad nolendum adducatur. *Quod erat unum.*

Similiter ſi quis propter uſum, quem licite facere nequit, quid appetit, uſus præviſus motivum volitionis eſt (§. *887. Pſych. empir.*). Quamobrem cum negari nequeat, id quod appetit ipſi uſui eſſe, ſed tantummodo oſtendi poſſit, quod eandem licite facere nequeat (*per hypotheſin*), ut actionem, quam vult, committere nolit, motivo quodam opus eſt, ut nolit uſum, quem licite facere nequit. Ad actionem igitur, quam committere vult, omittendam adduci nequit, niſi ad nolendum adducatur,

qui

qui propter uſum quid appetit, quem licite facere non poteſt. *Quod erat alterum.*

Vides adeo dari caſus, in quibus impoſſibile eſt, ut ad omittendam actionem alterum adducas niſi ope motivi nolitionis. Caſus autem hi admodum generales ſunt, qui longe plurimos ſpeciales ſub ſe comprehendunt. Quamobrem propoſitio præſens jure ſuo locum in Philoſophia practica univerſali tanquam principium praxis generale tuetur. Revocari tamen poteſt ad generalius, quod in futuros uſus hic apponere lubet.

§. 361.

Principium generale avocandi alterum ab actione committenda eum adducendo ad nolendum.

Si propter rationem, ob quam quid pro bono habetur, pro malo potius habendum, vel adſint præterea rationes aliæ, ob quas in dato caſu pro malo haberi debet, quod alias pro bono haberi poterat; ad actionem omittendam, quam quis committere vult, adduci nequit, niſi ad nolendum adducatur. Si quis enim propter rationem quandam pro bono habet, per quam pro malo haberi debebat; motivum volitionis tolli nequit, niſi oſtenderis malum eſſe, quod pro bono habetur (§. 890. *Pſych. empir.*). Quoniam vero repræſentatio mali motivum nolitionis eſt (§. *cit.*), motivum volitionis non tollitur niſi motivo nolitionis. Quamobrem cum motivo volitionis ſublato actio omittatur (§. 889. *Pſych. empir.*); ad eam omittendam adduci nequit, qui propter rationem quid pro bono habet, ob quam pro malo idem habere debebat, niſi ad nolendum adducatur. *Quod erat unum.*

Similiter ſi præter rationem, ob quam quid pro bono habetur, adſint præterea rationes aliæ, ob quas in dato caſu pro malo haberi debet, quod alias pro bono haberi poterat; motivum volitionis non tollitur (§. 890. *Pſych. empir.*), conſequenter actus volitionis, adeoque inde pendens actio non omittitur (§. 889. *Pſych. empir.*), niſi alterum

docueris, ob rationes iſtas, quas jam adeſſe negare nequit, pro malo habendum, quod alias pro bono haberi poterat. Quamobrem cum motivum nolitionis ſit repræſentatio mali (§. *890. Pſych. empir.*), ad actionem omittendam, quam alter committere vult, eum non adducis, niſi ope motivi nolitionis. Enimvero cum motivum nolitionis ſit ratio ſufficiens nolitionis (§. *887. Pſych. empir.*), adeoque eodem poſito ponatur actus nolitionis (§. *118. Ontol.*); ſi præter rationem, ob quam pro bono habetur, adſint præterea rationes aliæ, ob quas in dato caſu pro malo habere debet, quod alias pro bono haberi poterat, ad actionem omittendam, quam quis committere vult, adduci nequit, niſi ad nolendum adducatur. *Quod erat alterum.*

Exemplum caſus prioris eſt, ſi quis propter voluptatem nocuam quid appetit, quam inde percipere datur. Unde pars prior propoſitionis præcedentis per modum corollarii ſub parte priori præſentis ſubſumi poterat. Similiter exemplum caſus poſterioris eſt, ſi quis propter uſum, quem licite facere nequit, quid appetit. Unde pars poſterior propoſitionis præcedentis per modum corollarii ſubſumi poterat ſub præſenti. Non tamen ſupervacaneum cenſeri debet, quod ea demum demonſtraverimus, quæ per modum corollarii ſubſumi poterant. Neque enim ſolum demonſtrationes ſpeciales lucidiores ſunt generalibus, ut fortius compellant ad aſſenſum, quæ in Moralibus apprime neceſſariæ ſunt, ubi proclivitas appetitus ſenſitivi in contrarium facile ſuſpectam reddit veritatem quam dictitat ratio; verum etiam inventoribus prodeſt noſſe, quomodo veritates ſpeciales detectæ nos deducant ad generalium cognitionem. Id autem in omni Philoſophia nobis propoſitum eſt, ut lectoribus attentis artem quoque inveniendi inſtillemus, & leges methodi perſpectas atque familiares reddamus. Et hac de cauſa nullam prætermittimus occaſionem, qua vel ad methodum intimius perſpiciendam,

Digitized by Google

dam, vel ad artificia heuriſtica cognoſcenda proficua annotari poſſunt.

§. 362.

Quando quis ſine actu nolitionis ad actionem omittendam adducatur.

Si quis ob rationem quandam actionem pro bona habet, quæ in dato caſu locum minime habet; is ad actionem omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito. Etenim ſi ratio in dato caſu non obtinet, ob quam pro bona actio habetur; falſum eſt actionem eſſe talem, qualem ſibi agere volens repræſentat (§. *507. Log.*), conſequenter ſtante principio, quo quid bonum eſſe judicat, ea pro bona haberi nequit (§. *539. Log.*). Quamobrem ſi ipſum conviceris rationem hanc in dato caſu locum minime habere, actionem quoque pro bona non amplius habere poteſt (§. *983. Log.*). Quoniam itaque motivum volitionis eſt, quod actionem ſibi tanquam bonam repræſentet (§ *890. Pſych. empir.*); motivum volitionis tollitur, conſequenter ipſe quoque actus volitionis ceſſat (§. *889. Pſych. empir.*). Agere itaque volens ad actionem omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito.

Nimirum judicium de bonitate actionis diſcurſivum eſt, & hoc nititur ſyllogiſmo catholico:

Quæcunque actio talis eſt, ea bona eſt.
Atqui actio hæc talis eſt;
Ergo actio hæc bona eſt.

In caſu propoſitionis præſentis minor eſt falſa (*per hypotheſin*). Quamobrem ut alterum convincas judicium de bonitate actionis, quod ſyllogiſmi concluſio eſt, eſſe falſum, oſtendendum eſt falſam eſſe minorem, hoc eſt, actionem non eſſe talem, qualem ſupponit, nec opus eſt, ut de majore ſis ſollicitus, utrum ea vera ſit, an falſa. Ubi enim agere volens falſitatis minoris fuerit convictus, nullum amplius agendi motivum habet, conſequenter cum ſine motivo ut agere velit, fieri haud quaquam queat; quin ab agendi propoſito deſiſtat (§. *889. Pſych. empir.*), dubi-

Digitized by Google

dubitandum non eſt. Nimirum non alia ratio eſt, cur agere velit, quam quod actio ipſi talis videtur. Quamobrem ubi agnoſcit eam talem non eſſe; nulla quoque ratio adeſt, cur agere velit, adeoque actionem omittit. Nemo autem non videt, nullum hic elici actum poſitivum nolitionis, ſed hoc tantum effici, ut actus volitionis ceſſet. Habemus adeó principium generale alterum adducendi ad actionem omittendam, nullo actu nolitionis elicito.

§. 363.

Caſus ſpeciales actionem omittendi absque motivo nolitionis.

Quodſi quis propter voluptatem percipiendam actionem quandam pro bona habet, quæ inde percipi non poteſt, vel propter utilitatem, quam inde ſperare non licet; ad actionem omittendam adducitur nullo actu nolitionis elicito. Etenim ſi quis actionem quandam committere vult voluptatis, vel utilitatis cujusdam percipiendæ gratia; voluptas vel utilitas ratio eſt, cur eam committere velit (§. *56. Ontol.*), conſequenter ob quam eandem pro bona habet (§. *892. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi voluptas iſta, vel utilitas inde percipi nequit; ratio quoque, ob quam actionem pro bona habet, qui eam committere vult, in dato caſu locum minime habet. Sed ſi quis ob rationem quandam pro bona habet actionem committendam, quæ in dato caſu locum minime habet, ad actionem iſtam omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito (§. 362.). Ergo ſi quis propter voluptatem percipiendam actionem quandam pro bona habet, quæ inde percipi non poteſt, vel propter utilitatem, quam inde ſperare non licet, ad actionem omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito.

Quodſi principium generale non fuiſſet præmiſſum (§. 362.), propoſitionem præſentem quoad utramque partem eodem modo oſtendere licuiſſet, qua generale principium demonſtravimus. Nimirum ſi terminis generalibus in demonſtratione generali ſubſtituantur termini ſpeciales in utroque caſu

caſu prodit demonſtratio ſpecialis. In caſu priori agere volentis judicium definitivum nititur hoc ſyllogiſmo:

Quæcunque actio hac voluptate perfundit agentem, ea bona eſt.
Atqui hæc actio hac voluptate perfundit agentem;
Ergo hæc actio bona eſt.

Alterum eo adducturus, ut ab agendi propoſito deſiſtat, negat propoſitionem minorem, & convincit eundem, voluptatem, cujus percipiendæ gratia agere vult, inde percipi minime poſſe, ſicque tollit motivum agendi. Similiter in caſu poſteriore agere volentis judicium definitivum hoc infertur ſyllogiſmo;

Quæcunque actio hanc affert agenti utilitatem, ea bona eſt.
Sed hæc actio hanc agenti affert utilitatem;
Ergo ea bona eſt.

Alterum ab agendi propoſito avocaturus denuo impugnat minorem, oſtendendo eam utilitatem, ob quam agens agere vult, ſperari in dato caſu minime poſſe, ut adeo ſublato agendi motivo ceſſet quoque actus volitionis, & actio omittatur. Nemo miretur nos ad ſyllogiſmum confugere in praxi morali. Ejus enim præclarus uſus eſt in maxime arduis ejusdem capitibus, quemadmodum ſuis locis abunde conſtabit. Atque hic ipſe uſus documento eſt, ſyllogiſmum non ſcholæ diſci, quemadmodum plurimi ſibi perſuadent, nec ſolis tyronibus utilem eſſe ad veritates intellectu faciles leviori attentione agnoſcendas, quem uſum ſolum concedit *Carteſius*; ſed absque eo in omni vita morali haud raro cæcutire, immo hallucinari, ſaltem incerto tramite incedere eos, qui ad formam ſyllogiſticam animum non advertunt. Logicæ igitur communiſſimis regulis opus habemus in maxime arduis negotiis, in quibus haud raro committuntur lapſus, qui ope ſyllogiſmi evitari poterant. Monito hoc excitamus attentionem eorum, qui veritatis cognoſcendæ cupidi in rationes inquirere volunt, cur voto agentis non reſponderit eventus: id quod maximi uſus eſt, ubi ex alieno caſu ſapere velis, præſertim ubi ex eodem addiſcere conſtitueris, quæ

vites, immo etiam ubi philoſophiam practicam novis theorematis ac problematum reſolutionibus ditare decreveris.

§. 364.

Alius caſus.

Quodſi quis finis cujusdam gratia actionem quandam committere vult, quem eadem conſequi nequit; ad actionem omittendam adducitur nullo nolitionis actu elicito. Oſtenditur hæc propoſitio eodem prorſus modo, quo anteriorem demonſtravimus (§. 363.).

Nimirum propoſitio præſens perinde corollarium eſt principii generalis paulo ante demonſtrati (§. 362.), ac præcedens (§. 363.). Quamobrem hic quoque non alia ratione opus eſt, quam ut oſtendatur, eam ſub principio generali contineri. Ambitus tamen propoſitionis præſentis late patet, ut denuo plurimos caſus ſpecialiores ſub ſe comprehendat, veluti ſi quis cupidine vindictæ agere vult, quod alteri moleſtum accidat, moleſtum tamen minime accidit, vel ſi gloria ductus laudis conſequendæ gratia agit, quam tamen minime conſequetur. Principia hæc propter evidentiam ſuam facile admittuntur tanquam vera, & quia intellectu non difficilia contemnuntur, præſertim ab iis, qui nonniſi ſublimi rerum cognitione ſibi placent, aliisque placere ſtudent. Videas tamen contra ea turpiter peccari etiam ab hiſce contemtoribus. Experta loquor, nec deeſſent exempla, quibus fidem facere poteram dictis, niſi eſſent odioſa. Pro certo nimirum haberi velim, quotiescunque de rebus facti verba facio, toties mihi facti cujusdam, quod domeſtica experientia ſuggerit, ideam animo obverſari, etſi nunc prudentia, nunc amor, nunc æquitas, nunc alia moralitatis ratio ſuadeat, ut facti circumſtantias ſingulares taceam.

§. 365.

Aliud principium generale a propo-

Si quis ob rationem quandam, quæ in dato caſu locum habet, pro bono habet, quod propter eam pro bono haberi nequit; ad actionem omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito.

Etenim

Digitized by Google

Etenim ſi ratio, ob quam actionem committendam pro bona habet, in dato caſu obtinet; verum eſt actionem eſſe talem, qualem judicat agens (§. *506. Log.*). Quoniam tamen hæc actio ob rationem iſtam pro bona haberi nequit, falſum eſt actionem talem eſſe bonam (§. *505. Log.*). Quamobrem ſi hoc oſtenderis, ut alter de falſitate fuerit convictus; actionem, quam pro bona habet, bonam non eſſe agnoſcit (§. *983. Log.*). Quoniam itaque actionem, quam committere vult, non amplius ſibi repræſentat tanquam bonam, motivum agendi ſublatum eſt (§. *890. Pſych. empir.*), adeoque actionem omittet (§. *889. Pſych. empir.*). Ad eam igitur omittendam adducitur, nullo nolitionis actu elicito. *ſito revocandi alterum absque motivo nolitionis.*

Aliud nimirum eſt oſtendere actionem eſſe malam, aliud eandem non eſſe bonam. Illud motivum nolitionis præbet; hoc ſaltem ratio eſt, cur volitio ceſſet. Multo evidentius patet veritas propoſitionis præſentis, ubi judicium definitivum agentis ad ſyllogiſmum formalem revoces, quo tanquam concluſio infertur. Syllogiſmus idem eſt, quem ſupra in medium adduximus:

Quæcunque actio talis eſt, ea bona eſt.
Atqui hæc actio talis eſt;
Ergo bona eſt.

Quoniam ratio, ob quam agere volens actionem pro bona habet, in dato caſu obtinet (*per hypotheſin*), hanc actionem eſſe talem, verum eſt, adeoque vera eſt propoſitio minor. Sed quia ob rationem iſtam actio haberi pro bona nequit, falſum eſt actionem iſtiusmodi eſſe bonam, adeoque falſa eſt major. Quodſi falſam eſſe majorem oſtenderis, ut alter convictus idem concedere teneatur; nec concluſionem tanquam veram amplecti poteſt. Ceſſat adeo ratio, cur eam committere velit: nulla vero adhuc adeſt ratio, cur actu poſitivo eam committere nolit.

Digitized by Google

§. 366.

Caſus ſpecialis.

Quodſi quis donis alterius favorem aucupari voluerit, qui donis ſe capi minime patitur, ad donationem omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito. Etenim ſi quis donis alterius favorem ſibi conciliare intendit, actum donationis pro bono habet, quod favore alterius potiatur, adeoque favor alterius obtinendus ratio eſt, cur dona dare eidem velit (§. *56. Ontol.*). Quodſi ergo donaturum convincere potueris, donorum nullum fore effectum, ſed ea ſuperflua haberi debere; ratio ceſſat, cur dona dare velit, conſequenter motivum donandi tollitur (§. *887. Pſych. empir.*). Dona igitur non dat, qui dare voluerat (§. *889. Pſych. empir.*). Ad donationem adeo omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito.

Caſum hunc ſpecialem exempli quaſi loco attulimus, ut propoſitio præcedens rectius intelligatur, & ejus applicatio reddatur facilior. Alias enim eundem terminis generalioribus enunciare poteramus, quemadmodum ex ſequente propoſitione apparet.

§. 367.

Idem generalius enunciatus.

Si quis finis cujusdam gratia agere voluerit, actione autem ſua tanquam medio eundem conſequi nequit; ad eam omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito. Etenim tum actionem, quam committere vult, pro bona habet, quatenus eam medium finem, quem intendit, conſequendi exiſtimat. Quamobrem ubi eum conviceris, quod ea medium non ſit finem iſtum conſequendi, pto bona ob hanc rationem habere eandem non poteſt. Quamobrem cum ad actionem omittendam adducatur, nullo actu nolitionis elicito, qui eam pro bona habet ob rationem, propter quam pro bona haberi nequit (§. 365.); qui finis cujusdam gratia agere vult, per actionem autem ſuam tanquam

Digitized by Google

quam medium eundem conſequi nequit, ad eam omittendam adducitur, nullo actu nolitionis elicito.

Abunde igitur docuimus, actionem omitti ſubinde nullo motivo nolitionis propoſito, ſublato ſaltem motivo volitionis; ſubinde autem requiri, ut non modo motivum volitionis tollatur, verum etiam motivum nolitionis exhibeatur, quia ſcilicet illud nonniſi per hoc tollitur.

§. 368.

Motiva legitima quænam dicantur.

Motiva legitima appellamus, quæ legi naturæ conveniunt, ſeu ad quæ adhibenda ipſa naturæ lege obligamur.

Non perinde eſt, quibusnam motivis utaris ad actiones legi naturæ conformes committendas, eidemque difformes omittendas, ne in convenientia actionis cum lege naturali quicquam deſiderari poſſit; ſed requiritur omnino, ut ipſa etiam motiva eidem conveniant. Subinde tamen neceſſe eſt, ut alia motiva admittantur, mali impediendi, boni promovendi gratia, ubi propter agentis inſcitiam vel malitiam, per ſaltum non emendandam, legitima non ſatis efficacia deprehenduntur. Sed hæc clariora evadent ſuo loco, & ex mox dicendis ex parte patebunt.

§. 369.

Legitima motiva quænam ſint.

Legitimum motivum actionum committendarum eſt earundem bonitas, omittendarum vero malitia. Etenim ſi in actione recta ex parte voluntatis nihil deſiderari debet, voluntas determinari debet per ipſam bonitatem actionis (§. 73. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & ſi ex parte noluntatis nihil deſiderari debet, noluntas determinari debet per ipſam malitiam actionis (§. 74. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero lex naturæ nos obligat ad actionum liberarum rectitudinem (§. 189. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo etiam nos obligat ad determinandam voluntatem per ipſam bonitatem

Digitized by Google

actionis, ad determinandam vero noluntatem per ipſam malitiam actionis. Quare cum anima ſeſe determinare nequeat niſi per motiva (§. *889. Pſych. empir.*), & motiva volitionis ſint repræſentatio boni, motiva vero nolitionis repræſentatio mali (§. *890. Pſych. empir.*); lex naturæ nos obligat, ut ipſa actionum bonitate utamur motivo volitionis, ipſa actionum malitia motivo nolitionis. Quoniam itaque motiva legitima ſunt, ad quæ adhibenda ipſa naturæ lege obligamur (§. 368.); bonitas actionum eſt earundem committendarum, malitia vero earundem omittendarum motivum legitimum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. *153. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcat (§. *155. Part. I. Phil. pract. univ.*), actiones vero intrinſece bonæ & malæ propter determinationes earundem eſſentiales & accidentales, ſine quibus concipi nequeunt, tales deprehendantur (§. *57. 59. Part. I. Phil. pract. univ.*); lex naturæ utique vult, ut actiones bonas committamus, quia bonæ ſunt, malas vero omittamus, quia malæ ſunt. Bonitas itaque actionum ratio eſt, cur ad eas committendas nos obliget lex naturalis; malitia vero ratio eſt, cur ad eas omittendas nos eadem obliget (§. *56. Ontol.*). Quamobrem bonitas eſt motivum actionum committendarum, malitia actionum omittendarum, ad quod adhibendum ipſa naturæ lege obligamur (§. *887. Pſych. empir. & per demonſtrata.*). Enimvero legitimum eſt motivum, ad quod adhibendum ipſa naturæ lege obligamur (§. 368.). Bonitas itaque actionum eſt motivum legitimum eas committendi;

Digitized by Google

tendi; malitia vero earundem motivum legitimum eas omittendi.

Quodſi homines omnes ſufficiente acumine pollerent, nec pravis cupiditatibus ſe in tranſverſum abripi paterentur; nullum prorſus dubium eſt, quin non alio uterentur motivo agendi, quam bonitate actionum, nec alio motivo non agendi, quam malitia actionum intrinſeca. Sed non omnibus datum eſt eandem in caſu quocunque perſpicere, immo nec fieri poteſt, ut, qui eandem agnoſcit, in omni caſu eam perſuadeat alteri cuicunque. Quamobrem non una ratio eſt, ut de motivis aliis ſubinde ſit cogitandum.

§. 370.

Quomodo motiva legitima detegantur.

Motiva legitima detecturus inquirere tenetur, utrum actiones aliqua ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque aliorum, an vero ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque aliorum tendant: iſtud enim agendi, hoc non agendi motivum erit. Etenim lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt (§. *152. Part. I. Phil. pract. univ.*), nec minus ratio habenda eſt perfectionis & imperfectionis aliorum ſtatusque eorundem (§ *223. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ex eo autem, quod actiones tendant ad noſtram ſtatusque noſtri perfectionem, intelliguntur bonæ (§. *554. Pſych. empir.*), & ex eo, quod tendant ad noſtram ſtatusque noſtri imperfectionem, intelliguntur malæ (§. *565. Pſych. empir.*), conſequenter id motivum agendi eſt, quod actio committenda tendat ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri, id vero motivum non agendi eſt, quod actio omittenda tendat ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. *890. Pſych. empir.*). Et idem eodem modo intelligitur de actionibus, quatenus tendunt

ad

Digitized by Google

actionis, ad determinandam vero noluntatem per ipſam malitiam actionis. Quare cum anima ſeſe determinare nequeat niſi per motiva (§. *889. Pſych. empir.*), & motiva volitionis ſint repræſentatio boni, motiva vero nolitionis repræſentatio mali (§. *890. Pſych. empir.*); lex naturæ nos obligat, ut ipſa actionum bonitate utamur motivo volitionis, ipſa actionum malitia motivo nolitionis. Quoniam itaque motiva legitima ſunt, ad quæ adhibenda ipſa naturæ lege obligamur (§. 368.); bonitas actionum eſt earundem committendarum, malitia vero earundem omittendarum motivum legitimum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. *153. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ rationem ſufficientem in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura agnoſcat (§. *155. Part. I. Phil. pract. univ.*), actiones vero intrinſece bonæ & malæ propter determinationes earundem eſſentiales & accidentales, ſine quibus concipi nequeunt, tales deprehendantur (§. *57. 59. Part. I. Phil. pract. univ.*); lex naturæ utique vult, ut actiones bonas committamus, quia bonæ ſunt, malas vero omittamus, quia malæ ſunt. Bonitas itaque actionum ratio eſt, cur ad eas committendas nos obliget lex naturalis; malitia vero ratio eſt, cur ad eas omittendas nos eadem obliget (§. *56. Ontol.*). Quamobrem bonitas eſt motivum actionum committendarum, malitia actionum omittendarum, ad quod adhibendum ipſa naturæ lege obligamur (§. *887. Pſych. empir. & per demonſtrata.*). Enimvero legitimum eſt motivum, ad quod adhibendum ipſa naturæ lege obligamur (§. 368.). Bonitas itaque actionum eſt motivum legitimum eas committendi;

Digitized by Google

tendi; malitia vero earundem motivum legitimum eas omittendi.

Quodſi homines omnes ſufficiente acumine pollerent, nec pravis cupiditatibus ſe in transverſum abripi paterentur; nullum prorſus dubium eſt, quin non alio uterentur motivo agendi, quam bonitate actionum, nec alio motivo non agendi, quam malitia actionum intrinſeca. Sed non omnibus datum eſt eandem in caſu quocunque perſpicere, immo nec fieri poteſt, ut, qui eandem agnoſcit, in omni caſu eam perſuadeat alteri cuicunque. Quamobrem non una ratio eſt, ut de motivis aliis ſubinde ſit cogitandum.

§. 370.

Quomodo motiva legitima detegantur.

Motiva legitima detecturus inquirere tenetur, utrum actiones aliqua ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque aliorum, an vero ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque aliorum tendant: iſtud enim agendi, hoc non agendi motivum erit. Etenim lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt (§. *152. Part. I. Phil. pract. univ.*), nec minus ratio habenda eſt perfectionis & imperfectionis aliorum ſtatusque eorundem (§ *223. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ex eo autem, quod actiones tendant ad noſtram ſtatusque noſtri perfectionem, intelliguntur bonæ (§. *554. Pſych. empir.*), & ex eo, quod tendant ad noſtram ſtatusque noſtri imperfectionem, intelliguntur malæ (§. *565. Pſych. empir.*), conſequenter id motivum agendi eſt, quod actio committenda tendat ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri, id vero motivum non agendi eſt, quod actio omittenda tendat ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. *890. Pſych. empir.*). Et idem eodem modo intelligitur de actionibus, quatenus tendunt

ad

Digitized by Google

ad aliorum vel ſtatus eorundem perfectionem aut imperfectionem. Lex igitur naturæ nos obligat, ut utamur motivo agendi, quod actio aliqua tendat ad noſtram aliorumque ac ſtatus noſtri aliorumque perfectionem, & tanquam motivo non agendi, quod eadem tendat ad noſtram aliorumque ac ſtatus noſtri aliorumque imperfectionem. Legitimum adeo cum ſit motivum, ad quod adhibendum ipſa naturæ lege obligamur (§. 368.); legitima motiva detecturus inquirere tenetur, utrum actio aliqua tendat ad perfectionem ſuam aliorumque, vel ad perfectionem ſtatus ſui aliorumque, an vero tendat ad imperfectionem noſtram aliorumque, vel imperfectionem ſtatus noſtri aliorumque.

Oſtenditur etiam hoc modo. Motivum legitimum actionum committendarum eſt earundem bonitas, motivum vero legitimum actionum omittendarum eſt earundem malitia (§. 369.). Quamobrem motiva legitima agendi & non agendi detecturus in actionum bonitatem atque malitiam inquirere debet. Enimvero actiónes bonæ ſunt, quæ tendunt ad perfectionem hominis ſtatusque ejusdem (§. 554. *Pſych. empir.*), adeoque tam ad perfectionem propriam ſtatusque proprii, quam ad perfectionem alterius cujuscunque atque ſtatus ejusdem. Et ſimiliter malæ ſunt actiones, quæ tendunt ad imperfectionem hominis ſtatusque ejusdem (§. 565. *Pſych. empir.*), adeoque tam ad imperfectionem propriam ſtatusque proprii, quam ad imperfectionem alterius cujuscunque atque ſtatus ejus. Utrobique vero nos obligat lex naturæ (§. 152. 223. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Motiva igitur agendi & non agendi detecturus inquirere tenetur, num actiones tendant ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque aliorum, an vero ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque aliorum. Iſtud enim agendi, hoc non agendi motivum eſt (§. 890. *Pſych. empir.*).

Actio-

Digitized by Google

Actionem aliquam eſſe lege naturali præceptam per hoc demonſtratur, quod ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque perfectionem alterius cujuscunque ſtatusque ejusdem tendat (*§. 167. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*), & ex adverſo actionem aliquam eſſe lege naturali prohibitam per hoc evincitur, quod tendat ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri atque ad imperfectionem alterius cujuscunque & ſtatus ejusdem (*§. 168. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi theoria legum naturalium a priori demonſtratur, demonſtrationes motiva agendi & non agendi legitima continent, ut adeo non modo ad aſſenſum compellant intellectum, verum etiam voluntatem & noluntatem una determinent. Videmus itaque utilitatem theoriæ demonſtrativæ legum naturalium, quæ a theoria alia expectari minime poteſt. Iſtiusmodi autem theoria cum hactenus deſideretur, non utiliorem operam a nobis collocari poſſe exiſtimavimus, quam in ea condenda. Et quamvis eadem non ſit ad omnium palatum (erit autem ad palatum plurium, ſi quidem adoleſcentes ac juvenes ad ſolidam eamque veram philoſophandi rationem tempeſtive adducantur); theoriæ hujus gnari pleraque in ea tradita ad uſum aliorum transferent, quibus eam ſuam facere non conceditur: quod quomodo fieri poſſit, in tractatione ſpeciali Philoſophiæ moralis, quæ Ethica dici ſolet, luculenter docebimus. Vi demonſtrationis a priori bonitatis actionum lege naturæ præceptarum & malitiæ actionum eadem lege prohibitarum convincimur (*§. 990. Log.*), atque adeo cognitionem vivam tam bonitatis, quam malitiæ actionum acquirimus (§ 248.). Quid ergo mirum, quod cognitio hoc pacto acquiſita fiat motivum voluntatis atque noluntatis (§. 244.)?

§. 371.

Motiva quæcunque detecturus inquirere debet in ea, quæ ex actione aliqua ſive per ſe, ſive ob circumſtantias præſentes conſequuntur, ac porro diſpiciendum, utrum ea ſint agenti aut cuidam alteri quocunque modo bona, an mala. Quæ enim ratio- *Motiva in genere, quomodo detegantur.*

Digitized by Google

minationem generalem in caſu dato appetit, quod bonum eſſe agnoſcit (*§. 904. Pſych. empir.*); ita cujus voluntas generaliter determinata eſt ad legem naturæ ſervandam, ea agere vult, quæ eidem convenire certo cognoſcit. Quodſi enim voluntas ejus generaliter determinata ſit ad naturæ legem ſervandam, neceſſe eſt ut bonum judicet committere actiones, quæ legi naturali conformes ſunt (*§. 892. Pſych. empir.*). Unde patet, quomodo convenientia actionis cum lege naturæ ſit motivum agendi (*§. 890. Pſych. empir.*). Elucet hinc utilitas determinationis generalis voluntatis ad naturæ legem ſervandam, quam in Philoſophia practica univerſali intendimus. Enimvero nemo non videt, ubi voluntas ad cuſtodiam legis naturalis generaliter determinata eſt, & homo ex iſta determinatione generali agit, non adhibitis motivis particularibus, operam dandam eſſe, ut convenientia actionum cum lege naturali citra errorem cognoſcatur. Quodſi enim per errorem judicet, actionem aliquam cum lege naturali convenire, eam committit, etiamſi eidem contrarietur, nec a propoſito ſuo ſeſe avocari patitur, niſi ubi eum erroris ſui conviceris. Ejus ſcilicet judicium definitivum practicum hoc continetur ſyllogiſmo:

Omnis actio legi naturæ conveniens eſt committenda.
Atqui hæc actio legi naturæ conveniens eſt;
Ergo hæc actio committenda.

Quodſi minor fuerit falſa, falſa quoque concluſio eſt (*§. 539. Log.*): Falſitatem tamen concluſionis non agnoſcit, niſi ubi convictus fuerit minorem falſam eſſe. Ceterum hinc denuo perſpicitur neceſſitas theoriæ demonſtrativæ legum naturalium, quam condere conſtituimus.

§. 373.

Diſconvenientia cum lege naturæ quando motivum non agendi.

Si cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, vel noluntas eam transgrediendi, ei diſconvenientia actionis cum eadem eſt motivum non agendi. Etenim qui naturæ legem ſervat, is actiones omittit, ad quas omittendas per eandem obligatur (*§. 138. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque is, cui ſeria

ſeria eſt voluntas illam ſervandi, actiones committere non vult, quæ eidem contrariæ ſunt, conſequenter ubi disconvenientiam actionis alicujus agnoſcit cognitione viva, adeoque ejusdem fuerit convictus (§. 248.), hæc ipſi eſt motivum nolendi committere actionem (§. 244.). Atque adeo patet, ſi cui eſt voluntas ſeria legem naturæ ſervandi, ei diſconvenientiam cum eadem eſſe motivum non agendi.

Similiter qui legem naturæ transgredi non vult, is non vult committere actiones eidem contrarias (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo agnoſcit cognitione viva actionem aliquam cum lege naturæ pugnare, conſequenter diſconvenientiæ ejusdem cum eadem fuerit convictus (§. 248.), hæc ipſa diſconvenientia ſit motivum actionis non committendæ (§. 244.). Unde denuo patet, ei, cui noluntas eſt legem naturæ transgrediendi, diſconvenientiam actionis cum lege naturali eſſe motivum non agendi.

Nimirum cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ejus noluntas generaliter determinata eſt ad non committendas actiones legi naturæ contrarias, quemadmodum per naturam ſuam generaliter determinata eſt ad malum averſandum. Sicuti itaque homo propter hanc determinationem generalem in caſu dato averſatur, quod malum eſſe agnoſcit (*§. 590. Pſych. empir.*); ita is, cujus noluntas generaliter determinata eſt ad non committendas actiones legi naturæ contrarias, conſequenter ad legem naturæ non transgrediendum (*§. 139. Part. I. Phil. pract. univ.*), ea agere non vult, quæ eidem contraria agnoſcit. Quodſi enim voluntas ejus generaliter determinata ſit ad naturæ legem non transgrediendum, neceſſe eſt, ut malum judicet committere actiones legi naturæ adverſas (*§. 907. Pſych. empir.*). Unde patet, quomodo diſconvenientia cum lege naturali ſit motivum non agendi (*§. 890. Pſych. empir.*). Elucet hinc utilitas determinationis generalis noluntatis ad naturæ legem transgrediendam, quam

quam in Philoſophia practica univerſali intendimus. Enimvero nemo non etiam hic videt, ubi noluntas ad legem naturæ transgrediendum generaliter determinata eſt, & homo ex iſta determinatione generali non agit, non adhibitis motivis nolitionis particularibus, maximam curam eſſe habendam, ut diſconvenientia actionum cum lege naturali citra errorem cognoſcatur. Quodſi enim per errorem judicet, actionem aliquam legi naturæ contrariam eſſe, eam omittet, nec committere volet, etiamſi eidem conveniat, immo ad eam committendam ſeſe adduci minime patietur, niſi ubi eum erroris conviceris. Judicium ejus definitivum practicum hoc nititur ſyllogiſmo:

Quæcunque actio legi naturæ contraria, ea omittenda, non vero committenda eſt.

Atqui hæc actio legi naturæ contraria eſt;

Ergo hæc actio omittenda, non committenda eſt.

Quodſi minor fuerit falſa, falſa concluſio eſt (*§. 539. Log.*), adeoque concluſionis falſitatem non agnoſcit, niſi ubi convictus fuerit minorem eſſe falſam. Perſpicitur quoque ex hiſce, quam neceſſaria ſit theoria demonſtrativa legum naturalium, ut vera & certa habeatur diſconvenientiæ actionum cum eadem cognitio. Ex antea demonſtratis (*§. 360 & ſeqq.*), ad actionem non committendam, adeoque ad eam omittendam eum, qui eandem committere vult, adduci vel ſublato tantummodo motivo volitionis, adeoque ipſo volitionis actu, nullo actu nolitionis elicito, vel actu nolitionis elicito. Qui legem naturæ ſervare vult, hoc ipſo omittere vult actiones eidem contrarias: enimvero ubi eandem transgredi non vult, hoc ipſo actu poſitivo non vult committere actionem eidem contrariam. In priori caſu voluntas generaliter determinata eſt per motiva generalia ad non agendum, niſi quod legi naturali convenit, adeoque agens non agit, niſi ubi pro certo habet actionem legi naturæ convenire: in caſu poſteriori noluntas generaliter determinata eſt per motiva itidem generalia ad non committendas actiones legi naturæ contrarias, adeoque agens non agit, ubi pro certo habet, actionem aliquam legi naturæ contrariam eſſe. In utroque caſu diſconvenientia

actionis

Digitized by Google

actionis cum lege naturali motivum non agendi, ſed non eodem modo. Etenim in caſu noluntatis generaliter determinatæ ad legem naturæ tranſgrediendum diſconvenientia actionis cum lege naturali per ſe motivum eſt non agendi: in caſu autem voluntatis ad legem naturæ ſervandam generaliter determinatæ diſconvenientia actionis cum lege naturali non eſt motivum non agendi, niſi quatenus motivum agendi deeſt.

§. 374.

Motivum agendi & non agendi ejus, qui vitam perfectam vivere vult.

Qui vitam perfectam vivere vult, ei convenientia actionis cum lege naturali eſt motivum agendi, diſconvenientia motivum non agendi. Qui vitæ perfectæ ſtudet, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17.), conſequenter qui eam vivere vult, is non vult committere actiones legi naturali contrarias, vult autem committere actiones eidem convenientes, adeoque ipſi ſeria eſt voluntas ſervandi legem naturæ (§. *138. Part. I. Phil. pract. univ.*) atque noluntas ſeria transgrediendi eandem (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ei convenientia actionis cum lege naturali eſt motivum agendi (§. 372.), & cui noluntas ſeria legem naturæ transgrediendi, eidem quoque diſconvenientia actionis cum iſta lege eſt motivum non agendi (§. 373.). Quare convenientia actionis cum lege naturali agendi, diſconvenientia actionis cum eadem lege non agendi motivum eſt ei, qui vitam perfectam vivere vult.

Nimirum ſi voluntas determinata fuerit ad vivendum vitam perfectam, generaliter quoque determinata eſt ad legem naturæ ſervandam, & ad eam nullo modo tranſgrediendam, quatenus evidens eſt vitam perfectam non vivi, niſi lex naturæ ſervetur, nec contra eam quicquam agatur (§. 17.). Quamobrem quæ de voluntate ſervandi, & noluntate transgrediendi legem naturæ generaliter

raliter determinata quoad motiva demonſtrata fuerunt, ea etiam de voluntate ad vitam perfectam vivendam determinata valent.

§. 375.

Virtutem colentis motivum.

Qui virtutem colit, ei convenientia actionis cum lege naturali agendi, diſconvenientia non agendi motivum eſt. Qui enim virtutem colit, ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. *328. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque voluntas ſeria, legem naturæ ſervandi (§. *138. Part. I. Phil. pract. univ.*), noluntas eam transgrediendi (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*). Sed cui voluntas ſeria eſt legem naturæ ſervandi, ei motivum agendi eſt convenientia actionis cum lege naturali (§. 372.), motivum vero non agendi diſconvenientia actionis cum eadem lege (§. 373.). Ergo qui virtutem colit, ei convenientia actionis cum lege naturali motivum agendi, diſconvenientia non agendi motivum eſt.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui vitam perfectam vivere ſtudet, virtutem colit, & contra qui virtutem colit, vitam perfectam vivere ſtudet (§. 26.). Quamobrem eadem ſunt motiva agendi & non agendi virtutem colenti, atque vitam perfectam vivere ſtudenti. Sed ei, qui vitam perfectam vivere vult, convenientia actionis cum lege naturali eſt motivum agendi, diſconvenientia motivum non agendi (§. 374.). Ergo etiam ei, qui virtutem colit, motivum agendi eſt convenientia actionis cum lege naturali, motivum vero non agendi diſconvenientia cum eadem.

Oſtenditur porro hoc modo. Qui virtutem colit, ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi legi naturæ conformes (§. *328. Part. I. Phil. pract. univ.*).

Digitized by Google

univ.). Quoniam itaque bonum judicamus, quod volumus (§. *892. Pſych. empir.*); neceſſe eſt, ut qui virtutem colit, bonum exiſtimet committere actiones legi naturæ conformes & omittere eidem difformes. Quamobrem cum repræſentatio boni motivum ſit (§. *890. Pſych. empir.*); evidens omnino eſt virtutem colenti motivum agendi eſſe convenientiam actionis cum lege naturali, motivum vero non agendi diſconvenientiam cum eadem.

Quæ paulo ante de vita perfecta annotavimus (*not. §. 374.*), quatenus eam vivere volenti motivum agendi eſt convenientia actionis cum lege naturali, motivum vero non agendi diſconvenientia cum eadem; ea quoque de virtute tenenda ſunt, quatenus qui eam colit, iisdem motivis utitur. Cur propoſitionem præſentem modis variis demonſtraverimus, ex iis patet, quæ alias in caſu ſimili monuimus.

§. 376.

Motivum non agendi ejus qui vitium averſatur.

Qui vitium averſatur, ei motivum non agendi eſt diſconvenientia actionis cum lege naturali. Etenim cum id nobis repræſentemus tanquam malum, quod averſamur (§. *892. 893. Pſych. empir.*), qui vitium averſatur, is ſibi ipſum tanquam malum repræſentare debet. Quare cum vitium in habitu actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præſcribitur, conſiſtat (§. *322. Part. I. Phil. pract. univ.*); ideo actiones habet pro malis, quod eas legi naturæ contrariari novit. Quoniam itaque repræſentatio mali motivum nolitionis (§. *890. Pſych. empir.*), adeoque motivum non agendi eſt; diſconvenientia actionis cum lege naturali ei motivum non agendi eſt, qui vitium averſatur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Vitio deditus legem naturæ transgreditur (§. *357. Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui

Digitized by Google

adeo vitium averſatur, is averſatur transgreſſionem legis naturalis, ſeu ei eſt noluntas legem naturæ transgrediendi. Enimvero cui eſt noluntas legem naturæ transgrediendi, ei diſconvenientia actionis cum lege naturali eſt motivum non agendi. Diſconvenientia igitur actionis cum lege naturali eſt motivum non agendi ei, qui vitium averſatur.

Demonſtrari etiam hoc modo poteſt. Qui vitæ perfectæ ſtudet, ne latum quidem unguem a lege naturali recedere, ſed actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17.), conſequenter cum vitium in habitu actiones ſuas ratione contraria dirigendi conſiſtat, quam lege naturali præſcribitur (§. *322. Part. I. Phil. pract. univ.*), idem neceſſario averſatur (§. *28. Ontol.*). Sed qui vitam perfectam vivere vult, ei diſconvenientia actionis cum lege naturali motivum non agendi eſt (§. 374.) Ergo eadem motivum non agendi eſt ei, qui vitium averſatur.

Diximus ante (§. 375.), virtutem colenti diſconvenientiam actionis cum lege naturæ eſſe motivum non agendi. Qui virtutem colit, vitium neceſſario averſatur, cum vitium & virtus ſibi mutuo contrarientur (*§. 321. 322. Part. I. Phil. pract. univ.*), fieri autem non poſſit, ut quis idem ſimul velit ac nolit (*§. 28. Ontol.*). Quamobrem non neceſſarium videbatur demonſtrari, quod vitium averſanti motivum non agendi ſit diſconvenientia actionis cum lege naturali, cum per modum corollarii ex propoſitione præcedente colligi potuiſſet. Enimvero diſconvenientia actionis cum lege naturali aliter influit in omiſſionem actionis legi naturæ contrariæ, ſi refertur ad virtutis amorem, quam ſi ad vitium. Nam ſi ad iſtum refertur, motivum volitionis tollit, quatenus voluntas generaliter determinata ad committendas actiones legi naturali convenientes, adeoque actio ceſſat, ubi legi naturæ non convenire deprehenditur: ſi vero ad hoc refertur, motivum nolitionis ponitur, quatenus noluntas generaliter determinata ad non

Digitized by Google

non committendas actiones legi naturæ contrarias, adeoque ad eandem committendam ſeſe adduci minime patitur agens, quia actio legi naturæ contraria. In caſu adeo priore nonniſi privative, in poſteriore autem poſitive influit in omiſſionem actionis. Magna autem differentia intercedit, utrum motivum poſitive, an privative influat in actionem. Et ubi actionum rectitudini ſtudemus, uterque requiritur influxus, nec idem a vera virtute abeſſe poteſt. Noluntatem tanquam peculiarem facultatem animæ conſiderandam eſſe, in Pſychologia empirica docuimus. In eandem vero actionem ſive poſitivam, ſive privativam omnes omnino facultates animæ influere debent, niſi aliquis in eà defectus notari debet. Theologis expendendum relinquo, annon concurſus omnium facultatum appetendi & averſandi ad eundem appetitionis vel averſionis actum ſit id, quod *totum cor* appellat Scriptura ſacra, veluti dum Chriſtus DEUM toto corde amari jubet.

§. 377.

Motivum actionem non omittendi ejus, qui vitium averſatur.

Qui vitium averſatur, ei motivum actionem non omittendi eſt convenientia ejus cum lege naturali. Qui enim vitium averſatur, is averſatur actiones legi naturæ cotrarias (§ *322. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque eas non vult committere, conſequenter diſpoſitus eſt ad eas omittendas. Quamobrem ubi cognoſcit, actionem aliquam legi naturæ convenire, hoc ipſo intelligit eam eidem non eſſe contrariam, conſequenter ſe ad eam omittendam diſpoſitum non eſſe ſentit, adeoque nolitio eam committendi, ſeu volitio eandem omittendi ceſſat. Quoniam itaque convenientia actionis cum lege naturali eſt ratio ſufficiens, cur ceſſet actus poſitivus volitionis eam omittendi (§. *56. Ontol.*); eadem omnino motivum eſt actionem non omittendi ei, qui vitium averſatur (§. *887. Pſych. empir.*).

Motivum hoc privative influit in actionem committendam, quatenus per ipſum nolitio eam committendi, adeoque

 voli-

Digitized by Google

volitio eandem omittendi ceſſat, etſi nondum ponatur volitio eam committendi. Non tamen nullus eſt hic effectus. Tollitur enim repugnantia ad agendum, quam adhuc percipimus, ubi convenientia actionis cum lege naturali elicit volitionem actionis committendæ. Non caret difficultate, ubi ſatis caute eloqui volueris, quæ ſatis clare ac diſtincte percipiuntur. Etſi enim in ſe ſpectata enunciabilia ſint, vocabulorum tamen commoditate deſtituimur. Singulari igitur acumine atque attentione opus eſt, ne vocabula in ſenſum alienum trahas. Pertinent talia ad abditos animæ receſſus, qui pro inacceſſis vulgo habentur. Si qui ergo fuerint, qui nimiam ſubtilitatem accuſent; illi ſciant velim ſe eſſe ex illorum numero, quibus ad iſtos aditus denegatur, & pro certo teneant, etiam in Philoſophia morali philoſophum ultra vulgus ſapere debere, & ultra eos, qui altius quam vulgus ſapere nolunt.

§. 378.

Cui voluntas divina motivum agendi.

Cui eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult; ei motivum eſt agendi voluntas divina. Cui enim eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, ejus voluntas generaliter determinata eſt ad eas committendas actiones, quas DEUS a nobis committi vult. Quamobrem ubi occaſione agendi oblata agnoſcit actionem hanc eſſe voluntati divinæ conformem, eam ideo committere vult, quod DEUM hoc velle pro certo habet. Voluntas igitur divina eſt ratio ſufficiens, cur actionem iſtam committere velit (§. *56. Ontol.*). Quoniam itaque motivum agendi eſt, quod eſt agendi ratio ſufficiens (§. *887. Pſych. empir.*); quin voluntas divina ſit motivum agendi ei, cui eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, dubitandum non eſt.

Per ſe intelligitur, ſeriam hic ſupponi voluntatem agendi, quæ DEUS vult, qualem diximus conſtantem & perpetuam (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*), & eam quidem generalem, quæ in genere fertur in actiones voluntati divinæ conformes. Voluntas

Digitized by Google

luntas generaliter determinari nequit niſi per motiva, adeoque etiam in hypotheſi propoſitionis præſentis ſupponitur per motivum aliquod determinata: hic tamen nondum locus eſt, ut oſtendatur quænam ſint iſta motiva. Etſi enim ex iis, quæ in Theologiæ naturalis parte prima demonſtrata ſunt, cum de Jure DEI in homines ageremus, deduci facile poſſent; nolumus tamen ea hic tradere, quæ ad praxin officiorum erga DEUM, adeoque ad Ethicam pertinent. Hic ſufficit oſtendiſſe; quandonam voluntas DEI motivum eſſe poſſit agendi, ne eodem intempeſtive utamur nullo effectu. Quodſi generaliter determinata fuerit voluntas ad committendas actiones, quas DEUS committi vult; ei in caſu quocunque ſpeciali ſufficit cognoſcere, quod hoc DEUS velit, ut ipſe hoc facere velit. Judicium enim definitivum practicum hoc nititur Syllogiſmo catholico.

Quicquid DEUS vult, illud eſt faciendum.
Atqui hoc DEUS vult;
Ergo hoc eſt faciendum.

Seu:

Omnis actio voluntati divinæ conformis eſt committenda.
Sed hæc actio eſt voluntati divinæ conformis;
Ergo hæc actio eſt committenda.

Quodſi itaque voluntas generaliter nondum fuerit determinata ad faciendum, quod DEUS vult, ſeu ad committendas actiones voluntati divinæ conformes; major non agnoſcitur vera, conſequenter nec concluſo tanquam vera admittitur, ſit ita quod minoris agnoſcatur veritas. Enimvero cujus voluntas generaliter determinata eſt ad faciendum, quod DEUS vult, ſeu ad committendas actiones voluntati ejus conformes; is veritatem majoris admittit, conſequenter etiam concluſionem ubi veritatem minoris agnoſcit (*§. 537. Log.*). Atque adeo vides, quandonam voluntati divinæ locus ſit inter motiva agendi generalia.

§. 397.

Cui eſt noluntas agendi, quæ DEUS non vult, ei noluntas divina eſt motivum non agendi. Etenim cui noluntas agen- *Cui noluntas divina moti-*

vum non agendi. agendi eſt, quæ DEUS non vult, ejus noluntas generaliter determinata eſt ad eas actiones non committendas, quas DEUS committi non vult. Quamobrem ubi occaſione agendi oblata agnoſcit actionem hanc eſſe voluntati divinæ contrariam; eam ideo committere non vult, quod DEUM hoc nolle pro certo habet. Noluntas igitur divina eſt ratio ſufficiens, cur actionem iſtam committere nolit (§. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque motivum non agendi eſt, quod non agendi ratio ſufficiens (§. 887. *Pſych. empir.*); quin noluntas divina ſit motivum non agendi ei, cui eſt noluntas agendi, quæ DEUS vult, dubitandum non eſt.

Per ſe intelligitur, ſupponi hic noluntatem ſeriam, cui et competit conſtantia & perpetuitas, quam voluntati tribuimus (§. 1062. *Part. I. Theol. nat.*). Nec minus patet, noluntatem generaliter non determinari niſi per motiva (§. 889. *Pſych. empir.*), quæ quænam ſint alibi docebitur, ubi praxis officiorum erga DEUM explicabitur. Hic denuo ſufficit oſtendiſſe, quandonam noluntas divina motivum non agendi eſſe queat, ne eodem intempeſtive utamur ſine ullo effectu. Nimirum determinatio noluntatis in caſu particulari hoc nititur Syllogiſmo catholico:

Quicquid DEUS non vult, illud non eſt faciendum.
Sed hoc DEUS non vult;
Ergo hoc non eſt faciendum.

Seu:

Omnis actio voluntati divinæ contraria non eſt committenda.
Sed hæc actio voluntati divinæ contraria eſt;
Ergo hæc actio non eſt committenda.

Quodſi itaque noluntas generaliter nondum fuerit determinata ad non faciendum, quod DEUS non vult, major non agnoſcitur vera, adeoque nec concluſio tanquam vera admittitur, etiamſi minoris veritatem agnoſcas. Aſt ubi illa generaliter determinata fuerit, & majoris agnoſcitur veritas, & concluſio tanquam

Digitized by Google

quam vera admittitur, ubi minoris veritas agnoſcitur. Atque hinc clariſſime perſpicitur, quandonam noluntati divinæ locus ſit inter motiva generalia non agendi.

§. 380.

Voluntas & noluntas alterius quando motivum agendi & non agendi.

Cui voluntas eſt agendi & noluntas non agendi generaliter determinata, quod alter vult, vel non vult; ei motivum agendi in caſu particulari voluntas, non agendi motivum noluntas alterius eſt. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo duas propoſitiones anteriores demonſtravimus (§. 378. 379.).

Propoſitio hæc pro generali haberi poteſt, ut duas anteriores tanquam caſus ſpeciales ſub ſe complectatur, quæ adeo per modum corollarii hinc inferri poterant, niſi easdem præmitti conſultius viſum fuiſſet, propterea quod uſus earundem latius patet, quam præſentis, ſi ea ſpecialiter de hominibus accipiatur. Habet tamen ea etiam in ſignificatu ſtrictiori accepta, quemadmodum a nobis hic accipitur, non exiguum uſum, nimirum in flectenda voluntate & noluntate liberorum atque ſubditorum, ut illi ad voluntatem parentum, hic ad nutum ſuperiorum actiones ſuas componant. Uſui quoque eſt in conſervanda amicitia. Ne vero motivo hoc abutatur agens in detrimentum virtutis ac vitæ perfectæ, cautiones ſuo loco adjiciemus. Ne tamen prætermiſiſſe videamur, quod ad praxin generalem ſpectare videtur, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 381.

Qualis eſſe debeat voluntas & noluntas alterius, ut ſit motivum.

Si voluntas alterius eſſe debet motivum agendi & noluntas motivum non agendi, utraque legi naturali conformis, neutra vero contraria eſſe debet. Obligatio enim, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt (§. *142. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque nemo actiones legi naturæ contrarias committere, vel eidem conformes omittere debet, quia alter vult illas ab ipſo committi, vel non vult has ab eodem committi. Voluntas igitur alterius non poteſt eſſe

vum non agendi.

agendi eſt, quæ DEUS non vult, ejus noluntas generaliter determinata eſt ad eas actiones non committendas, quas DEUS committi non vult. Quamobrem ubi occaſione agendi oblata agnoſcit actionem hanc eſſe voluntati divinæ contrariam; eam ideo committere non vult, quod DEUM hoc nolle pro certo habet. Noluntas igitur divina eſt ratio ſufficiens, cur actionem iſtam committere nolit (§. *56. Ontol.*). Quoniam itaque motivum non agendi eſt, quod non agendi ratio ſufficiens (§. *887. Pſych. empir.*); quin noluntas divina ſit motivum non agendi ei, cui eſt noluntas agendi, quæ DEUS vult, dubitandum non eſt.

Per ſe intelligitur, ſupponi hic noluntatem ſeriam, cui ea competit conſtantia & perpetuitas, quam voluntati tribuimus (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*). Nec minus patet, noluntatem generaliter non determinari niſi per motiva (§. *889. Pſych. empir.*), quæ quænam ſint alibi docebitur, ubi praxis officiorum erga DEUM explicabitur. Hic denuo ſufficit oſtendiſſe, quandonam noluntas divina motivum non agendi eſſe queat, ne eodem intempeſtive utamur ſine ullo effectu. Nimirum determinatio noluntatis in caſu particulari hoc nititur Syllogiſmo catholico:

Quicquid DEUS non vult, illud non eſt faciendum.
Sed hoc DEUS non vult;
Ergo hoc non eſt faciendum.

Seu:

Omnis actio voluntati divinæ contraria non eſt committenda.
Sed hæc actio voluntati divinæ contraria eſt;
Ergo hæc actio non eſt committenda.

Quodſi itaque noluntas generaliter nondum fuerit determinata ad non faciendum, quod DEUS non vult, major non agnoſcitur vera, adeoque nec concluſio tanquam vera admittitur, etiamſi minoris veritatem agnoſcas. Aſt ubi illa generaliter determinata fuerit, & majoris agnoſcitur veritas, & concluſio tanquam

quam

Digitized by Google

quam vera admittitur, ubi minoris veritas agnoſcitur. Atque hinc clariſſime perſpicitur, quandonam noluntati divinæ locus ſit inter motiva generalia non agendi.

§. 380.

Voluntas & noluntas alterius quando motivum agendi & non agendi.

Cui voluntas eſt agendi & noluntas non agendi generaliter determinata, quod alter vult, vel non vult; ei motivum agendi in caſu particulari voluntas, non agendi motivum noluntas alterius eſt. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo duas propoſitiones anteriores demonſtravimus (§. 378. 379.).

Propoſitio hæc pro generali haberi poteſt, ut duas anteriores tanquam caſus ſpeciales ſub ſe complectatur, quæ adeo per modum corollarii hinc inferri poterant, niſi easdem præmitti conſultius viſum fuiſſet, propterea quod uſus earundem latius patet, quam præſentis, ſi ea ſpecialiter de hominibus accipiatur. Habet tamen ea etiam in ſignificatu ſtrictiori accepta, quemadmodum a nobis hic accipitur, non exiguum uſum, nimirum in flectenda voluntate & noluntate liberorum atque ſubditorum, ut illi ad voluntatem parentum, hic ad nutum ſuperiorum actiones ſuas componant. Uſui quoque eſt in conſervanda amicitia. Ne vero motivo hoc abutatur agens in detrimentum virtutis ac vitæ perfectæ, cautiones ſuo loco adjiciemus. Ne tamen prætermiſiſſe videamur, quod ad praxin generalem ſpectare videtur, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 381.

Qualis eſſe debeat voluntas & noluntas alterius, ut ſit motivum.

Si voluntas alterius eſſe debet motivum agendi & noluntas motivum non agendi, utraque legi naturali conformis, neutra vero contraria eſſe debet. Obligatio enim, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt (§. *142. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque nemo actiones legi naturæ contrarias committere, vel eidem conformes omittere debet, quia alter vult illas ab ipſo committi, vel non vult has ab eodem committi. Voluntas igitur alterius non poteſt eſſe

Digitized by Google

eſſe ratio, cur actionem aliquam committamus, ſi ea fuerit legi naturæ contraria, nec noluntas alterius ratio eſſe poteſt, cur actionem iſtam non committamus, ſi ea fuerit legi naturæ conformis (§. *56. Ontol.*). Quoniam itaque motivum eſt, quod eſt ratio ſufficiens, cur quid velimus, vel nolimus (§. *887. Pſych. empir.*); voluntas alterius motivum agendi eſſe non debet, ſi quod alter vult, legi naturæ contrarium, nec noluntas alterius motivum non agendi eſſe debet, ſi quod alter non vult, legi naturæ conforme, conſequenter ſi voluntas alterius agendi, noluntas non agendi motivum eſſe debet, utraque legi naturæ conformis, neutra difformis eſſe debet.

Ecce adeo cautionem adhibendam, ubi voluntate vel noluntate alterius tanquam agendi vel non agendi motivo uti volueris. Ea ſi negligatur, abuſui locus eſt, qui virtuti infeſtus. Quænam vero ſint rationes, cur motivo hoc abutantur plurimi, ſuo conſtabit loco. Ceterum generale hoc principium inſervit cautionibus ſpecialibus in caſibus particularibusdetegendis.

§. 382.

Quinam cautione iſta rite utatur.

Quoniam voluntas alterius non debet eſſe motivum agendi, nec noluntas alterius motivum non agendi, niſi quando utraque legi naturali conformis, neutra vero difformis eſt (§. 381.); actionem vero nullam legi naturæ contrariam committere, nec eidem conformem omittere vult, qui legem naturæ ſervare cupit (§. *138. Part. I. Phil. pract. univ.*); *cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ei voluntas alterius nunquam eſt motivum agendi, nec noluntas motivum non agendi, niſi quando utraque legi naturæ conformis, neutra vero difformis eſt.*

Cautionem adeo, quam inculcavimus, ne quis voluntate alterius aut noluntate abutatur tanquam motivo agendi, vel

Digitized by Google

vel non agendi nemo adhibebit niſi cujus voluntas generaliter determinata eſt ad naturæ legem ſervandam. Quamobrem cum ei convenientia actionis cum lege naturali ſit motivum agendi, diſconvenientia vero motivum non agendi (§. 372.); voluntas alterius convenientiæ actionis cum lege naturali & noluntas alterius cum diſconvenientia cum lege eadem tanquam motivum rite conjungitur. Ubi vero hæc motiva inter ſe colliduntur, convenientia actionis cum lege naturæ vincit voluntatem alterius quoad effectum motivi, & diſconvenientia ſimiliter noluntatem.

§. 383.

Præceptum divinum quando motivum agendi.

Si cui ſeria eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, ei præceptum divinum motivum agendi eſt. Etenim cui ſeria eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, ei voluntas divina eſt motivum agendi (§. 378.). Enimvero quæ DEUS præcipit, ea a nobis fieri vult (§. 984. *Part. I. Theol. nat.*). Ergo ei, cui ſeria eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, motivum agendi eſt præceptum divinum.

Dici vulgo ſolet, præceptum divinum ſeu mandatum divinum, quemadmodum Theologi loqui ſolent, eſſe motivum actionum noſtrarum, & ubi earundem motiva commemorantur, mandati divini etiam mentio injicitur. Immo conſtat oratores ſacros, quos concionatores vocare ſolemus, omnium frequentiſſime uti hoc motivo. Quoniam igitur nos ad propoſitiones determinatas revocamus, quæ vulgo vage enunciantur; igitur noſtrum eſſe duximus hic quoque demonſtrare, quandonam mandatum ſeu præceptum divinum agendi motivum eſſe poſſit: id quod uſui eſt, ne temere ac præpoſtere hoc motivo utamur. Hic enim propoſitionum determinatarum uſus eſt, quem juxta alios in Philoſophia noſtra intendimus, ut earum applicatio fiat in loco. Quodſi ergo alterum permovere volueris ad actionem aliquam committendam, quia DEUS eandem præcipit; neceſſe eſt ut ante voluntatem ejus generaliter determines ad committendas actiones, quas DEUS a nobis committi vult. Tum

Digitized by Google

enim determinatio voluntatis in caſu ſpeciali hoc nititur Syllogiſmo:

Quicquid DEUS præcipit, illud eſt faciendum.
Sed DEUS hoc præcipit;
Ergo hoc faciendum.

Hinc evidentiſſime liquet, qui veritatem majoris agnoſcit atque vult ea facere, quæ DEUS præcipit, eundem quoque hoc facere velle, ubi veritatem minoris agnoſcit, quod ſcilicet DEUS hoc præcipiat. Pendet determinatio voluntatis in caſu quocunque ſingulari a determinatione generali.

§. 384.

Prohibitio divina quando motivum non agendi.

Si cui ſeria eſt noluntas agendi, quæ DEUS non vult, ei prohibitio divina eſt motivum non agendi. Cui enim ſeria eſt noluntas agendi, quæ DEUS non vult, ei noluntas divina eſt motivum non agendi (§. 379.). Enimvero quæ DEUS prohibet, ea a nobis fieri non vult (§. *985. Part. I. Theol. nat.*). Ergo ei, cui ſeria eſt noluntas agendi, quæ DEUS non vult, motivum non agendi eſt prohibitio divina.

Quando motiva actionum malarum non committendarum ſeu omittendarum recenſentur, prohibitionis quoque divinæ mentio fieri ſolet. Ob rationem itaque modo dictam noſtrum erat demonſtrare, quandonam motivo huic locus ſit. Nimirum antequam alterum in dato caſu ſpeciali hoc ſolo motivo adducere poſſis, ut actionem aliquam omittat, quia DEUS eandem prohibet; neceſſe eſt ut noluntatem ipſi inſtillaveris agendi, quæ DEUS non vult. Quodſi enim cupit noluntatem ſuam eſſe eandem cum noluntate divina, ut actionem committere nolit, ſeu omittere velit, non alia re opus eſt, quam ut convincatur, DEUM hanc actionem prohibere. Determinatio nimirum noluntatis in caſu quocunque ſingulari hoc nititur Syllogiſmo:

Quicquid DEUS prohibet, hoc non eſt faciendum.
Sed DEUS hoc prohibet;
Ergo hoc non eſt faciendum.

§. 385.

Digitized by Google

§. 385.

Qui novit DEUM eſſe autorem legis naturalis, & conſtantem ac perpetuam habet voluntatem committendi actiones eidem conformes, noluntatem vero committendi actiones eidem contrarias, ei voluntas divina eſt motivum illas committendi, noluntas vero has omittendi. Qui enim novit DEUM eſſe autorem legis naturæ, is pro certo habet velle ipſum, ut actiones legi naturæ conformes committamus, eidem vero contrarias omittamus. Quamobrem ſi conſtantem ac perpetuam habet voluntatem committendi actiones legi naturæ conformes, ſeu eadem præceptas, & noluntatem committendi eidem contrarias, ſeu eadem prohibitas; is in nullo caſu agere vult, quæ DEUS non vult, nec actionem omittere vult, quam DEUS committi a nobis vult (§. 1062. *Part. I. Theol. nat.*). Enimvero cui conſtans & perpetua, hoc eſt, ſeria eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, ei voluntas divina eſt motivum agendi (§. 378.), & qui ſeriam habet noluntatem agendi, quæ DEUS non vult, ei noluntas divina eſt motivum non agendi (§. 379.). Quamobrem ſi quis novit DEUM eſſe autorem legis naturalis & conſtantem ac perpetuam habet voluntatem committendi actiones eidem conformes, noluntatem vero committendi eidem contrarias, ei voluntas divina eſt motivum illas committendi, noluntas vero has omittendi.

Quando voluntas divina eſt motivum committendi actiones legi naturæ conformes, noluntas motivum omittendi contrarias.

Qui novit DEUM eſſe autorem legis naturæ, eidem hæ propoſitiones æquipollentes ſunt: Quicquid DEUS vult, illud faciendum, & quicquid legi naturæ convenit ſeu eadem præcipitur, illud eſt faciendum. Quamobrem etiam hæc ipſi æquipollere debent ratiocinia:

Quicquid DEUS vult, illud eſt faciendum.
Sed DEUS hoc vult;
Ergo hoc eſt faciendum.

 Et:

Digitized by Google

Et:

Quicquid legi naturæ convenit, illud eſt faciendum.
Atqui hoc legi naturæ convenit;
Ergo hoc eſt faciendum.

Per Syllogiſmum priorem voluntas generaliter determinata ad faciendum, quod DEUS vult, in caſu dato determinatur per voluntatem divinam tanquam motivum (*not.* §. 378.); per poſteriorem vero voluntas generaliter determinata ad faciendum, quod legi naturæ convenit, determinatur in caſu dato per convenientiam actionis cum lege naturali tanquam motivum (*not.* §. 372.). Quodſi ergo uterque Syllogiſmus definitivus practicus locum habet, utrique motivo ſimul locus eſt, & admiſſo uno etiam admittitur alterum. Similiter, qui novit legis naturæ autorem eſſe DEUM, eidem hæ propoſitiones æquipollentes ſunt:

Quicquid DEUS non vult, hoc faciendum non eſt.
Sed DEUS hoc non vult;
Ergo faciendum non eſt.

Et:

Quicquid legi naturali repugnat, hoc faciendum non eſt.
Sed hoc legi naturali repugnat;
Ergo hoc faciendum non eſt.

Per Syllogiſmum priorem noluntas generaliter determinata ad averſandum actiones, quas DEUS non vult, in caſu dato determinatur per noluntatem divinam tanquam per motivum (*not.* §. 371.); & per poſteriorem noluntas generaliter determinata ad averſandum actiones legi naturali contrarias, determinatur in dato caſu per diſconvenientiam actionis cum lege naturali tanquam per motivum (*not.* §. 373.). Quodſi ergo uterque Syllogiſmus admittitur, utrique motivo non agendi ſimul locus eſt, adeoque eadem eſt utriusque efficacia. Non tædet Syllogiſmos formales in medium adducere, propterea quod multum habent uſum in praxi morali, ubi omnimodæ evidentiæ ſtudendum.

§. 386.

Voluntas ſeria & fir- *Voluntatem ſeriam* dicimus eam, quæ conſtans atque perpetua eſt. Vocari etiam ſolet *Firmum propoſitum.*

Equi-

Digitized by Google

Equidem voluntatis feriæ appellatione jam antea aliquoties uſi ſumus, contenti notione clara ex uſu loquendi nota: ne tamen definiviſſe non videamur terminum, quo in poſterum quoque ſæpius uſuri ſumus, definitionem hanc apponere libuit, ne perverſæ interpretationi obnoxius ſit. Quod vero firmum propoſitum & voluntas ſeria unum idemque ſignificet, non modo probat uſus loquendi, verum etiam ex ipſis notionibus evincitur. Propoſitum denotat actum voluntatis, quo determinatur executio decreti (*§. 503. Part. II. Theol. nat.*), conſequenter cui propoſitum agendi eſt, is ita agere vult, ut actionem quoque actu committere velit (*§. 497. Part. I. Theol. nat.*). Quod igitur firmitas ſuperaddit, nihil aliud eſſe poteſt, quam ut quis nolit voluntatem agendi mutare. Enimvero ſi immutabilis eſt actus voluntatis in dato caſu, conſtans eſt, & ſi idem in omni caſu, perpetua eſt (*§. 1062. Part. I. Theol. nat.*). Firmum itaque propoſitum cum conſtantia atque perpetuitate voluntatis, conſequenter *vi definitionis præſentis* cum voluntate ſeria coincidit. Sive itaque voluntatem dicas conſtantem ac perpetuam, ſive unico vocabulo ſeriam, ſive propoſitum firmum appelles, ſive denique contextus loquatur per actum voluntatis intelligi non poſſe niſi voluntatem ſeriam, quemadmodum ſupra (§. 374.); unum omnino idemque eſt. Ubi diverſi loquendi modi uſu recepti, quos ad intelligendos autores alios retineri conſultum eſt; eorum quoque identitas explicanda eſt. Ita enim Philoſophiam tradere conſtituimus, ut ex aliorum quoque lectione uberius proficere queant lectores, & ad aliorum mentem accurate interpretandam idonei efficiantur.

mum propoſitum quid denotet.

§. 387.

Cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam, ei motivum agendi eſt rectitudo actionis, motivum vero non agendi rectitudinis defectus. Cum enim ad vitam perfectam requiratur omnimoda actionum rectitudo (§. 21.), cui ſeria eſt voluntas vitam perfectam vivendi, is quoque conſtanter ac perpetuo vult, ne actio quæcunque ſua ullo laboret defectu

Motiva ejus, qui vitam perfectam vivere vult.

rectitudinis, ſed ut omnimode perfecta ſit. Quamobrem ubi agnoſcit omnimodam actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, rectitudinem, quin propter eam actionem committere velit dubitandum non eſt: nec minus liquet, eum agere nolle, ubi actionem aliquam a rectitudine quacunque ex parte deficere animadvertit. Eſt igitur omnimoda actionis rectitudo ratio ſufficiens, cur agere velit; defectus vero ejusdem ratio ſufficiens, cur agere nolit (§. 56. *Ontol.*), adeoque illa motivum agendi, hic motivum non agendi eſt (§. 887. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet ei, cui ſeria eſt voluntas vitam perfectam vivendi, motivum agendi eſſe omnimodam actionis rectitudinem, motivum vero non agendi rectitudinis defectum.

Determinatio nimirum voluntatis ejus, qui vitam perfectam vivere vult, nititur hoc Syllogiſmo in dato caſu agendi:

Quæcunque actio omnimode recta eſt, ea committenda.
Atqui hæc actio omnimode recta eſt;
Ergo hæc actio committenda.

Eadem in caſu non agendi hoc ſyllogiſmo nititur.

Quæcunque actio a rectitudine deficit, ea omittenda.
Sed hæc actio a rectitudine deficit;
Ergo hæc actio omittenda.

Determinatio generalis voluntatis ad committendam actionem omnimode rectam, & noluntatis ad non committendam eam, quæ a rectitudine deficit, ſupponit hunc ſyllogiſmum definitivum catholicum:

Qui vitam perfectam vivere vult, is committere debet actionem, quæ omnimode perfecta eſt, omittere autem eam, quæ a rectitudine deficit.
Sed ego vitam perfectam vivere volo;
Ergo committere debeo actionem omnimode rectam, omittere eam, quæ a rectitudine deficit.

Quodſi

Quodſi ſyllogiſmos hoſce perpendis, dependentia determinationis voluntatis per omnimodam perfectionem tanquam motivum agendi, & determinationis noluntatis per defectum rectitudinis tanquam motivum non agendi a determinatione voluntatis generali ad vitam perfectam vivendam ad oculum patet: ut adeo beneficio horum ſyllogiſmorum appareat, quomodo ante determinanda ſit voluntas, & quarumnam veritatum convincendus intellectus, quibusnam notionibus idem imbuendus, quam omnimoda actionis rectitudo & defectus ejus a rectitudine motiva efficacia eſſe poſſint. Velim huc animum advertant, qui per præcipitantiam ſtatuere ſolent de iis, quæ nondum ſatis intelligunt, ne experientiæ contraria pronuncientur, quæ eidem conſentanea deprehenduntur, ubi ſingula obſervantur, quæ obſervari debent, & nihil eorum negligitur, quæ in hypotheſibus propoſitionum ſupponuntur.

§. 388.

Motivum eorum, qui gloria ducuntur, actionis rectitudo.

Qui gloria ducitur, ei omnimoda actionum rectitudo eſt motivum agendi. Qui enim gloria ducitur, ei benignum aliorum de actionibus ſuis judicium eſt motivum eas committendi (§. 351.). Quoniam itaque benignum eſt aliorum de actionibus noſtris judicium, ſi ea, quæ fecimus, bene ac recte facta a nobis eſſe judicant (§. 765. *Pſych. empir.*); ei, qui gloria ducitur, motivum agendi eſt, ubi agnoſcit, alios actionem ipſius tanquam rectam prædicaturos. Quamobrem cum per hoc motivum voluntas generaliter determinetur ad recte agendum; ei, qui gloria ducitur, ſeria eſt voluntas recte agendi, ubi omnimodam actionis rectitudinem ſatis intellexerit. Eodem igitur modo, quo ſupra (§. 378.) oſtendimus, ei motivum agendi eſſe voluntatem divinam, cui eſt voluntas agendi, quæ DEUS vult, porro evincitur, ei, qui gloria ducitur, motivum agendi eſſe omnimodam actionis rectitudinem.

Non

Digitized by Google

Non nego dari homines, qui ad gloriam diſpoſitum habent animum, non tamen omnimoda actionum rectitudine moventur; ſed hi ſunt, qui vel omnimodam actionum rectitudinem non ſatis intelligunt, eandem ex opinione hominum æſtimantes, vel quorum perverſis cupiditatibus in transverſum agitur animus, ut vana gloria delectentur. His voluntas ſeria non eſt agendi quod rectum eſt, ſed tantummodo agendi quod hominum opinione pro tali habetur; illi a vero aberrant, dum de actione judicant, utrum ea recta ſit, nec ne. Nos vero, quemadmodum alibi, ita hic quoque ſupponimus, nihil ex parte intellectus, nihil ex parte voluntatis deſiderari. Opus itaque eſt attentione atque acumine, ut, ubi veritates morales applicare volueris, probe perſpicias, quænam ſupponantur. Juvat autem acumen, & attentionem dirigit ſyllogiſmus, quemadmodum abunde perſpiciet, qui ad anteriora animum advertit. Fidem oculatam dat propoſitio præſens. Etenim determinatio voluntatis in dato caſu per omnimodam actionis rectitudinem tanquam per motivum ab hiſce pendet ſyllogiſmis:

Actio, quam intelligentes approbant, committenda eſt.
Sed hanc actionem intelligentes approbant;
Ergo ea committenda eſt.

Et:

Actio omnimode recta talis eſt, quam intelligentes approbant.
Atqui hæc actio omnimode recta eſt;
Ergo actio hæc talis eſt, quam intelligentes approbant.

Hic ſtatim vides, ſi omnimoda actionis rectitudo motivum agendi eſſe debet, ex parte intellectus ſupponi, ut de rectitudine actionis verum judicium ferri poſſit, ita enim ſubſiſtit veritas minoris in poſteriore ſyllogiſmo; ex parte autem voluntatis, ut determinata ſit ad committendum actiones generaliter, quæ intelligentibus probantur, ita enim major ſyllogiſmi poſterioris in appetitum influit, & major ſyllogiſmi prioris admittitur tanquam vera. Affectus adeo gloriæ ne exorbitet, in ordinem reducitur per intellectum veritatis convictum, & ad conſenſum cum rationali revocatur appetitus ſen-

Digitized by Google

ſenſitivus, quemadmodum in moralibus fieri debet. Veritas minoris in ſyllogiſmo priore pendet a veritate majoris in ſyllogiſmo altero. Prior ſyllogiſmus docet, quomodo rectificandus ſit appetitus, ne in determinatione generali voluntatis quid deſideretur. Poſterior autem monſtrat, quomodo rectificandus ſit intellectus, ne in determinatione voluntatis ſpeciali aberretur a vero, neque adeo ex parte intellectus quid deſiderari queat. Velim ad hæc animum probe attendant, qui actiones ſuas & aliorum recte dirigere volunt: nullus enim dubito fore, ut in omni actionum directione inexpectata quædam lux ipſis affundatur, modo eam ferre poſſint.

§. 389.

Motivum eorum, qui gloria ducuntur, defectus rectitudinis.

Qui gloria ducuntur, iis motivum non agendi eſt defectus rectitudinis actionis. Qui enim gloria ducitur ei ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium motivum non agendi eſt (§. 352.). Quoniam itaque aliorum de actionibus noſtris judicium ſiniſtrum eſt, ſi ea, quæ fecimus, minus recte a nobis facta judicent (§. 774. *Pſych. empir.*), adeoque ſi actio a rectitudine deficit; motivum non agendi ei eſt, qui gloria ducitur, ubi novit, actionem eſſe talem, ut eam a rectitudine deficere judicent intelligentes, conſequenter ob defectum rectitudinis actionem committere non vult. Eſt itaque defectus rectitudinis ratio ſufficiens, cur eam committere nolit (§. 56. *Ontol.*), conſequenter defectus rectitudinis eſt motivum non agendi ei, qui gloria ducitur (§. 887. *Pſych. empir.*).

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea mutatis mutandis ad præſentem quoque applicanda.

§. 390.

Decorum quando motivum agendi.

Cui ſeria eſt voluntas vitam perfectam vivendi, ei motivum agendi decorum eſt. Cum enim ad perfectionem vitæ requiratur, ut actiones ſint decoræ (§. 23.); cui ſeria eſt vo-

Syllogiſmus hic oppoſitus eſt ei, quem pro determinanda voluntate ad actionem decoram committendam in caſu dato in medium adduximus (*not.* §. *390.*). Huc igitur ſi animum advertas, quæ de propoſitione præcedente monuimus ad præſentem facile trahes.

§. 392.

Actionem nolle committere & velle omittere quomodo differant.

Si rigoroſe loqui velimus, inter ſe differunt actionem nolle committere & velle non committere, ſeu velle omittere. Nimirum *Nolitio committendi actionem* eſt actus noluntatis per motivum nolitionis elicitus. *Volitio* vero *non committendi, ſeu omittendi* eſt actus voluntatis cohærens actui voluntatis actionem contrariam committendi, nullo peculiari motivo elicitus.

Quoniam actionem omittit, qui eandem non committit; omiſſio actionis & non commiſſio actionis pro uno eodemque haberi ſolent: unde porro infertur, velle omittere actionem & nolle committere actionem eſſe unum idemque. Enimvero oſtendimus jam in ſuperioribus (*not.* §. *376.*), motiva dupliciter influere in actionem, quam non committimus, vel poſitive, vel privative. Si poſitivus influxus eſt, nolitio actionem committendi locum habet; ſi vero tantummodo privativus, volitio non committendi ſeu volitio omittendi actionem obtinet. Quamobrem cum ibidem jam obſervaverimus duplicem iſtum influxum non gratis a ſe invicem diſtingui; nec nimia videri debet ſubtilitas, qua nolitio actionem committendi contradiſtinguitur volitioni eam non committendi, ſeu eam omittendi. Ceternm ibidem dicta diſtinctionem hanc illuſtrant. Quoniam vero firmo ea nituntur fundamento, quomodo accurate loqui poſſimus, ut doceamus, nemo jure reprehendet.

§. 393.

Actionem velle committere & velle

Similiter ſi accurate loqui velimus, velle committere actionem & velle non omittere actionem inter ſe differunt. Nimirum *Volitio committendi actionem* eſt actus voluntatis

tatis per motivum volitionis elicitus. Sed *volitio non omittendi actionem* eſt actus voluntatis actui noluntatis committendi actionem contrariam cohærens, nullo peculiari motivo elicitus, & actui noluntatis privativo æquipollens. *non omittere quomodo differant.*

Differentia patet per ea, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 377.). Scilicet diſconvenientia cum lege naturali eſt motivum actionem non committendi, ſeu omittendi. Quodſi quis agnoſcit, actionem eſſe legi naturæ convenientem, hoc ipſo agnoſcit, eam non eſſe eidem contrariam, adeoque ceſſat motivum eam non committendi ſeu omittendi, conſequenter & nolitio eam committendi, ſeu eidem æquipollens volitio eam omittendi. Actus hic privativus noluntatis infert volitionem actionem non omittendi, quatenus eam non eſſe ex numero illarum, ad quas omittendas voluntas vel non committendas noluntas generaliter determinata eſt, agnoſcitur. Quoniam tamen per hoc nondum ponitur actus voluntatis actionem committendi, quatenus voluntas nondum ſupponitur generaliter determinata ad actionem legi naturæ convenientem, aut ſaltem actus voluntatis non elicitur, quatenus actio ſpectatur ut non repugnans legi naturali; actus voluntatis committendi actionem & non omittendi actionem utique differunt. Hanc diſtinctionem non eſſe inanem ſubtilitatem, ſed uſum inſignem habere in praxi, ſupra jam inculcavimus (*loc. cit.*). Nimirum idem motivum & ponit volitionem agendi, & tollit repugnantiam ad agendum, ubi per propria motiva & voluntas ad agendum, & noluntas ad non agendum contrarium determinata. Diſtinctionem igitur iſtam hic explicandam eſſe duximus, etſi ex ſupra dictis intelligatur, ſi omnia rite penſitentur, propterea quod non omnes eam attentionem afferunt, quæ ad hæc diſtinguenda requiritur, quæ non ſine ſubtiliori acumine diſtinguuntur.

§. 394.

Si cui ſeria eſt voluntas vitam perfectam vivendi; ei motivum volitionis actionem non committendi eſt indecorum. Quoniam enim ad vitam perfectam requiritur, ut actiones ſint *Motivum volitionis non agendi ei, qui*

 decoræ

vitam perfeſtam vivit. decoræ (§. 23.), cui ſeria eſt voluntas vitam perfectam vivendi, ipſius voluntas generaliter determinata eſt ad committendum actiones decoras (§. 386.), conſequenter ad non committendas indecoras. Quamobrem ubi pro certo habet, actionem aliquam eſſe indecoram, eam vult non committere (§. 392.). Quoniam itaque indecorum ratio ſufficiens eſt, cur actionem velit non committere, ſeu omittere (§. 56. *Ontol.*), ratio autem ſufficiens volitionis motivum eſt (§. 887. *Pyſch. empir.*); indecorum eſt motivum volitionis actionem non committendi ei, qui vitam perfectam vivere vult.

Nimirum volitio non committendi actionem, ſeu eandem omittendi cohæret volitioni committendi, adeoque non omittendi actionem decoram (§. 28. *Ontol.*), conſequenter uterque actus eodem motivo determinatur. Quamobrem cum nullum adſit motivum nolitionis, nec actus nolitionis poſitivus adeſt (§. 889. *Pſych. empir.*), ſed ſaltem privativus, quem actus volitionis poſitivus includit. Actus hic nolitionis privativus æquipollet actui volitionis actionis privativæ poſitivo. Sed ut firmius ſit non agendi propoſitum, non ſufficit velle non agere, ſed requiritur ut etiam agere nolis Duo hi actus facile diſtinguuntur, ſi notaveris, in actu volitionis non agendi negationem referri ad objectum, in actu autem nolitionis agendi ad actum animæ: unde in caſu priore actionem efficit privativam, in poſteriore actum animæ poſitivum efficit, cum nolitio ſit actus poſitivus animæ (§. 884. *Pſych. empir.*).

§. 395.

Motivum volitionis actionem non omittendi ei, qui vitam *Si cui ſeria eſt noluntas vitam imperfectam vivendi, ei motivum actionem non omittendi decorum eſt.* Quoniam ad vitam perfectam requiritur, ut actiones ſint decoræ (§. 23.); actiones indecoræ pertinent ad vitam imperfectam. Quamobrem cui ſeria eſt noluntas vitam imperfectam vivendi,

vendi, ejus noluntas generaliter determinata eſt ad non committendas actiones indecoras, conſequenter ad eas omittendas, adeoque ad non omittendas decoras (§. 393.). Quoniam itaque decorum ratio ſufficiens eſt, cur actionem velit non omittere (§. *Ontol.*), ratio autem ſufficiens volitionis motivum volitionis eſt (§. *887. Pſych. empir.*); decorum eſt motivum volitionis non omittendi actionem ei, cui ſeria eſt voluntas vitam imperfectam non vivendi. *imperfectam averſatur.*

Nimirum volitio non omittendi actionem nolitioni committendi contrariam cohæret (§. 393.); cum tamen nullum adſit motivum volitionis, nec actus poſitivus volitionis eam committendi adeſt (*§. 889. Pſych. empir*). Diſponitur ſaltem animus ad actionem committendam, ut ſine ulla hæſitatione cedat motivo volitionis, dum accedit, qualem ſentimus, ubi nobis animus eſt agendi, hæremus tamen, annon conſultius ſit actionem omitti, quam committi.

§. 396.

Cui ſeria eſt voluntas ſervandi legem naturæ, ei decorum eſt motivum actionem committendi, indecorum eſt motivum volitionis non committendi actionem, & cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi, ei indecorum eſt motivum non committendi actionem, decorum vero motivum volitionis non omittendi actionem. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo eadem demonſtravimus de eo, qui ſeriam habet voluntatem vitam perfectam vivendi, & noluntatem ſeriam vitam imperfectam vivendi (§. *390. 391. 394. 395.*). *Decorum & indecorum num ſit motivum ei, qui legem naturæ ſervare vult.*

Lex nimirum naturæ nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam, etſi utraque in ſe ſpectata ſit indifferens (*§. 203. Part. I. Phil. pract. univ.*), daturque lex naturalis decori (*§. 204 Part I. Phil. pract. univ.*), ſcilicet naturaliter talis (*§. 196. Part. I. Phil. pract. univ.*), de quo hic nobis ſermo eſt, ubi

Digitized by Google

convenire, eam committere non vis. Ex diſconvenientia itaque actionis cum ratione intelligitur, cur eam committere nolis, adeoque ea ratio ſufficiens eſt, cur eam committere nolis (§. *56. Ontol.*). Ratio ſufficiens, cur actionem committere nolis, motivum non agendi (§ *887. Pſych. empir.*). Eſt ergo diſconvenientia actionis cum ratione motivum non agendi ei, cui ſeria eſt noluntas vitam homine indignam vivendi.

Nimirum vita homine non eſt indigna, niſi quatenus rationi contrariatur. Quamobrem nolle vivere vitam homine indignam idem eſt ac nolle vivere vitam, quæ rationi contraria eſt. Hinc ſi voluntas generaliter determinata eſt ad non vivendam vitam homine indignam; generaliter determinata eſt ad non committendam actionem, quæ rationi contraria eſt. Quid igitur mirum, quod diſconvenientia actionis cum ratione ſit motivum non agendi ei, qui vitam homine indignam vivere non vult? Poteramus quoque addere, quemadmodum in anterioribus, quandoquam convenientia cum ratione ſit motivum actionem non omittendi, & diſconvenientia cum eadem motivum non committendi: ſed non opus eſt, ut prolixiores ſimus, cum per anteriora intelligantur.

§. 399.

Actionis convenientia cum ratione ſit motivum ei, qui vitam perfectam vivere vult.

Cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam, ei motivum agendi eſt convenientia actionis cum ratione. Quoniam enim ſecundum rationem vivit qui vitam perfectam vivit (§. 55.); cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam, ei quoque ſeria voluntas eſt vivendi ſecundum rationem, conſequenter committendi actiones rationi conformes, ſeu eidem conven[illegible] Quodſi ergo cognoſcit, actionem aliquam [illegible], quin eam committere velit du[illegible] Quoniam itaque ex conve[illegible] intelligitur, cur actionem com-

committere velit; hæc ipſa convenientia eſt ratio ſufficiens volitionis actionem committendi (§. 56. *Ontol.*). Sed hæc ratio motivum eſt agendi (§. 887. *Pſych. empir.*). Ergo convenientia actionis cum ratione eſt motivum agendi ei, cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam.

Non eſt quod excipias, fieri poſſe ut quis non agnoſcat ſecundum rationem vivendum eſſe, ubi vitam perfectam vivere velis, adeoque cum ſeria voluntate vivendi vitam perfectam non poni convenientiam actionis cum ratione motivum agendi. Etenim nos ſupponimus, vitæ perfectæ notionem diſtinctam eſſe ei, qui eandem vivere vult. Neque enim urgemus actiones niſi omnimode rectas, ut quoad intellectum nihil deſideretur in actione noſtra. Quodſi vero cognitio ſupponi debet, qualis requiritur; ignotum eſſe nequit, quod vita perfecta ſit rationi conformis (§. 55.), nec perfecta adeo eſſe poſſit, niſi quæ eidem convenit.

§. 400.

Vitam imperfectam vivere nolenti cur ſit motivum non agendi diſconvenientia cum ratione.

Cui ſeria eſt noluntas vivendi vitam imperfectam, ei motivum non agendi eſt diſconvenientia actionis cum ratione. Quoniam qui vitam perfectam vivit, ſecundum rationem vivit (§. 55.); neceſſe eſt ut, qui imperfectam vivit vitam, rationi adverſam ſeu minime convenientem agat (§. 28 *Ontol.*). Quodſi igitur tibi ſeria fuerit noluntas vivendi vitam imperfectam, noluntas tua generaliter determinata eſt ad non committendas actiones rationi minime convenientes, aut eidem adverſas (§. 386.). Quamobrem ubi cognoſcis actionem rationi minime convenire aut eidem adverſari, eam committere non vis. Diſconvenientia igitur cum ratione ſufficiens ratio eſt, cur actionem committere nolis (§. 56. *Ontol.*), adeoque motivum nolitionis eam committendi (§. 887. *Pſych. empir.*). Atque adeo patet, diſconvenientiam actionis cum ratione eſſe motivum non agendi ei, cui ſeria eſt noluntas vivendi vitam imperfectam.

Digitized by Google

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, mutatis mutandis ad præſentem quoque applicari poſſunt.

§. 401.

Motivum vivendi vitam homine dignam.

Qui gloria ducitur, ei motivum agendi vitam homine dignam eſt benignum aliorum de actionibus ſuis judicium. Qui enim gloria ducitur, ei benignum aliorum de actionibus ſuis judicium placet (§. *772. Pſych. empir.*), conſequenter ſi judicent alii, quod recte agat (§. *765. Pſych. empir.*), adeoque eum facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt (§. *72. & ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*) & debet in determinandis actionibus ſuis (§. *169. 170. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hoc volumus quod nobis placet (§. *937. Pſych. empir.*); qui gloria ducitur, vult, ut alii de actionibus ſuis judicent, quod omnem faciat uſum facultatum ſuarum in iis determinandis, quem homo facere poteſt, conſequenter quin etiam velit ideo eundem facere dubitandum non eſt (§ *941. Ontol.*). Benignum adeo aliorum de actionibus ſuis judicium ratio ſufficiens (§. *56. Ontol.*), adeoque motivum eidem eſt, cur omnem facultatem ſuarum uſum facere velit in determinandis actionibus ſuis, quem facere poteſt homo (§ *887. Pſych. empir.*). Enimvero is vitam homine dignam vivit, qui eum facit in determinandis actionibus ſuis facultatum ſuarum uſum, quem homo facere poteſt, quod per ſe patet. Quamobrem benignum aliorum de actionibus ſuis judicium eſt motivum vitam homine dignam vivendi ei, qui gloria ducitur.

Poteramus *vitam homine dignam* definire per eam, quæ conſtat actionibus, in quibus determinandis homo omnem facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt ac debet. Etenim conceſſæ homini ſunt facultates, quibus carent bruta. Quamobrem ejus vita a vita brutorum aliter differre nequit, quam quod in

in actionibus ſuis determinandis eum facit illarum uſum, quem bruta facere nequeunt. Vitam adeo hominis vivit, qui uſum iſtum facit, atque hæc vita ipſo digna eſt. Cenſuram aliorum merito incurrit, ſi aliter vivat: vitam vero hominis ubi vivit, eam probare tenentur omnes, qui ex veritate de actionibus humanis ſtatuunt. Recte autem ſentientium judicia ſola ſunt, quæ movere nos debent: cenſuræ iniquæ contemnendæ.

§. 402.

Motivum non agendi vitam homine indignam.

Qui gloria ducitur, ei motivum non agendi vitam homine indignam eſt ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium. Qui enim gloria ducitur, ad pudorem pronus eſt (§. *781. Pſych. empir.*), adeoque malum exiſtimat, ſi alii norint, quæ a ſe minus recte facta ſunt (§. *777. Pſych. empir.*), conſequenter ſiniſtrum aliorum judicium ſibi tanquam malum repræſentat (§. *774. Pſych. empir.*), adeoque hoc ipſi motivum nolitionis eſt (§. *890. Pſych. empir.*). Quoniam itaque minus recte facit, ſi non eum facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt ac debet (§. *72. & ſeqq. 170 & 169. Part. I. Phil. pract. univ.*); judicium ſiniſtrum aliorum ipſi motivum eſt, ut nolit in determinandis actionibus ſuis non facere eum uſum facultatum ſuarum, quem facere poteſt ac debet. Enimvero vita homine indigna vivitur, ubi eum non facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt ac debet, quod per ſe patet. Eſt igitur motivum nolitionis vivendi vitam homine minus dignam ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium ei, qui gloria ducitur.

Poteramus quoque *vitam homine indignam* definire per eam, in qua is facultatum ſuarum uſum in determinandis actionibus non facit, quem facere poteſt ac debet. Hunc enim uſum ubi negligit, eam vivit vitam, quam vivere poterat, etiamſi facultatibus iſtis deſtitueretur, conſequenter ſi homo non eſſet, ſed brutum. Ecquis vero eſt, qui homine indignum non judicet vi-

Digitized by Google

vere inſtar bruti, quod facultatibus ſuperioribus animæ caret, quibus is a brutis diſtinguitur? Fieri non poteſt, ut aliorum judiciis commoveatur animus, ubi tibi perinde eſt; ſive ab aliis in brutorum numerum referaris, ſive nomen hominis tueri exiſtimeris. Qui gloria ducitur, videri vult, qui eſt; ferre autem nequit ut habeatur pro eo, qui non eſt. Unde indignatur iniquis cenſoribus & calumniatoribus.

§. 403.

Convenientia vitæ homine dignæ cum lege naturæ quando motivum eam vivendi.

Si cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ei motivum vivendi vitam homine dignam eſt convenientia ejus cum lege naturæ. Etenim cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ejus voluntas generaliter determinata eſt ad vivendam vitam legi naturæ conformem (§. *138. Part. I. &* §. *386. b.*). Enimvero vita legi naturali conformis & naturæ humanæ conveniens iisdem regulis continetur (§. 57.). Voluntas igitur etiam determinata eſt ad vivendam vitam naturæ humanæ convenientem, adeoque homine dignam, quamprimum agnoſcitur, vitam homine dignam convenire legi naturæ. Quoniam itaque convenientia vitæ homine dignæ cum lege naturali ratio ſufficiens eſt, cur is, cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, vitam homine dignam vivere velit (§. *56 Ontol.*), ratio autem ſufficiens volitionis motivum eſt (§. *887 Pſych. empir.*); convenientia vitæ homine dignæ cum lege naturali motivum vitam iſtam vivendi ei eſt, cui ſeria voluntas legem naturæ ſervandi.

Oſtenditur etiam hoc modo. Convenientia actionis cum lege naturali eſt motivum agendi ei, cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi (§. 372.). Quamobrem ubi agnoſcit, vitam homine dignam eſſe legi naturæ convenientem (§. 57.); convenientia quoque hujus vitæ cum lege naturæ ipſi motivum eſſe debet eandem vivendi.

Non

Digitized by Google

Non omnes homines gloria ducuntur, ut benignum recte ſentientium judicium de actionibus ſuis eorum animos ad agendum commovere poſſit. Iis igitur voluntas vitam homine dignam inſtillari poteſt per convenientiam cum lege naturali, ubi per aliud motivum voluntas ad ſervandam legem naturæ determinata fuerit (§. 326.). Ubi vero voluntas per hoc motivum determinata fuerit ad vitam homine dignam vivendam; tum per judicium recte ſentientium roboratur, etſi hoc ſolum non ſufficiebat eidem determinandæ, quatenus jam agnoſcitur, præſtare eam vivere vitam, quam recte ſentientes approbant, quam contrariam.

§. 404.

Diſconvenientia cum lege naturali quando motivum non vivendi vitam homine indignam.

Cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi, ei motivum non vivendi vitam homine indignam eſt ejus diſconvenientia cum lege naturali. Quoniam enim vita naturæ humanæ conveniens, adeoque homine digna, eſt legi naturæ conformis (§. 57.); neceſſe eſt vitam homine indignam non eſſe legi naturæ conformem, ſeu eidem non convenire (§. 53 *Ontol.*). Quamobrem cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi, conſequenter noluntas committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 139. *Part I. Phil. pract. univ.*); cum vita moralis ſit actionum liberarum complexus (§. 7.), is quoque vitam legi naturæ contrariam, adeoque homine indignam, vivere non vult (§. 386.). Quoniam itaque ex diſconvenientia vitæ homine indignæ cum lege naturali intelligitur, cur eam vivere nolit, qui ſerio legem naturæ transgredi non vult; hæc diſconvenientia cum lege naturæ eſt ratio ſufficiens, cur eam vivere nolit (§. 56. *Ontol.*). Eſt igitur diſconvenientia vitæ homine indignæ cum lege naturali motivum eam non vivendi ei, cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi (§. 887. *Pſych. empir.*).

Quæ

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, de præſente etiam notanda veniunt.

§. 405.

Quandonam voluntas & noluntas divina fiat motivum.

Qui cognoſcit ſe eſſe ſervum DEI, ei motivum agendi eſt voluntas divina, noluntas vero divina motivum non agendi. Etenim qui cognoſcit ſe eſſe ſervum DEI, is agnoſcit ſe eſſe in dominio ipſius (§. *967. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum DEUS de actionibus humanis vi dominii pro arbitrio ſuo diſponere poſſit (§. *959. Part. I. Theol. nat.*); ſibi quoque voluntatem & noluntatem divinam loco propriæ voluntatis ac noluntatis eſſe debere agnoſcit. Quoniam itaque hoc facere vult, quia DEUS vult ut faciat; iſtud facere non vult, quia DEUS non vult ut faciat; voluntas & noluntas divina eſt ratio ſufficiens, cur agere vel non agere velit (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum eadem ſit motivum agendi & non agendi (§. *887. Pſych. empir.*); voluntas divina eſt motivum agendi, noluntas vero divina motivum non agendi ei, qui ſe ſervum DEI eſſe cognoſcit.

Hinc elucet utilitas doctrinæ de dominio DEI in hominem, quam prolixe ſatis tradidimus in *Theologia naturali c. 6. Part. I.* Quamobrem ut hoc motivum majus acquirat robur, probe penſitanda ſunt, quæ ibidem demonſtrantur, & demonſtrationes omni attentione expendendæ, ut convincatur animus. Ita enim cognitionem vivam acquiremus hujus principii, quod homo qua ſervus DEI Domini ſui voluntatem ac noluntatem ſuam in divinam reſolvere debeat (§. 248.).

§. 406.

Motivum ejus, qui pro Domino ſuo

Si quis dominium DEI in ſe agnoſcit, ſeu DEUM eſſe Dominum ſuum pro certo habet; ei voluntas & noluntas divina eſt motivum agendi & non agendi. Quoniam in propoſitione præcedente ex notione dominii oſtendimus eadem motiva

motiva eſſe ei, qui agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI; demonſtratio præcedens ad præſentem quoque propoſitionem applicari poteſt. *Deum habet.*

Qui agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, is etiam agnoſcit eſſe DEUM Dominum ſuum. Unde etiam beatiſſima virgo ſe dicit ancillam non DEI, ſed Domini Luc. I. ut ſignificet, ſe eſſe ancillam DEI, quia DEUS eſt Dominus ſuus. Quid ergo mirum, quod eadem ſit eorundem motivorum demonſtratio de eo, qui ſe ſervum DEI eſſe agnoſcit, & de eo, qui DEUM Dominum ſuum eſſe agnoſcit? Propoſitio igitur præſens & præcedens re ipſa coincidunt. Propter uſum tamen, cum una enunciatio nunc ſit aptior altera, quemadmodum ſuo loco conſtabit, utramque apponi conſultum fuit. Ipſa vero beatiſſima virgo exemplo ſuo docet, quod, qui ſe ſervum DEI & DEUM Dominum ſuum agnoſcit, voluntatem et noluntatem divinam pro motivis habeat (*loco cit.*). Non eſt quod excipias, veritatem hanc noſſe multos, qui tamen voluntate ac noluntate divina non utantur motivis: hi enim aut deſtituuntur cognitione viva, quæ ſola motivum voluntatis ac noluntatis ſit, aut aliis motivis in transverſum abripiuntur: neque enim motiva cogunt (*§. 931. Pſych. empir*), ſed anima tantummodo iisdem convenienter ſe determinat (*§. 932. Pſych. empir.*).

§. 407.

Si quis agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, aut DEI in ſe dominium agnoſcit; ei motivum ſervandi legem naturæ, eamque non transgrediendi eſt dominium divinum. Qui enim agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, aut DEI in ſe dominium agnoſcit, ei motivum agendi eſt voluntas divina, motivum non agendi eſt noluntas divina (§. 405. 406.). Quamobrem cum DEUS hominem obliget ad legem naturæ ſervandam (§. *276. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque etiam ad eam minime transgrediendam (§. *140. Part. I. Phil. pract. univ.*); DEUS *Motivum cuſtodiendi legem naturæ.*

ubi veritati, non hominum opinioni litamus. Urget adeo eodem rigore actiones decoras lex naturæ, quo eas requirit vita perfecta (§. 23.): immo ex demonſtratione ſuperiore (*loc. cit.*) liquet, non alia de cauſa ad vitam perfectam requiri actiones decoras, quam quia easdem urget lex naturæ in omni ſua amplitudine ſpectata. Quoniam itaque ea, quæ in propoſitione præſente affirmantur de eo, cui ſeria eſt voluntas vitam perfectam vivendi, noluntas vivendi imperfectam, demonſtravimus exinde, quod ad vitam perfectam requirantur, ob ſeverum ſcilicet ſtudium ſervandi legem naturæ, eamque non transgrediendi; nullo negotio conficitur, quod ex ſeria voluntate ſervandi & noluntate transgrediendi eadem fluant, quæ ex ſeria voluntate perfectam & noluntate imperfectam vitam vivendi conſequuntur. Non tamen eodem prorſus modo decorum & indecorum vim motivi acquirunt in utroque caſu, quia generalis determinatio voluntatis & noluntatis quoad vitam perfectam ab alio motivo pendet, quam quoad cuſtodiam legis naturalis (§. 326. 327. 341. 344.), ſiquidem motivis propriis uti velis. In anima ſtatus præſentes ab anterioribus pendent. Quamvis adeo rationes proximæ ſint eædem, non tamen ideo eædem ſunt remotæ. Ubi autem rationes proximæ eædem per diverſas remotas ponuntur, plurimum conducit, ut ponantur per omnes, per quas easdem poni poſſibile eſt, ſimul ad propoſitum firmandum. Nexus modificationum animæ viam ſternit ad abditos illos receſſus, de quibus ſupra diximus (*not. §. 377.*).

§. 397.

Convenientia cum ratione cuinam ſit motivum agendi.

Cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam homine dignam, ei convenientia cum ratione eſt motivum agendi. Quoniam nemo non novit, homines a brutis ratione potiſſimum diſtingui, qui vitam homine dignam vivit, is actiones committere vult, quæ rationi conformes ſunt. Quamobrem ſi cui ſeria fuerit voluntas vivendi vitam homine dignam, is actionem committere vult, quam rationi conveni-

Digitized by Google

venire agnoſcit, quia rationi convenit. Quoniam itaque convenientia actionis cum ratione ratio ſufficiens eſt, cur eam committere velit (§. 56. *Ontol.*), ratio autem ſufficiens volitionis motivum agendi eſt (§. 887. *Pſych. empir.*); ei convenientia actionis cum ratione motivum agendi eſt, cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam homine dignam.

Nimirum vita homine digna non eſt, niſi quatenus rationi convenit. Cum enim homo a brutis rationis uſu diſtinguatur, vita quoque ejus a vita brutorum differre aliter non poteſt, quam ut rationi conformis ſit, adeoque in determinandis actionibus ſuis homo utatur ratione, conſequenter haſce committere velit, quod eas cum ratione convenire agnoſcit. Equidem nec brutorum actiones a ratione alienæ deprehenduntur, ſi rigoroſo examini ſubjiciantur, & multæ rationi adeo conſentientes deprehenduntur, ut ratione rectius uti cenſeantur bruta, quam homines, id quod etiam *Rorario* impoſuit (*not. §. 762. Pſych. rat.*); non tamen actiones brutorum magis pendent ab uſu rationis, quam actiones rerum inanimatarum, in quibus nihil deprehenditur, quod a ratione ſit alienum. Neque enim hic quæritur, num actio aliqua rationi conveniat ſimpliciter, ſi vocabulum rationis objective ſumitur; ſed num rationi agentis ſit conformis: quod poſterius nec de rerum inanimatarum, nec de brutorum actionibus dici poteſt.

§. 398.

Diſconvenientia cum ratione quando motivum non agendi.

Cui ſeria eſt noluntas vitam homine indignam vivendi, ei diſconvenientia cum ratione eſt motivum non agendi. Quoniam a bruto differre potiſſimum ratione hominem omnes agnoſcunt; vita homine indigna eſt, quæ rationi contrariatur. Quodſi ergo ſeria tibi fuerit noluntas vivendi vitam homine indignam; nullam unquam committere vis actionem rationi contrariam (§. 386.). Quamobrem ubi cognoveris actionem aliquam eſſe rationi contrariam, ſeu eidem non con-

Digitized by Google

convenire, eam committere non vis. Ex diſconvenientia itaque actionis cum ratione intelligitur, cur eam committere nolis, adeoque ea ratio ſufficiens eſt, cur eam committere nolis (§. 56. *Ontol.*). Ratio ſufficiens, cur actionem committere nolis, motivum non agendi (§ 887. *Pſych. empir.*). Eſt ergo diſconvenientia actionis cum ratione motivum non agendi ei, cui ſeria eſt noluntas vitam homine indignam vivendi.

Nimirum vita homine non eſt indigna, niſi quatenus rationi contrariatur. Quamobrem nolle vivere vitam homine indignam idem eſt ac nolle vivere vitam, quæ rationi contraria eſt. Hinc ſi voluntas generaliter determinata eſt ad non vivendam vitam homine indignam; generaliter determinata eſt ad non committendam actionem, quæ rationi contraria eſt. Quid igitur mirum, quod diſconvenientia actionis cum ratione ſit motivum non agendi ei, qui vitam homine indignam vivere non vult? Poteramus quoque addere, quemadmodum in anterioribus, quandonam convenientia cum ratione ſit motivum actionem non omittendi, & diſconvenientia cum eadem motivum non committendi: ſed non opus eſt, ut prolixiores ſimus, cum per anteriora intelligantur.

§. 399.

Actionis convenientia cum ratione ſit motivum ei, qui vitam perfectam vivere vult.

Cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam, ei motivum agendi eſt convenientia actionis cum ratione. Quoniam enim ſecundum rationem vivit qui vitam perfectam vivit (§. 55.); cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam, ei quoque ſeria voluntas eſt vivendi ſecundum rationem, conſequenter committendi actiones rationi conformes, ſeu eidem convenientes. Quodſi ergo cognoſcit, actionem aliquam rationi convenire; quin eam committere velit dubitandum non eſt (§. 386.). Quoniam itaque ex convenientia actionis cum ratione intelligitur, cur actionem com-

committere velit; hæc ipſa convenientia eſt ratio ſufficiens volitionis actionem committendi (§. 56. *Ontol.*). Sed hæc ratio motivum eſt agendi (§. 887. *Pſych. empir.*). Ergo convenientia actionis cum ratione eſt motivum agendi ei, cui ſeria eſt voluntas vivendi vitam perfectam.

Non eſt quod excipias, fieri poſſe ut quis non agnoſcat ſecundum rationem vivendum eſſe, ubi vitam perfectam vivere velis, adeoque cum ſeria voluntate vivendi vitam perfectam non poni convenientiam actionis cum ratione motivum agendi. Etenim nos ſupponimus, vitæ perfectæ notionem diſtinctam eſſe ei, qui eandem vivere vult. Neque enim urgemus actiones niſi omnimode rectas, ut quoad intellectum nihil deſideretur in actione noſtra. Quodſi vero cognitio ſupponi debet, qualis requiritur; ignotum eſſe nequit, quod vita perfecta ſit rationi conformis (§. 55), nec perfecta adeo eſſe poſſit, niſi quæ eidem convenit.

§. 400.

Vitam imperfectam vivere nolenti cur ſit motivum non agendi diſconvenientia cum ratione.

Cui ſeria eſt noluntas vivendi vitam imperfectam, ei motivum non agendi eſt diſconvenientia actionis cum ratione. Quoniam qui vitam perfectam vivit, ſecundum rationem vivit (§. 55.); neceſſe eſt ut, qui imperfectam vivit vitam, rationi adverſam ſeu minime convenientem agat (§. 28 *Ontol.*). Quodſi igitur tibi ſeria fuerit noluntas vivendi vitam imperfectam, noluntas tua generaliter determinata eſt ad non committendas actiones rationi minime convenientes, aut eidem adverſas (§. 386.). Quamobrem ubi cognoſcis actionem rationi minime convenire aut eidem adverſari, eam committere non vis. Diſconvenientia igitur cum ratione ſufficiens ratio eſt, cur actionem committere nolis (§. 56. *Ontol.*), adeoque motivum nolitionis eam committendi (§. 887. *Pſych. empir.*). Atque adeo patet, diſconvenientiam actionis cum ratione eſſe motivum non agendi ei, cui ſeria eſt noluntas vivendi vitam imperfectam.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, mutatis mutandis ad præſentem quoque applicari poſſunt.

§. 401.

Motivum vivendi vitam homine dignam.

Qui gloria ducitur, ei motivum agendi vitam homine dignam eſt benignum aliorum de actionibus ſuis judicium. Qui enim gloria ducitur, ei benignum aliorum de actionibus ſuis judicium placet (§. *772. Pſych. empir.*), conſequenter ſi judicent alii, quod recte agat (§. *765. Pſych. empir.*), adeoque eum facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt (§. *72. & ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*) & debet in determinandis actionibus ſuis (§. *169. 170. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hoc volumus quod nobis placet (§. *937. Pſych. empir.*); qui gloria ducitur, vult, ut alii de actionibus ſuis judicent, quod omnem faciat uſum facultatum ſuarum in iis determinandis, quem homo facere poteſt, conſequenter quin etiam velit ideo eundem facere dubitandum non eſt (§ *941. Ontol.*). Benignum adeo aliorum de actionibus ſuis judicium ratio ſufficiens (§. *56. Ontol.*), adeoque motivum eidem eſt, cur omnem facultatem ſuarum uſum facere velit in determinandis actionibus ſuis, quem facere poteſt homo (§ *887. Pſych. empir.*). Enimvero is vitam homine dignam vivit, qui eum facit in determinandis actionibus ſuis facultatum ſuarum uſum, quem homo facere poteſt, quod per ſe patet. Quamobrem benignum aliorum de actionibus ſuis judicium eſt motivum vitam homine dignam vivendi ei, qui gloria ducitur.

Poteramus *vitam homine dignam* definire per eam, quæ conſtat actionibus, in quibus determinandis homo omnem facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt ac debet. Etenim conceſſæ homini ſunt facultates, quibus carent bruta. Quamobrem ejus vita a vita brutorum aliter differre nequit, quam quod in

Digitized by Google

in actionibus ſuis determinandis eum facit illarum uſum, quem bruta facere nequeunt. Vitam adeo hominis vivit, qui uſum iſtum facit, atque hæc vita ipſo digna eſt. Cenſuram aliorum merito incurrit, ſi aliter vivat: vitam vero hominis ubi vivit, eam probare tenentur omnes, qui ex veritate de actionibus humanis ſtatuunt. Recte autem ſentientium judicia ſola ſunt, quæ movere nos debent: cenſuræ iniquæ contemnendæ.

§. 402.

Motivum non agendi vitam homine indignam.

Qui gloria ducitur, ei motivum non agendi vitam homine indignam eſt ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium. Qui enim gloria ducitur, ad pudorem pronus eſt (§. *781. Pſych. empir.*), adeoque malum exiſtimat, ſi alii norint, quæ a ſe minus recte facta ſunt (§. *777. Pſych. empir.*), conſequenter ſiniſtrum aliorum judicium ſibi tanquam malum repræſentat (§. *774. Pſych. empir.*), adeoque hoc ipſi motivum nolitionis eſt (§. *890. Pſych. empir.*). Quoniam itaque minus recte facit, ſi non eum facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt ac debet (§. *72. & ſeqq. 170 & 169. Part. I. Phil. pract. univ.*); judicium ſiniſtrum aliorum ipſi motivum eſt, ut nolit in determinandis actionibus ſuis non facere eum uſum facultatum ſuarum, quem facere poteſt ac debet. Enimvero vita homine indigna vivitur, ubi eum non facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt ac debet, quod per ſe patet. Eſt igitur motivum nolitionis vivendi vitam homine minus dignam ſiniſtrum aliorum de actionibus ſuis judicium ei, qui gloria ducitur.

Poteramus quoque *vitam homine indignam* definire per eam, in qua is facultatum ſuarum uſum in determinandis actionibus non facit, quem facere poteſt ac debet. Hunc enim uſum ubi negligit, eam vivit vitam, quam vivere poterat, etiamſi facultatibus iſtis deſtitueretur, conſequenter ſi homo non eſſet, ſed brutum. Ecquis vero eſt, qui homine indignum non judicet vi-

vere inſtar bruti, quod facultatibus ſuperioribus animæ caret, quibus is a brutis diſtinguitur? Fieri non poteſt, ut aliorum judiciis commoveatur animus, ubi tibi perinde eſt; ſive ab aliis in brutorum numerum referaris, ſive nomen hominis tueri exiſtimeris. Qui gloria ducitur, videri vult, qui eſt; ferre autem nequit ut habeatur pro eo, qui non eſt. Unde indignatur iniquis cenſoribus & calumniatoribus.

§. 403.

Convenientia vitæ homine dignæ cum lege naturæ quando motivum eam vivendi.

Si cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ei motivum vivendi vitam homine dignam eſt convenientia ejus cum lege naturæ. Etenim cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, ejus voluntas generaliter determinata eſt ad vivendam vitam legi naturæ conformem (§. *138. Part. I.* & §. *386. b.*). Enimvero vita legi naturali conformis & naturæ humanæ conveniens iisdem regulis continetur (§. 57.). Voluntas igitur etiam determinata eſt ad vivendam vitam naturæ humanæ convenientem, adeoque homine dignam, quamprimum agnoſcitur, vitam homine dignam convenire legi naturæ. Quoniam itaque convenientia vitæ homine dignæ cum lege naturali ratio ſufficiens eſt, cur is, cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi, vitam homine dignam vivere velit (§. *56 Ontol.*), ratio autem ſufficiens volitionis motivum eſt (§. *887 Pſych. empir.*); convenientia vitæ homine dignæ cum lege naturali motivum vitam iſtam vivendi ei eſt, cui ſeria voluntas legem naturæ ſervandi.

Oſtenditur etiam hoc modo. Convenientia actionis cum lege naturali eſt motivum agendi ei, cui ſeria eſt voluntas legem naturæ ſervandi (§. 372.). Quamobrem ubi agnoſcit, vitam homine dignam eſſe legi naturæ convenientem (§. 57.); convenientia quoque hujus vitæ cum lege naturæ ipſi motivum eſſe debet eandem vivendi.

Non

Digitized by Google

Non omnes homines gloria ducuntur, ut benignum recte ſentientium judicium de actionibus ſuis eorum animos ad agendum commovere poſſit. Iis igitur voluntas vitam homine dignam inſtillari poteſt per convenientiam cum lege naturali, ubi per aliud motivum voluntas ad ſervandam legem naturæ determinata fuerit (§. 326.). Ubi vero voluntas per hoc motivum determinata fuerit ad vitam homine dignam vivendam; tum per judicium recte ſentientium roboratur, etſi hoc ſolum non ſufficiebat eidem determinandæ, quatenus jam agnoſcitur, præſtare eam vivere vitam, quam recte ſentientes approbant, quam contrariam.

§. 404.

Diſconvenientia cum lege naturali quando motivum non vivendi vitam homine indignam.

Cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi, ei motivum non vivendi vitam homine indignam eſt ejus diſconvenientia cum lege naturali. Quoniam enim vita naturæ humanæ conveniens, adeoque homine digna, eſt legi naturæ conformis (§. 57.); neceſſe eſt vitam homine indignam non eſſe legi naturæ conformem, ſeu eidem non convenire (§. 53 *Ontol.*). Quamobrem cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi, conſequenter noluntas committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 139. *Part I. Phil. pract. univ.*); cum vita moralis ſit actionum liberarum complexus (§. 7.), is quoque vitam legi naturæ contrariam, adeoque homine indignam, vivere non vult (§. 386.). Quoniam itaque ex diſconvenientia vitæ homine indignæ cum lege naturali intelligitur, cur eam vivere nolit, qui ſerio legem naturæ transgredi non vult; hæc diſconvenientia cum lege naturæ eſt ratio ſufficiens, cur eam vivere nolit (§. 56. *Ontol.*). Eſt igitur diſconvenientia vitæ homine indignæ cum lege naturali motivum eam non vivendi ei, cui ſeria eſt noluntas legem naturæ transgrediendi (§. 887. *Pſych. empir.*).

Quæ

Digitized by Google

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, de præſente etiam notanda veniunt.

§. 405.

Quandonam voluntas & noluntas divina fiat motivum.

Qui cognoſcit ſe eſſe ſervum DEI, ei motivum agendi eſt voluntas divina, noluntas vero divina motivum non agendi. Etenim qui cognoſcit ſe eſſe ſervum DEI, is agnoſcit ſe eſſe in dominio ipſius (§. *967. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum DEUS de actionibus humanis vi dominii pro arbitrio ſuo diſponere poſſit (§. *959. Part. I. Theol. nat.*); ſibi quoque voluntatem & noluntatem divinam loco propriæ voluntatis ac noluntatis eſſe debere agnoſcit. Quoniam itaque hoc facere vult, quia DEUS vult ut faciat; iſtud facere non vult, quia DEUS non vult ut faciat; voluntas & noluntas divina eſt ratio ſufficiens, cur agere vel non agere velit (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum eadem ſit motivum agendi & non agendi (§. *887. Pſych. empir.*); voluntas divina eſt motivum agendi, noluntas vero divina motivum non agendi ei, qui ſe ſervum DEI eſſe cognoſcit.

Hinc elucet utilitas doctrinæ de dominio DEI in hominem, quam prolixe ſatis tradidimus in *Theologia naturali c. 6. Part. I.* Quamobrem ut hoc motivum majus acquirat robur, probe penſitanda ſunt, quæ ibidem demonſtrantur, & demonſtrationes omni attentione expendendæ, ut convincatur animus. Ita enim cognitionem vivam acquiremus hujus principii, quod homo qua ſervus DEI Domini ſui voluntatem ac noluntatem ſuam in divinam reſolvere debeat (§. 248.).

§. 406.

Motivum ejus, qui pro Domino ſuo

Si quis dominium DEI in ſe agnoſcit, ſeu DEUM eſſe Dominum ſuum pro certo habet; ei voluntas & noluntas divina eſt motivum agendi & non agendi. Quoniam in propoſitione præcedente ex notione dominii oſtendimus eadem motiva

motiva eſſe ei, qui agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI; demonſtratio præcedens ad præſentem quoque propoſitionem applicari poteſt. *Deum habet.*

Qui agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, is etiam agnoſcit eſſe DEUM Dominum ſuum. Unde etiam beatiſſima virgo ſe dicit ancillam non DEI, ſed Domini Luc. I. ut ſignificet, ſe eſſe ancillam DEI, quia DEUS eſt Dominus ſuus. Quid ergo mirum, quod eadem ſit eorundem motivorum demonſtratio de eo, qui ſe ſervum DEI eſſe agnoſcit, & de eo, qui DEUM Dominum ſuum eſſe agnoſcit? Propoſitio igitur præſens & præcedens re ipſa coincidunt. Propter uſum tamen, cum una enunciatio nunc ſit aptior altera, quemadmodum ſuo loco conſtabit, utramque apponi conſultum fuit. Ipſa vero beatiſſima virgo exemplo ſuo docet, quod, qui ſe ſervum DEI & DEUM Dominum ſuum agnoſcit, voluntatem et noluntatem divinam pro motivis habeat (*loco cit.*). Non eſt quod excipias, veritatem hanc noſſe multos, qui tamen voluntate ac noluntate divina non utantur motivis: hi enim aut deſtituuntur cognitione viva, quæ ſola motivum voluntatis ac noluntatis ſit, aut aliis motivis in transverſum abripiuntur: neque enim motiva cogunt (*§. 931. Pſych. empir*), ſed anima tantummodo iisdem convenienter ſe determinat (*§. 932. Pſych. empir.*).

§. 407.

Si quis agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, aut DEI in ſe dominium agnoſcit; ei motivum ſervandi legem naturæ, eamque non transgrediendi eſt dominium divinum. Qui enim agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, aut DEI in ſe dominium agnoſcit, ei motivum agendi eſt voluntas divina, motivum non agendi eſt noluntas divina (§. 405. 406.). Quamobrem cum DEUS hominem obliget ad legem naturæ ſervandam (*§. 276. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque etiam ad eam minime transgrediendam (*§. 140. Part. I. Phil. pract. univ.*); DEUS *Motivum cuſtodiendi legem naturæ.*

Digitized by Google

vult ut legem naturæ ſervemus, non vult ut eandem transgrediamur (§. *118. Part. I. Phil. pract. univ.*); id quod etiam patet ex eo, quod lex naturæ ſit voluntati divinæ conformis (§. *284. Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui igitur agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, aut DEI in ſe dominium agnoſcit; ei motivum ſervandi legem naturalem, & eam minime transgrediendi eſt dominium divinum.

Nimirum qui agnoſcit ſe eſſe ſervum DEI, & DEUM eſſe Dominum ſuum, is ideo agere vult, quod præcipit DEUS, quia DEUS Dominus eſt, adeoque præcipiendi jus habet, ac ideo agere non vult, quod DEUS prohibet, quia DEUS Dominus eſt, adeoque prohibendi jus habet. De utroque minime dubitabit, qui ſatis perſpexit, quæ de dominio DEI demonſtravimus in parte prima Theologiæ naturalis, ut eorum cognitione viva imbuatur animus. Ratio igitur ſervandi legem naturæ ſufficiens eſt, quod DEUS ſit Dominus, & ratio eam minime transgrediendi ſufficiens, quod DEUS ſit Dominus (§. *56 Ontol.*), conſequenter dominium divinum eſt motivum ſervandi legem naturæ, eamque minime transgrediendi. Inprimis huc facit, quod DEUS ſit Dominus ſumme bonus (§. *997. Part. I. Theol. nat.*) & ſeruos ſuos amet, eosque velit eſſe felices, non infelices, (§. *998. Part. I. Theol. nat.*).

§. 408.

Fons obligationis divinæ ad cuſtodiendam legem naturæ.

Bonitatis divinæ eſt, quod DEUS nos obliget ad naturæ legem ſervandam, eamque minime transgrediendam. Etenim bonitatis divinæ eſt, quod velit hominem actiones ſuas dirigere ad ſui ſtatusque ſui (§. *907. Part. I. Theol. nat.*), & ad aliorum ſtatusque eorundem perfectionem (§. *991. Part. I. Theol. nat.*), conſequenter ad committendas actiones legi naturæ conformes (§. *167. Part. I. Phil. pract. univ.*), & ad non committendas ſeu omittendas actiones eidem contrarias (§. *168. Part. I. Phil.*

pract.

pract. univ.), & ad utrumque nos obliget (§. *987. Part. I. Theol. nat.*). Enimvero qui actiones committit legi naturæ conformes, & omittit eidem contrarias, legem naturæ ſervat (§. *138. Part. I. Phil pract. univ.*), & qui actiones committit legi naturæ contrarias, omittit vero eidem conformes, eandem transgreditur (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*). Bonitatis igitur divinæ eſt, quod DEUS nos obliget ad legem naturæ ſervandam, eamque minime transgrediendam.

Equidem jam demonſtravimus DEUM obligare hominem ad naturæ legem ſervandam (§. *276. Part I. Phil. pract univ.*), conſequenter etiam ad eam minime transgrediendam (§. *140. Part. I. Phil. pract. univ.*); hic vero evincimus, obligationem iſtam proficiſci ex bonitate divina, ut ejus fontem agnoſcamus. Mox enim patebit, quantum momenti in hac cognitione ſitum ſit. Qui vero veritatis hujus convinci voluerit, ei probe perſpecta eſſe debent principia, ad quæ in demonſtratione provocamus (§. *991. Log.*). Quodſi ex anterioribus haurire nolit, quæ aſſenſum gignunt ſucceſſive (§. *992 993. Log.*); is ſibi imputet, non mihi, ubi ſe minime convictum ſentit. Philoſopho non competit potentia miraculoſa in naturam humanam, qua absque legitimo facultatum humanarum uſu aſſenſum determinare poſſit per ſaltum. Quodſi demonſtrationem in ſua principia remota reſolvere volueris (§. *992. Log.*), facile conſtabit, cujusnam culpa aſſenſus vacillet, & quænam ſit ratio, cur animus majoribus, quam antea, dubiis urgeatur, cum ad ſolas notiones confuſas eandem adverteres.

§. 409.

Bonitas divina eſt motivum ſervandi legem naturæ, eamque minime transgrediendi. Etenim bonitatis divinæ eſt, quod DEUS nos obliget ad naturæ legem ſervandam, eamque minime transgrediendam (§. 408). Enimvero DEUS qui ſumme bonus eſt, ita ut bonitatem majorem concipi repugnet (§. *699. Part. I. Theol. nat.*), in homines tantundem boni

Bonitas divina cur ſit motivum ſervandi legem naturæ.

boni conferre vult, quantum fieri poteſt (§. *696. Part. I. Theol. nat.*), adeoque hoc ipſo etiam in hominem conferre vult bona, quod eum obliget ad naturæ legem ſervandam, eandemque minime transgrediendam. Quoniam itaque homo obligationem ad ſervandam naturæ legem, eamque minime transgrediendam ſibi repræſentare nequit, niſi tanquam bonam vi bonitatis divinæ, ac ideo agnoſcit bonum eſſe, ut eidem ſatisfaciat; hæc ipſa autem repræſentatio motivum volitionis eſt (§. *890. Pſych. empir.*); quin bonitas divina ſit motivum ſervandi legem naturæ eamque minime transgrediendi, dubitandum non eſt.

Qui ad ſolum dominium divinum animum advertunt, nec perpendunt, DEUM eſſe Dominum ſumme bonum (*§. 997. Part. I. Theol. nat.*), & ſervorum ſuorum felicitatem velle (*§. 998. Part. I. Theol. nat.*); legem naturæ pro jugo habent a DEO ſibi impoſito, ubi eam cupiditatibus ſuis adverſam experiuntur. Præjudicium hoc in cauſa eſt, ut vel legem naturæ transgredi, quam eandem ſervare malint, vel ubi metu pœnarum equidem omittunt actiones legi naturæ contrarias, vel eidem conformes committunt (§. *364. Part. I. Phil. pract. univ.*); neutrum tamen faciunt ſine animi moleſtia (*§. 366. Part. I. Phil. pract. univ.*), a vera virtute adhuc alieni (*§. 347. 348. Part. I. Phil. pract. univ.*). Alia vero eſt ratio, ubi quis bonitate divina permovetur ad naturæ legem ſervandam, eamque minime transgrediendam. Is nimirum agnoſcit, optime ſibi conſuli, ubi legem naturæ ſervet, nec in minimis eandem violet. Non nego idem cognoſci poſſe independenter a bonitate divina, cum independenter ab eadem demonſtraverimus felicitatem legis naturalis cuſtodia acquiri (*§. 396. Part. I. Phil. pract. univ.*), immo eadem conſervari (*§. 397. Part. I. Phil. pract. univ.*), nec ſine eadem acquiri ac conſervari poſſe (*§. 397. 398. Part. I. Phil. pract. univ.*); non tamen hinc ſequitur, bonitatem divinam non eſſe motivum legem naturæ ſervandi, eandemque minime transgrediendi. Sit enim quod hoc motivum depen-

Digitized by Google

dependeat ab alio, felicitate nimirum noſtra, quam eſſe motivum ſervandi legem ſupra demonſtravimus (§. 326.); non tamen ideo ejus nulla eſt efficacia. Veritates, quarum cognitio ab aliis in appetitum influentibus dependet, ea de cauſa, quod inde pendeant, non minus influunt in voluntatis ac noluntatis determinationem, quam ſi ab iis minime dependerent. Immo qui bonitatis divinæ convictus eſt, ex ea ſola infert, DEUM non poſſe præcipere felicitati hominis adverſa, nec prohibere ea, quæ ad eandem conducunt, etiamſi a priori non cognoſcat, cuſtodiam legis naturalis eſſe medium unicum felicitatem conſequendi ac conſervandi: quo in caſu bonitas divina per ſe influit in voluntatis determinationem ad naturæ legem ſervandam, & in noluntatis determinationem ad eandem minime transgrediendam. Quomodo bonitas divina per ſe ſit motivum legem naturæ ſervandi, nec eam transgrediendi, plenius conſtabit, ubi praxin officiorum hominis erga DEUM tradiderimus.

§. 410.

Bonitas divina cur ſit motivam vitam perfeſtam vivendi.

Bonitas divina eſt motivum vivendi vitam perfectam. Quoniam qui vitam perfectam vivere vult, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere debet, ſed actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformare tenetur (§. 17.); idem quoque legem naturæ ſervet, minime autem transgrediatur opus eſt (§. *138. 139. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque motivum ſervandi legem naturæ, nec eam transgrediendi, eſt etiam motivum vitæ perfectæ. Enimvero bonitas divina motivum eſt legem naturæ ſervandi, eandemque minime transgrediendi (§. 409.). Eſt igitur etiam motivum vivendi vitam perfectam.

Nimirum per bonitatem divinam, ubi ejus convictus fuerit animus, voluntas determinatur generaliter ad naturæ legem ſervandam, & noluntas ad eam non transgrediendam. Quamprimum itaque agnoſcitur, tum demum vivi poſſe vitam perfectam, ubi

Digitized by Google

legem naturæ ex aſſe ſerves, nec in minimis eandem transgrediaris; voluntas quoque determinatur ad vivendum vitam perfectam. Et hoc pacto bonitas divina fit motivum eam vivendi.

§. 411.

Ardor agendi quomodo excitetur.

Si alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis convincas voluptatis veræ ex actione percipiendæ; ardorem agendi in eodem excitabis. Etenim cum ad felicitatem hominis quidpiam conferat, quicquid voluptatem veram nobis creat (§. *638. Pſych. empir.*); ubi alterum vi demonſtrationis convincis voluptatis veræ ex actione percipiendæ (§. *990. Log.*), eum certum reddis actionem iſtam ad felicitatem ipſius quidpiam conferre (§. *982. Log.*). Eſt vero felicitas motivum agendi (§. 326.), & anima ſeſe motivis ſuis convenienter determinat ad volendum (§. *932. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi alterum convincis vi demonſtrationis voluptatis veræ ex actione percipiendæ; actus voluntatis determinatur, quo actionem committere vult. Exempla nos convincunt veritatum moralium (§. 269.), & fabulæ magnam vim habent eas aliis perſuadendi (§. 315.), & non minus fabulæ (§. 307.), quam exempla easdem ad cognitionem intuitivam reducunt (§. 258.), ut etiam vel ſenſuum, vel imaginationis ope voluptatem iſtam nobis repræſentemus, ac prægustum ejus habeamus. Quamobrem cum prægustus voluptatis ex bono abſente, quod nobis præſens eſſe mallemus, cupiditas ſit (§. *805. Pyſch. empir.*); ubi alterum exemplis atque fabulis convincis voluptatis veræ ex actione percipiendæ, cupiditas excitatur. Quodſi igitur cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis convincas alterum voluptatis veræ ex actione percipiendæ, actus voluntatis cupiditate ſtipatur (*per demonſtrata*). Actus voluntatis cupiditate ſtipatus ardor eſt (§. 218.). Patet itaque

Digitized by Google

que ardorem agendi in altero excitari, ubi eum vi demonſtrationis & exemplis atque fabulis conviceris voluptatis veræ ex actione percipiendæ.

Videmus adeo, cur ſcientiæ, quæ debetur demonſtrationi (§. 598 *Log.*), experientia jungenda ſit in praxi morali, quæ exempla nobis ſuppeditat, & fabularum materiam ſuggerit. Neque enim vi demonſtrationis ſola ardor agendi excitari poteſt, qui tamen facit, ut actionem fortius appetamus, & ad agendum promptiſſimi ſimus (§. 223.), nec a propoſito noſtro nos facile dimoveri patiamur (§. 224.).

§. 412.

Ardor legem naturæ ſervandi, & vivendi vitam perfectam ac rationi conformem, & homine dignam, quomodo excitetur.

Quoniam felicitas, adeoque ſtatus, quo vera voluptas perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), eſt motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326.), adeoque hanc ſervandi (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ubi vero alterum conviceris cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis voluptatis veræ ex actionibus percipiendæ, ardorem agendi in eodem excitas (§. 411.); *ſi alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis, atque fabulis convincas, felicitatem legis naturalis cuſtodia acquiri & conſervari, nec abſque ea acquiri ac conſervari poſſe* (§. 396 397 398. *Part. I. Phil. pract. univ.*), *ardorem ſervandi legem naturæ in eo excitabis,* conſequenter *committendi actiones legi naturæ conformes* (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque *vivendi vitam legi naturæ conformem* (§. 7.), *immo & vivendi vitam perfectam* (§. 17.), *adeoque etiam vitam rationi conformem* (§. 55.), *ac ideo quoque vitam homine dignam* (§. 53. 57.).

Nimirum ſi ardor adeſt legem naturæ ſervandi, ſeu committendi actiones legi naturæ conformes; idem extenditur ad vitam perfectam, ad vitam rationi conformem, ad vitam homine dignam, quamprimum cognoveris non alias requiri actiones ad vitam

Digitized by Google

tam perfectam, rationi conformem & homine dignam, quam quæ legi naturali ad amuſſim conveniunt. Id autem doceri poteſt per ea, quæ in ſuperioribus demonſtravimus. Neque adeo opus eſt, ut ſigillatim excitetur ardor vivendi vitam perfectam, rationi conformem atque homine dignam.

§. 413.

Quomodo ardor non agendi excitetur.

Si alterum vi demonſtrationis & exemplis atque fabulis conviceris tædiorum ex actione percipiendorum, ardor non agendi excitatur. Cum enim ad infelicitatem hominis quidpiam conferat, quicquid homini tædium creat (§. 639. *Pſych. empir.*); ubi eum vi demonſtrationis conviceris tædiorum ex actione percipiendorum (§ 990. *Log.*), pro certo habet, actionem iſtam ad infelicitatem ſuam quidpiam conferre (§. 982. *Log.*). Quamobrem cum infelicitas ſit motivum non agendi (§. 327.), & anima motivis ſuis convenienter ſeſe determinet ad nolendum (§. 932. *Pſych. empir.*); actus noluntatis determinatur. Quoniam exempla non minus (§. 258.), quam fabulæ veritates morales ad cognitionem intuitivam reducunt (§. 307.); ubi eorundem tædiorum exemplis (§ 269.) atque fabulis alterum conviceris (§. 315.), tædiorum ex actione percipiendorum præguſtum habet (§. 286. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum præguſtus tædii ex malo abſente percipiendi, ſi nobis præſens foret, fuga ſit (§. 813. *Pſych. empir.*); affectus excitatur, qui fuga appellatur. Quodſi ergo alterum vi demonſtrationis & exemplis atque fabulis conviceris tædiorum ex actione percipiendorum, actum noluntatis fuga comitatur (*per demonſtrata*). Enimvero actus noluntatis, quem fuga comitatur, ardor non agendi eſt (§. 218.). Patet itaque ardorem non agendi excitari, ubi alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis conviceris tædiorum ex actione percipiendorum.

Nobis

Digitized by Google

Non ſufficit, ut vi demonſtrationis perducaris ad cognitionem vivam tædiorum ex actione percipiendorum, ubi firmum eſſe debet propoſitum. Etſi enim cognitio tædiorum viva influat in voluntatem, ut eorum certus actiones committere nolis, ex parte tamen appetitus ſenſitivi adhuc adeſt obſtaculum, niſi prægustum eorum habeas, ut ardori ſit locus. Non eſt quod excipias, DEO eſſe firmiſſimum propoſitum, a quo nunquam recedit, etſi voluntatem determinet per ſolum intellectus actum, utpote libero ab omni affectu (*§. 1103. Part. I. Theol. nat.*). Cum enim appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva careat (*§. 1101. 1102. Part. I. Theol. nat.*), nec pugna appetitus ſenſitivi & rationalis, itemque averſationis ſenſitivæ ac rationalis in eodem locum habet (*§. 917. Pſych. empir.*), ut ad firmandum propoſitum appetitus ſenſitivus ad conſenſum cum rationali, & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reduci debeat (*§. 908. 915. Pſych. empir.*). A DEO igitur ad hominem argumentatio nulla eſt. Iis, qui hebetiores ſunt, quam ut convictionem a perſuaſione diſtinguere valeant, perſuaſio convictionis loco eſt. Tumque ardor oritur, ubi alteri perſuaſeris voluptatem veram & tædia ex actione percipienda rationibus atque exemplis & fabulis. Unde demonſtrationibus noſtris non contrariatur, ſi vehementem ardorem agendi etiam in iis obſerves, qui veritatis minime ſunt convicti. Immo cum fieri poſſit, & haud raro contingat, ut ſibi convicti videantur, qui non ſunt, etſi inter convictionem & perſuaſionem diſcrimen intercedens minime ignorent; in iis opinio convictionis tuetur locum convictionis, quæ veræ demonſtrationi debetur. Sed in Philoſophia docemus, quomodo ex veritate fieri debeant omnia.

§. 414.

Ardor legem naturæ non transgrediendi nec vivendi vitam imper-

Quoniam infelicitas, adeoque ſtatus, quo tædia perdurant (§. *637. Pſych. empir.*), eſt motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327.), adeoque eam non transgrediendi (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*); ubi vero alterum convinces vi demonſtrationis & exemplis atque fa-

fectam ac rationi contrariam, adeoque homine indignam, quomodo excitetur.

bulis tædiorum ex actione percipiendorum, ardor non agendi excitatur (§. 413.); *Si alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis convincas, transgreſſione legis naturalis hominem fieri infelicem* (§. 405. *Part. I. Phil. pract. univ.*), *felicitatem vero omittere* (§. 401. *Part. I. Phil. pract. univ.*), *ardorem non transgrediendi legem naturæ in eo excitabis*, conſequenter *omittendi actiones legi naturæ contrarias* (§. 139. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque *non vivendi vitam legi naturæ contrariam* (§. 7.), immo *non vivendi vitam imperfectam* (§. 20.), conſequenter *non vivendi vitam rationi contrariam* (§. 57.), adeoque *homine indignam* (§. 53. 57.).

Nimirum ſi ardor legem naturæ minime transgrediendi, ſeu actiones eidem contrarias non edendi adeſt, idem ad fugam vitæ imperfectæ, rationi contrariæ ac homine indignæ extenditur, quam primum vitam imperfectam rationi contrariam ac homine indignam iſtis actionibus contineri agnoſcitur. Intelligitur vero verum per ea, quæ in ſuperioribus demonſtrata ſunt. Non igitur opus eſt, ut ſigillatim excitetur ardor non vivendi vitam imperfectam, rationi contrariam atque homine indignam, quamvis non inutile ſit cumulari motiva, tum quia ſic ardor magis inflammatur, tum quia pro diverſitate ſubjectorum aliis motivis facilius accenditur: id quod etiam ad propoſitionem ſuperiorem de ardore legem naturæ ſervandi vivendique vitam perfectam, rationi conformem ac homine dignam annotari poterat. Neque alio fine diverſos fontes motivorum in anterioribus aperuimus, quam ut ea ſeligantur, quæ pro data occaſione optima ſunt, ut appetitus vel averſatio incitetur, ubi enim jam inclinatus fueris ad agendum, vel reclinatus ab agendo, ceteris motivis dabis locum, quæ nulla attentione ante dignari volebas.

§. 415.

§. 415.

Ardor colendi virtutem eodem modo excitatur, quo excitatur ardor legem naturæ ſervandi. Qui enim virtutem colit, actiones ſuas legi naturali conformiter dirigere ſtudet (§. 321. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter omnem movet lapidem, ut eandem ſervet (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cui ardor eſt ſervandi legem naturæ, eidem etiam ardor eſt colendi virtutem. Ardor itaque colendi virtutem eodem modo excitatur, quo ardor ſervandi legem naturæ. *Ardor colendi virtutem quomodo excitetur.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Felicitas eſt motivum culturæ virtutis (§. 328.), quemadmodum motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326.), conſequenter eandem ſervandi (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ea de cauſa ardor ſervandi legem naturæ excitetur; ſi alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis convincas felicitatem legis naturalis cuſtodia acquiri ac conſervari (§. 412.); hac ipſa convictione excitabitur quoque ardor colendi virtutum. Excitatur adeo ardor virtutem colendi eodem modo, quo ardor ſervandi legem naturæ.

Ut ardor ſervandi legem naturæ excitetur, animum advertere debemus ad ea, quæ de legis naturalis cuſtodia demonſtrantur, & exemplis atque fabulis confirmantur. Ut autem hic ardor etiam excitetur in eo, qui virtutem cogitat; non alia re opus eſt, quam ut perpendat, quid ſit virtus, nimirum habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Et ubi ardore ſervandi legem naturæ flagras, is ad virtutis culturam ſua veluti ſponte extenditur, quamprimum perpendis te colere virtutem, ubi legi naturali ſervandæ ſtudes. Unde apparet, quam utile, immo neceſſarium ſit, in moralibus omnia revocari ad notiones diſtinctas, & notiones haſce eſſe familiares.

§. 416.

Ardor fugiendi vitia quomodo excitetur.

Ardor fugiendi vitia eodem modo excitatur, quo excitatur ardor legem naturæ non transgrediendi. Qui enim vitium fugit, actiones ſuas contraria ratione dirigere, quam lege naturali præſcribitur (§. *322. Part. I Phil. pract. univ.*), conſequenter legem naturæ transgredi non vult (§. *139. Part. I. Phil. pract univ.*). Quamobrem cui ardor eſt legem naturæ minime transgrediendi; eidem etiam ardor eſt fugiendi vitium. Ardor itaque fugiendi vitium eodem modo excitatur, quo ardor legem naturæ non transgrediendi.

Oſtenditur etiam hoc modo. Infelicitas eſt motivum vitiorum fugiendorum (§. 329.), quemadmodum motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327.), conſequenter eam non transgrediendi (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ea de cauſa ardor non transgrediendi legem naturæ excitetur, ſi alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis conviceris, transgreſſione legis naturalis homines fieri infelices, & felicitate privari (§. 414.); eadem convictione excitabitur quoque ardor fugiendi vitia. Ardor igitur fugiendi vitia eodem prorſus modo excitatur, quo ardor legem naturæ non transgrediendi.

Quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea mutatis mutandis de præſente etiam tenenda ſunt.

§. 417.

Ardor proſequendi ſummi boni quomodo excitetur.

Si quem cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis conviceris, felicem eſſe, qui ſummum bonum conſequitur (§. *395. Part. I. Phil. pract. univ.*); *ardor proſequendi ſummi boni excitabitur.* Oſtenditur eodem prorſus modo, quo antea

Digitized by Google

antea evicimus, ardorem ſervandi legem naturalem excitari, ubi alterum vi demonſtrationis & exemplis atque fabulis conviceris, felicitatem legis naturalis cuſtodia acquiri & conſervari (§. 412.).

Quoniam ſummum bonum per ſe appetibile, ſuique ipſius motivum eſt, ſi diſtincte cognoſcitur (§. 331.), quod vero felix ſit, qui idem conſequitur, vi demonſtrationis convici nequit, niſi qui, quid ſit, diſtincte cognoſcit, quemadmodum reſolutione demonſtrationis in ſua principia (*§. 992. Log.*) pateſcit (*§. 395. Part. I. Phil. pract. univ.*); appetitus jam eſt diſpoſitus ad ſummum bonum appetendum, antequam felicitate uti datur tanquam motivo. Unde intelligitur, ardorem accedente hoc motivo tanto magis inflammari.

§. 418.

Ardor fugiendi ſummi mali quomodo excitetur.

Ardor ſummi mali fugiendi excitatur, ſi alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis conviceris, infelicitatem a ſummo malo ſeparari non poſſe (*§. 407. Part. I. Phil. pract. univ.*). Demonſtratur eodem prorſus modo, quo paulo ante oſtendimus, ardorem non transgrediendi legem naturalem excitari, ubi alterum cum vi demonſtrationis, tum exemplis atque fabulis conviceris, transgreſſione legis naturalis hominem fieri infelicem (§. 414.).

Quoniam ſummum malum per ſe averſabile atque ipſum motivum eſt idem nolendi, ſi diſtincte cognoſcitur (§. 333.); mutatis mutandis ad præſentem etiam propoſitionem applicari poſſunt, quæ ad præcedentem annotavimus. Ceterum cum in ſuperioribus demonſtraverimus, felicitatem eſſe motivum vitæ perfectæ (§. 334.), nec non vitæ rationi ac voluntati Numinis conformis, & naturæ humanæ convenientis (§. 345.); nemo non videt, eodem etiam modo excitari poſſe ardorem vitam perfectam, rationi ac voluntati Numinis conformem, nec non naturæ humanæ

Digitized by Google

convenientem vivendi, quo ſupra demonſtravimus excitari ardorem legem naturæ ſervandi (§. 412.). Similiter, cum infelicitas ſit motivum fugiendi vitam imperfectam (§. 346.), vitamque rationi ac voluntati Numinis contrariam, nec non naturæ humanæ minime convenientem (§. 347.); eodem modo excitabitur ardor fugiendi vitam imperfectam, rationi ac voluntati Numinis contrariam, atque humanæ naturæ minime convenientem, quo ardorem non transgrediendi legem naturalem excitari oſtendimus (§. 414.). Superfluum itaque exiſtimamus de his plura dicere.

§. 419.

Quando ad propoſitum agendi perveniatur.

Si motiva agendi prævalent motivis non agendi, & contra, vel nulla proſtat ratio in contrarium, ad propoſitum agendi vel non agendi adducimur. Quoniam anima ſeſe determinat ad volendum, vel nolendum, motivis ſuis convenienter (§. 932. *Pſych. empir.*), ſi motiva agendi prævalent motivis non agendi, agere potius vult, quam non vult, nec ulla adeſt ratio, cur agere nolit, & ex adverſo, ſi motiva non agendi prævalent motivis agendi, agere potius non vult, quam vult, nec ulla adeſt ratio, cur agere velit, conſequenter nil obſtat, quo minus in utroque caſu, quod decrevit, exequi velit (§. *497. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum actus voluntatis, quo determinatur executio decreti, ſit propoſitum (§. *503. Part. I. Theol. nat.*); ſi motiva agendi prævalent motivis non agendi, ad propoſitum agendi adducimur; ſi vero motiva non agendi prævalent motivis agendi, quin decretum ſequatur propoſitum dubitandum non eſt.

Similiter, ſi tibi ſit motivum agendi vel non agendi, agere vis vel non vis (§. *887. Pſych. empir.* & §. *118. Ontol.*). Quamobrem cum determinatio voluntatis ad aliquid agendum vel non agendum ſit decretum (§. *497. Part. I. Theol. nat.*);

Digitized by Google

nat.); ſi tibi fuerit motivum agendi vel non agendi, agere vel non agere decernis. Quodſi ergo nulla proſtet ratio in contrarium, nil obſtat, quo minus quod decreviſti, exequi velis (§. *70. Ontol.*). Enimvero actus voluntatis propoſitum eſt, quo executio decreti determinatur (§. *503. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem ſi tibi fuerit motivum agendi vel non agendi, nec ulla proſtet ratio in contrarium; ad propoſitum agendi adduceris.

Quodſi nulla in contrarium ſuccurrit ratio, ubi aliquid decreviſti, propoſitum ſine mora ſequitur decretum, ut utrumque pro uno eodemque voluntatis actu habeatur, tumque propoſitum a decreto difficulter diſtinguitur. Quamobrem ſi propoſitum a decreto diſtinguere velis, antequam ſufficiente acumine utaris ad idem diſcernendum in omni caſu; neceſſe eſt animum ad eos caſus advertas, ubi inter decretum & propoſitum mora quædam interjicitur. Ponamus te cœli ſerenitate allectum decernere iter ad amicum rure degentem, ſed ſtatim animum ad alia divertere. Ubi is ad ſe redit, & cœli ſereni adſpectus decretum tibi in memoriam revocat (*§. 117. 228. Pſych. empir.*); dum ad amicum excurrere vis, quemadmodum decreviſti, propoſitum ſequitur. Actus hic voluntatis, quo antecedens approbatur, propoſitum eſt. Nimirum quemadmodum actum voluntatis ſemper præcedit judicium aliquod, ita etiam propoſitum, quod in actu voluntatis conſiſtit (*§. 503. Part. I. Theol. nat.*), præcedit judicium, quo decretum ſeu anterior actus voluntatis approbatur, quatenus judicas, te non male decreviſſe. Conſiſtit autem propoſitum ſemper in actu voluntatis poſitivo, quatenus exequi vis, quod decreviſti, quia approbas, quod agere vel non agere decreveras. Etenim non agere vis, ubi decretum non agendi exequi volueris. Differunt autem nolle agere, & velle non agere. Qui enim agere non vult, ſibi actionem repræſentat tanquam malam (*§. 890. Pſych. empir.*): qui vult non agere, actionis omiſſionem ſibi repræſentat tanquam bonam (*§. cit.*).

Digitized by Google

(*ſ. cit.*). Neque vero homines tantummodo omiſſionem actionis bonam judicant, ubi agendi occaſio præterlapſa; verum etiam ubi adhuc adeſt, vel expectatur. Utrumque experientia docet, modo recordemur eorum, quæ vel in nobismetipſis, vel in aliis experti ſumus, vel adhuc animum advertere velimus ad verba aliorum, quibus ſua de actionibus omittendis, vel omiſſis judicia ſignificant.

§. 420.

Alius caſus.

Si nulla fuerit pugna inter partem facultatis appetendi & averſandi ſuperiorem ac inferiorem; ad propoſitum pervenitur. Etenim ſi nulla pugna eſt partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi & averſandi, nullus in appetendo eſt diſſenſus (§. 917. *Pſych. empir.*), adeoque appetitus rationalis & ſenſitivus tendunt ad idem objectum (§. 908. *Pſych. empir.*), aut averſatio rationalis & ſenſitiva in eodem objecto concurrunt (§. 915. *Pſych. empir.*), vel actus alterutrius tantummodo partis adeſt. Nulla igitur adeſt ratio, cur, quod decreviſti, exequi non velis. Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (§. 70. *Ontol.*); quin quod decreviſti, exequi velis, dubitandum non eſt. Quoniam itaque actus voluntatis, quo determinatur executio decreti, propoſitum eſt (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*); ſi nulla fuerit pugna inter partem facultatis appetendi & averſandi ſuperiorem ac inferiorem, propoſitum decretum ſequitur.

Subinde executio decreti peculiarem requirit conſultationem de modo agendi & tempore, quo id exequendum. Atque tum perſpicuum eſt, propoſitum a decreto differre, & ipſum ſequi, etſi conſultationem excipiat novum decretum de modo & tempore agendi, & hoc ipſum firmetur novo propoſito. Propoſitum nimirum involvit actum voluntatis non mutandi decretum. Si nulla fuerit pugna inter appetitum rationalem & averſationem ſenſitivam, vel inter averſationem rationalem & appetitum ſenſitivum; rationes tibi

tibi ſunt ſufficientes, cur quid velis, nulla vero eſt ratio, cur idem nolis, vel ex adverſo eſt tibi ratio ſufficiens, cur quid nolis, nulla vero eſt ratio, cur idem velis. Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente volitionis, vel nolitionis, ponatur quoque ipſa volitio, vel nolitio (*§ 118. Ontol.*), conſequenter decretum (*§. 497. Part. I. Theol. nat.*), nec ulla adſit ratio, cur a decreto recedas, vel idem exequi nolis; ipſum quoque propoſitum ſequitur (*§. 70. Ontol.* & *§. 503. Part. I. Theol nat.*). Satis adeo manifeſtum eſt, in hypotheſi propoſitionis præſentis propoſito eſſe locum. Intereſt autem in praxi, ut ſcias, quandonam decretum ſequatur propoſitum, quando non ſequatur, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 421.

Quando propoſitum non ſequatur.

Si, dum quid decernis, ratio quædam in contrarium ſe offert, quæ te ancipitem reddit, num decretum executioni demandari conſultum ſit; propoſitum minime ſubſequitur. Etenim ubi quid decernis, agere vel non agere vis (§. *497. Part. I. Theol. nat.*). Quodſi vero ratio quædam ſe offert, quæ te ancipitem reddit, num decretum executioni demandari conſultum ſit; ignoras, utrum idem exequi debeas, nec ne (§. *417. Part. II. Theol. nat.*), conſequenter actum voluntatis in alterutram contradictionis partem determinare minime vales. Quamobrem cum propoſitum in actu voluntatis conſiſtat, quo executio decreti determinatur (§. *503. Part. I. Theol. nat.*); nullum in caſu propoſitionis præſentis ſequi propoſitum palam eſt.

Ratio illa, quæ te ancipitem ſeu dubium reddit, utrum decretum executioni demandandum ſit, nec ne; nondum ſufficiens eſt, ut idem mutes: quamdiu enim dubius es, ſubſiſtit. Immo nec infrequens es, ut, ubi facta conſultatione deprehendis, parum conſultum eſſe, ut decretum exequaris, idem tamen non improbes, cum ratione illa, quæ executionem decreti

diſſuadet, decretum in ſe ſpectatum non improbetur, ſed rationes ejus videantur adhuc ſufficientes, ut hoc agere, vel non agere velis. Neque vero tum nullus eſt decreti effectus. Subſiſtente enim decreto, propoſito per circumſtantias præſentes ſufflaminato, iſtis evaneſcentibus adhuc executioni demandari poteſt, tumque propoſitum ſequitur, quod quo minus decretum exciperet, impedimentum quoddam obſtabat. Aliud igitur eſt decretum ipſum mutari, aliud vero propoſitum non ſubſequi: quæ duo a ſe invicem probe diſtinguenda.

§. 422.

Caſus alius. *Si facto decreto oriatur pugna inter partem facultatis appetendi & averſandi ſuperiorem ac inferiorem; durante pugna propoſitum nullum ſubſequitur.* Etenim cum pugna partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi detur, ſi pars una appetit, quod altera averſatur (§. *917. Pſych. empir.*); ſi facto decreto oriatur pugna inter partem facultatis appetendi & averſandi ſuperiorem ac inferiorem, quod decreviſti, idem executioni demandari ob rationes quasdam emergentes, quæ partem alteram in contrarium determinant (§. *70. Ontol.*), non vis. Quamdiu itaque pugna iſta durat, fieri non poteſt, ut executionem decreti determines. Quamobrem cum tamdiu ceſſet propoſitum, quamdiu actu nullo voluntatis determinatur executio decreti (§. *503. Part. I. Theol. nat.*); ſi facto decreto oriatur pugna inter partem facultatis appetendi & averſandi ſuperiorem ac inferiorem, hac durante propoſitum ſubſequi nequit.

Caſus hic utique diverſus eſt a caſu propoſitionis præcedentis, nec difficulter perſpicitur differentia, modo acumine utaris, quo in Pſychologia opus eſt ad diſcernenda ea, quæ in anima noſtra obſervantur. Etenim in caſu propoſitionis præcedentis decretum non redditur dubium, ſed ejus executio in dubitationem adducitur: in caſu autem propoſitionis præſentis decretum ipſum

Digitized by Google

ipſum dubitationi obnoxium evadit, cum animum ad rationes ejusdem advertens ſubſiſtere, ob rationes vero in contrarium oblatas idem mutari velis, quia quod bonum exiſtimatur, ſi ad trutinam rationis ſuſpendis decretum, pro mala habetur ſenſuum atque imaginationis judicio, & contra quod priori reſpectu malum pronunciatur, poſteriori bonum judicatur. Aliud vero omnino eſt, ſi contrariis animus urgeatur judiciis de eo, quod faciendum eſt, utrum bene ac recte fiat, necne, & ſi in ipſo decreto nihil deſideres, difficultates vero emergant circa ejus executionem, quæ te dubium reddunt, utrum ab executione deſiſtere, an vero idem executioni demandare debeas. Subtilitates inanes non ſunt, quæ in ipſa natura humana rationem ſufficientem habent, & in praxi utiliter attenduntur.

§. 423.

Quando executio decreti ſuſpendatur.

Si ratio quædam emergens propoſitum in dubitationem adducit, vel a propoſito oriatur pugna inter facultatis appetendi ac averſandi partem ſuperiorem & inferiorem; executio decreti ſuſpenditur. Etenim ſi ratio quædam emergit, ob quam propoſitum in dubitationem adducitur, cum id in actu voluntatis, quo executio decreti determinatur, conſiſtat (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*), ingnoras utique, utrum a propoſito deſiſtere, an vero idem exequi debeas (§. 417. *Part. II. Theol. nat.*). Quamobrem fieri nequit, ut idem exequaris, vel ab eodem prorſus deſiſtas, quamdiu dubitatio non tollitur. Patet adeo executionem decreti ſuſpendi. *Quod erat unum.*

Similiter ſi a propoſito, antequam exequeris decretum, pugna oritur inter facultatis appetendi ac averſandi partem ſuperiorem & inferiorem; pars una appetit quod decreviſti, pars altera idem averſatur (§. 917. *Pſych empir.*), adeoque decretum evadit dubium (§. 417. *Part. II Theol nat.*), conſequenter & ipſum propoſitum (§. 530. *Part. I. Theol. nat.*):

Digitized by Google

Unde porro patet (*per caſ.1.*) executionem decreti ſuſpendi. *Quod erat alterum.*

Aliud eſt propoſitum mutari, aliud executionem propoſiti ſuſpendi: Si propoſitum mutatur, decretum non eſſe executioni demandandum judicas (*§.290. Ontol.* & *§.503. Part.I. Theol. nat.*), adeoque a propoſito prorſus deſiſtis. Enimvero ſi executio decreti tantummodo ſuſpenditur, idem non mutas, nec a propoſito deſiſtis, ſed vel executionem decreti differs, vel deliberationi ſubjicis, utrum quod decreveras, executioni demandari debeat, nec ne: quod poſterius in caſu propoſitionis præſentis obtinet.

§. 424.

Quando ad propoſitum non perveniatur.

Si a decreto animum ad ejus executionem advertis, ſed modum idem exequendi ignoras; ad propoſitum non pervenitur. Quamdiu enim ignoras modum exequendi decretum, ejus executionem non cognoſcis. Quamobrem cum actionem appetere non poſſimus, quamdiu eam non cognoſcimus (§. *930. Pſych. empir.*); nec fieri poteſt, ut velimus exequi decretum, quamdiu ignoramus modum exequendi. Quoniam itaque propoſitum actus voluntatis eſt, quo executio decreti determinatur (§. *503. Part. I. Theol. nat.*); ubi modum exequendi decretum ignoras, ad propoſitum non pervenitur.

Veritas propoſitionis præſentis a poſteriori adeo manifeſta eſt, ut eam abſque probatione ſumere liceat, ubi inſtituti ratio non requirit, ut etiam notiones communes revocentur ad rationes, ſeu a priori demonſtrentur. Ponamus tibi animum eſſe ducendi uxorem, quin eam ducere decreveris nemo dubitat (*§.497. Part.I. Theol. nat.*). Ponamus porro tibi maxime placere Sybillam, nec ullam apparere rationem, cur repulſam ferre debeas; eam ducere decernis (*§. 941. 942. Pſych. empir. & §. cit.*). Quodſi vero ignoras, quomodo voluntatem tum ipſi ſignificare.

Digitized by Google

ficare, & conſenſum ejus atque parentum impetrare debeas; quod decreviſti, nondum exequi vis. Ignorantia igitur modi decretum exequendi obſtat, quo minus propoſitum ſequatur (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*). Voluntas equidem Sybillam ducendi non mutatur, adeoque decretum ſubſiſtit (§. 497. *Part. I. Theol. nat.*); idem vero ut exequi velis, quamdiu ignoras, quomodo executioni demandandum ſit, adeoque te ipſum exequi nondum poſſe agnoſcis, fieri haud quaquam poteſt. Nullus igitur propoſito locus eſt (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*). Equidem haud raro homines temerarii ſunt, quemadmodum in agendo, ita etiam in decernendo & proponendo; ſed tum ſumunt tanquam ſibi notum, quod incognitum eſt, nec a ſe ignorari arbitrantur, quæ ignorant. Id vero veritati propoſitionis præſentis nihil derogat. Ignorans habetur pro non ignorante, quatenus non agnoſcit, ſe ignorare, quæ noſſe debebat. Et a propoſito deſiſtere cogitur, qui temere ſibi proponit agendum, antequam de modo exequendi decretum cogitavit. Dum enim jam in eo eſt, ut decretum exequatur; id a ſe minime fieri poſſe experitur.

§. 425.

Quamdiu adhuc vereris, ne quod decreviſti potius non decernendum fuerit; propoſitum minime ſubſequitur. Etenim quamdiu adhuc vereris, ne quod decreviſti non decernendum fuerit; dubius utique es, num bene a te factum, quod hoc decreveris (§. 417. *Part. I. Theol. nat.*), conſequenter fieri non poteſt, ut decretum exequi velis (§. 589. 590. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum propoſitum in actu voluntatis conſiſtat, quo decreti executio determinatur (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*); propoſitum nullum ſubſequitur. *Alius caſus.*

Duobus modis accidit, ut verearis, ne quod decreviſti potius non decernendum fuerit, ſcilicet vel quia animum advertis ad rationes decreti, nec eæ tibi videntur evidentes, vel quia rationes quædam ſuccurrunt, quæ decretum dubium reddunt. Unde

Unde hic caſus facile diſtinguitur a ſuperiore, quo nullum ſequi propoſitum diximus, qui ratio quædam executionem decreti dubiam reddit (§. 421.). Aliud enim cum ſit decretum, alia executio decreti; dubium quoque, quod circa decretum oritur, non confundendum eſt cum dubio, quo urgetur animus circa decreti executionem. Si decretum in dubitationem adducitur, ignoras, utrum idem immutare debeas, nec ne: ubi vero executio decreti dubia, non noſti, utrum conſultum ſit, nec ne, ut idem exequaris, etſi non male decretum fuiſſe cenſeas, quod decreviſti, & decretum exequi velles, niſi alia obſtarent.

§. 426.

Quando decretum exequamur.

Si nulla ratio emergens decretum & propoſitum in dubitationem adducit, nec a propoſito oriatur pugna inter partem ſuperiorem ac inferiorem facultatis appetendi & averſandi; decretum exequeris. Etenim cum nihil ſit abſque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*), ſi, quod decreviſti, & tibi exequendum proponis, minime exequeris, ratio aliqua eſſe debet, cur, quod exequi volueras, non exequaris. Enimvero ſi nec ulla ratio decretum vel propoſitum in dubitationem adducit, nec a propoſito oriatur pugna inter partem ſuperiorem ac inferiorem facultatis appetendi & averſandi, conſequenter nec pars una appetit, quod altera averſatur (§. 917. *Pſych. empir.*); ratio nulla adeſt, cur propoſitum minime exequi velis, adeoque ratio illa, quæ te permovit, ad propoſitum ſufficiens eſt, ut decretum exequaris (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*). Quoniam itaque poſita ratione ſufficiente, ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118. *Ontol.*); quin decretum propoſito tuo convenienter exequaris dubitandum non eſt.

Nimirum ſi adeſt propoſitum, decretum exequi vis (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem ubi a propoſito deſiſtere debes,

Digitized by Google

bes, ut idem exequi nolis; neceſſe eſt, ut actum volitionis mutes in contrarium: quod cum rationem ſufficientem requirat (§. *70. Ontol.*), quando nulla adeſt, nec actus voluntatis mutatur, adeoque in propoſito agendi ſubſiſtis. Neceſſe igitur eſt, ut decretum exequaris.

§. 427.

Quando propoſitum cadat.

Si decretum mutatur, propoſitum ruit, vel mutato decreto, propoſitum non amplius ſubſiſtit. Etenim propoſitum conſiſtit in actu voluntatis, quo executio decreti determinatur (§. *503. Part. I. Theol. nat.*), adeoque decretum præſupponit, nec niſi hoc prævio locum habet. Quodſi ergo decretum mutatur, nec idem amplius ut exequi velis fieri poteſt, conſequenter nec propoſitum amplius ſubſiſtit, ſed ruit.

Nimirum dum decernis, agere vis (§. *497. Part. I. Theol. nat.*). Si decretum igitur mutatur, non amplius vis agere, ſed voluntas agendi ceſſat. Dum ad decretum accedit propoſitum, decretum mutare non vis, ſed idem ipſo opere exequi (§. *503. Part. I. Theol. nat.*). Mutare igitur decretum, & perſiſtere in propoſito contradictoria ſunt (§. *30. Ontol.*), adeoque ſimul eſſe non poſſunt (§. *29. Ontol.*).

§. 428.

Quomodo quis a propoſito abducatur.

Quamobrem *ſi alterum ad mutandum decretum adducere, vel id ipſum eidem ſuſpectum reddere poſſis; a propoſito ſuo eum abducis* (§. *427.*), *vel ut ſuſpendatur efficis* (§. *425.*).

Nimirum mutato decreto, a propoſito prorſus deſiſtis; eodem autem in dubitationem adducto, tamdiu ab eodem deſiſtis, quamdiu dubium iſtud non tollitur. Utile autem eſt in Moralibus, ut, ſi quem a propoſito ſuo nondum prorſus abducere poſſis, ſaltem ab executione decreti eum vel tantiſper detineas. Immo occurrunt caſus longe plurimi, ubi ſuſpenſio propoſiti maximi momenti eſt.

§. 429.

Digitized by Google

§. 429.

Quomodo ſubſiſtat propoſitum ſervandi legem naturalem.

Si ardor nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme, conſervatur; propoſitum ſervandi legem naturæ ſubſiſtit. Etenim qui ardore flagrat nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme, ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 232.), conſequenter legem naturæ ſervandi (§. 138. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum voluntas ſit perpetua, ſi quis idem velit ſemper in quolibet caſu, & eadem conſtans ſit, ſi quis eandem non mutat in dato caſu (§. 1062. *Part. I. Theol. nat.*); quamdiu ardor durat nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme; qui eodem flagrat, in nullo caſu committere vult actiones alias niſi eidem conformes, ſeu in omni caſu ſervare vult legem naturæ, nec in dato quocunque caſu voluntatem iſtam mutat quoad actionem tunc patrandam. Quoniam itaque legem naturæ ſervare decernit, qui voluntatem determinat ad eam ſervandam (§. 497. *Part. I. Theol. nat.*), & eam ſervare ſibi proponit, qui voluntatem determinat ad decretum exequendum (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*); qui ardore flagrat nil quicquam agendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme, ei propoſitum firmum eſt ſervandi naturæ legem, adeoque propoſitum hoc tamdiu ſubſiſtit, quamdiu ardor iſte conſervatur.

Hæc propoſitio probe notanda eſt, ut conſtet, quomodo bonum propoſitum conſervari poſſit. Maximi autem momenti eſt in moralibus propoſiti conſervatio. Videas quotidie homines ſibi proponere actionum bonarum commiſſionem

Digitized by Google

nem & malarum omiſſionem; oblata autem occaſione agendi, agere contra propoſitum. Quamobrem neceſſe eſt, ut propoſitum omni cura conſervetur.

§. 430.

Immo in genere tenendum eſt, *ſi ardor agendi & non agendi contrarium conſervatur, propoſitum agendi & non agendi ſubſiſtere.* Etenim ſi quis flagrat ardore agendi & non agendi contrarium, ejus voluntas perpetua atque conſtans eſt (§. 233.). Unde eodem prorſus modo oſtenditur, conſervato ardore agendi & non agendi contrarium, propoſitum agendi & non agendi ſubſiſtere. *Quomodo ſubſiſtat propoſitum quodvis.*

In genere noſſe, quomodo propoſitum ſubſiſtat, & quamdiu quis ſe ab eodem abduci minime patiatur, utiliſſimum eſt, ut conſtet ratio, cur in male agendi propoſito alter adeo firmiter perſiſtat, quem ad meliorem frugem reducere debes, immo etiam ut intelligatur, cur hominibus firmum ſit propoſitum, ubi rationem reddere jubemur.

§. 431.

Quoniam propoſitum ſubſiſtit, nec ab eodem agens ſe abduci patitur, quamdiu ardor agendi vel non agendi conſervatur (§. 430.); *Qui ardore agendi flagrat, eum a propoſito agendi non abduces, niſi ardore agendi extincto. Et idem tenendum eſt de eo, qui ardore non agendi flagrat.* *Quomodo a propoſito abducatur ardore agendi vel non agendi flagrans.*

Non igitur abs re in ſuperioribus admodum prolixe docuimus, quomodo ardor agendi excitetur, & quænam in eundem influant, ne inanem operam ſumas, ubi alterum vel temetipſum a propoſito agendi vel non agendi abducere volueris. Quod enim praxis moralis adeo incerta ſit, ut omni conatu haud raro nihil agas, non alia de cauſa accidit, quam quod ignores, quomodo facultatum animæ uſu atque abuſu reſultent actus, appetitus & averſationis determinationes, atque agendi & non agendi habi-

Digitized by Google

habitus: id quod nobis in ea Philoſophiæ practicæ parte demonſtrandum propoſuimus, quæ praxin tradit.

§. 432.

Memoriæ propoſiti neceſſitas.

Qui contra propoſitum ſuum agere non vult, ejus ſemper memor eſſe debet. Fac enim te non recordari propoſiti, ubi agendi occaſio offertur. Cum propoſitum in actu voluntatis conſiſtat, quo executio decreti determinatur (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*); ſi propoſiti memor non es, ignoras, quod hoc data occaſione agere volueris, non vero contrarium (§. 27. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ubi rationes quædam tibi jam perſuaſerint, ut agas, non obſtabit propoſitum in contrarium, conſequenter te contra iſtud agere contingit. Videmus adeo propoſiti ſui ſemper memorem eſſe debere, qui contra idem agere non vult.

Equidem propoſitio præſens adeo evidens videtur, ut nemo non abſque probatione eandem admittat, immo non defuturi ſint, qui ne quidem dignam exiſtiment, quæ hic commemoretur; non tamen cuilibet manifeſta ſunt, quæ de eadem notanda veniunt, nec ejus utilitas cuivis aperta, quemadmodum veritas primo ſtatim intuitu apparet, cum ab iis pendeat, quæ cuilibet manifeſta non eſſe modo diximus. Notandum itaque propoſitionem præſentem inprimis valere de propoſito generali, quo certum actionum genus, vel earum certam ſpeciem in poſterum committere, vel omittere decreviſti, ac præcipue locum habere in propoſito negativo, quo actionum quoddam genus vel ſpeciem quandam in perpetuum damnas. Etſi enim, dum tibi proponis in poſterum nunquam committere hanc actionem, vel aliam hujus generis aut ſpeciei certo committere, ſeria fuerit voluntas, nec eam adhuc mutaveris, ubi tamen occaſione oblata propoſiti non recordaris, facies tamen quod nunquam faciendum tibi propoſueras, & poſt facti te pœnitet, vel non facies, quod certo faciendum tibi propoſueras, & ubi propoſiti recordaris, occa-

occaſione agendi præterlapſa, quod non feceris pœnitebit. Exempla nimis obvia ſunt, quam ut ea cumulari ſit opus. Atque hinc audias homines contra propoſitum ſuum agentes, ejusdem admonitos ſeſe excuſare, quod ejus memores non fuerint. Porro notandum eſt, quod propoſitionem convertere non liceat. Verum non eſt, qui propoſiti ſui memor eſt, eum contra idem non agere. Reclamat enim experientia, quæ quotidie loquitur, contra idem agere homines, etiamſi ſerio de eodem admoneantur, & ne ab eodem deſiſtant, eos adhorteris, exceptione vel in præſentem tantummodo caſum facta. Reclamat etiam ratio, quæ ex impedimentis recte ac bene agendi elucefcet. Ne tamen immemor propoſiti contra ipſum agas, docendum eſt, quomodo ejus ſemper memor eſſe poſſis.

§. 433.

Propoſiti ſervandi legem naturæ quomodo ſemper memores eſſe poſſimus.

Qui propoſiti ſui nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturali conforme, ſemper memor eſſe vult, conſuetudinem contrahere debet ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis, vel quoties agendi occaſio offertur, de actionis cum lege naturæ convenientia, vel diſconvenientia cogitandi. Etenim ſi ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis, vel quoties agendi occaſio offertur, de actionis cum lege naturæ convenientia, vel diſconvenientia nunquam non cogitare ſoles, & tibi ſerio propoſueris nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturali conforme; propoſitum tuum & præſens de actione cogitatio actionis convenientiam, vel diſconvenientiam cum lege naturæ communem habent. Et quoniam lex imaginationis eſt, quod, ſi qua ſimul percepimus, & unius perceptio denuo producatur, vi imaginationis etiam reproducatur perceptio alterius (§. 117. *Pſych. empir.*); ſi mentis aciem in convenientiam, vel diſconvenientiam actionis cum lege naturali intendis, quin vi imaginationis propoſitum tuum tibi ſiſtatur præſens, dubitan-

Digitized by Google

bitandum non eſt, præſertim ſi jam ſæpius idem animo volveris revolverisque, vel diu de eodem meditatus es (§. *113. Pſych. empir.*). Et quoniam memoria ideas reproductas cognoſcimus (§. *175. Pſych. empir.*), adeoque nobis conſcii ſumus, quod eas jam ante habuerimus (§. *173. Pſych. empir.*); quin propoſiti noſtri meminerimus, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt (§. *226. Pſych. empir.*). Patet itaque, ſi propoſiti noſtri nil quicquam faciendi, niſi quod legi naturali conforme, ſemper memores eſſe velimus, contrahendam eſſe conſuetudinem ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis, vel quoties agendi occaſio offertur, de actionis cum lege naturæ convenientia, vel diſconvenientia cogitandi.

Qui naturam facultatis imaginandi & memoriæ perſpectam habet, ei circa propoſitionem præſentem nihil ſupereſſe poterit dubii. Quodſi experientia quandoque in contrarium proſtare videatur; ipſa imaginationis natura rationem ſuppeditabit, cur feſelliſſe videatur, ubi in eam inquiſiveris. Etenim animadvertes, aut propoſitum tibi nondum eſſe adeo familiare, ut ejus meminiſſe queas, quia non diu de eo meditatus, vel non ſæpe idem animo revolviſti (§. *107. Pſych. empir.*), vel longo tempore de eo meditatus non es, ut ejus fueris oblitus (§. *217. Pſych. empir.*), vel mentis aciem in convenientiam & diſconvenientiam actionis non præciſe intendas (§. *109. Pſych. empir.*). Probe habenda eſt eorum omnium ratio, quæ in ſtatum præſentem influunt, ubi eum a priori explicare volueris. Quoniam enim non ponitur, niſi poſita ratione ſufficiente (§. *118. Ontol.*), nec cur ponatur intelliges, niſi eandem penitus habueris perſpectam. Haud raro autem non levi acumine opus eſt, ut eandem penitus perſpicias, præſertim ubi præteritorum, quæ in præſentem influunt, non memineris, nec ex ſtatibus præteritis præſens dependeat. Multa igitur circumſpectione opus eſt, ne judicium præcipites: id quod inprimis notandum venit iis, qui ad cenſendum, quam diſcendum ſunt proniores.

§. 434.

Digitized by Google

§. 434.

Propoſiti vitam perfectam vivendi quando ſimus memores.

Qui propoſiti vitam perfectam vivendi, data quacunque occaſione agendi, memor eſſe vult; is conſuetudinem contrahere debet, ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis vel averſabilis, aut quoties agendi occaſio offertur, de connexione actionis cum fine ultimo cogitandi. Quodſi enim vitam perfectam vivere velis, actionum omnium finem ultimum perfectionem tui aliorumque conſtituere, nihil unquam absque fine agere, & fines particulares omnes ita ſibi invicem ſubordinare debes, ut propiores ſint media remotioris, omnes autem ſimul medium perfectionis tuæ aliorumque, nec quicquam ſecundario intendendum, niſi quod cum perfectione tui aliorumque conſiſtere poſſit (§. 58.), conſequenter ſi tibi propoſitum eſt vivere vitam perfectam, propoſitum quoque eſſe debet nil quicquam faciendi, niſi quod cum fine ultimo cohæret, ſeu connectitur (§. *914. Ontol.* & §. *18. Coſmol.*). Unde porro eodem prorſus modo, quo in propoſitione præcedente oſtenditur, contrahendam eſſe conſuetudinem, ad objecti appetibilis vel averſabilis cujuscunque conſpectum, aut quoties agendi occaſio offertur, de connexione actionis cum fine ultimo cogitandi, ſi propoſiti vitam perfectam vivendi, data quacunque agendi occaſione, memor eſſe volueris.

Quoniam vita perfecta & vita legi naturali conformis iisdem regulis continentur (§. 57.); propoſitio præſens ac præcedens eodem tendunt. Etenim perinde eſt, ſive tibi propoſueris, vivere vitam perfectam, ſive nullam committere actionem, niſi legi naturæ conformem, modo legem naturæ in omni ſua latitudine ſumas, quam eidem tribuimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. In utroque caſu actio determinabitur eodem modo, ſi propoſito tuo convenienter agis. Ceterum ex præſente & præceden-

cedente propoſitione intelligitur, quanti faciendum ſit propoſitum maxime generale.

§. 435.

Propoſiti virtutem colendi, & vitium fugiendi quomodo ſemper ſimus memores.

Qui propoſiti virtutem colendi, & vitium fugiendi data quacunque occaſione memor eſſe vult, is conſuetudinem contrahere debet, quoties agendi occaſio offertur, inquirendi, num actio aliqua virtutis ſit, an eidem contrarietur. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo duas propoſitiones proxime antecedentes demonſtravimus.

Propoſitum virtutem colendi & vitium fugiendi in hoc conſiſtit, quod data agendi occaſione non velis edere niſi actionem, quæ virtutis eſt, nec omittere, niſi eam, quæ vitii eſt, ſeu virtuti contrariatur. Propoſitum hoc generale eſt, & ad ipſum pervenitur, antequam conſtet, quid ſit virtutis, quid vitii in quolibet actionum genere. Unde facile patet, etſi propoſiti hujus memor ſis, te tamen non poſſe eidem conformiter agere, niſi diſtincte intelligas, quænam ſub propoſito iſto generali continentur. Immo ſi per errorem ad virtutem referas, quod vitii eſt; ipſum propoſitum generale colendi virtutem, quia ejusdem memor es, in cauſa erit, ut quod vitii eſt agas. Nocet propoſitum bonum generale, quando cum ignorantia eorum conjunctum, quæ ſub eodem continentur. Nocet autem, nonniſi culpa tua, ubi theoriam accuratam eorum negligis, quæ ambitu ſuo complectitur.

§. 436.

Propoſiti generalis cujuscunque quomodo ſemper ſimus memores.

Immo in genere: *Qui propoſiti cujuscunque generalis ſemper memor eſſe vult, quoties agendi eidem conformiter occaſio offertur; contrahere debet conſuetudinem quærendi, num talis ſit actio, qualem propoſitum generale requirit.* Demonſtratio eadem, quæ propoſitionum proxime præcedentium.

Propoſitio hæc maxime generalis per anteriores intelligitur. Si tibi fuerit propoſitum colendi virtutem, non niſi tales comprehen-

Digitized by Google

prehendit actiones, quæ virtutis ſunt, adeoque tibi eſſe debet conſuetudo quærendi in dato quocunque caſu, num actio, quæ patranda, virtutis ſit, quemadmodum vult propoſitio præcedens (§. 435.). Similiter, ſi propoſitum tibi ſit non committendi actiones niſi legi naturali conformes, id ipſum nonniſi tales comprehendit actiones, quæ legi naturæ conveniunt, adeoque conſuetudo eſſe debet quærendi in dato quocunque caſu, num actio patranda ſit naturali legi conveniens, quemadmodum jubet propoſitio anterior (§. 433.). Nimirum propoſitum omne generale ſupponit actiones certo modo determinatas, & propter hoc tales dicuntur. Vi igitur hujus propoſiti non committere vis actiones, quacunque agendi occaſione oblata, niſi quæ iſto modo determinatæ, adeoque tales ſunt. Quamobrem neceſſe eſt, ut, ſi agendi occaſio offertur, quæras, num actio patranda iſto modo determinata, ſeu talis ſit. Propoſitio præſens ob univerſalitatem ſuam nihil obſcuritatis habet, ubi animum ad præcedentes advertis, quæ tanquam caſus particulares ſub eadem continentur. Ab iis enim univerſale, quod ineſt, abſtrahi poteſt, & dum idem in particularibus intuemur ac mentis acie ſecernimus, clariſſimum apparet. Ceterum quod in maxime generalibus accidit, propoſitio præſens non minus malum, quam bonum propoſitum comprehendit, cum propoſitum in genere nec bonum, nec malum ſit: etenim non minus malas actiones committendas ſibi proponunt homines, quam bonas. Non tamen ideo male agere docemus. Abuſus enim in eo conſiſtit, ſi quis eam applicat ad male agendum. Et intereſt in praxi morali etiam noſſe abuſum, nec minus ratio reddenda eſt philoſopho, cur homines mali propoſiti ſint memores, eidemque conformiter agant, quam cur ſint memores boni, ac huic convenienter agant. Habent actiones humanæ bonæ atque malæ rationes generales communes. In has ſi inquiſiveris, quæ eruitur veritas, non minus uſui, quam abuſui eſſe poteſt. Uſum intendit philoſophus: abuſus accidit præter ipſius intentionem, non impediendus, niſi tollatur & uſus. Dudum hoc agnoverunt veteres, dum ſollicite inculcarunt, abuſu minime tolli uſum. Quæ vero hic monemus, ea quoque tenenda

Digitized by Google

da ſunt de ceteris, quæ adeo generalia ſunt, ut non minus uſui, quam abuſui pateant.

§. 437.

Quomodo conſuetudo actionem patrandam ad examen revocandi contrahatur.

Si 1) excitato ardore vivendi vitam perfectam, vel legi naturali conformem, aut colendi virtutem, & fugiendi vitium, vel in genere nonniſi tales actiones edendi, quoties agendi occaſio offertur; 2) mane expergefactus actionum per diem edendarum numerum ineas, & quænam eas fortuito comitari poſſint, disquiras; 3) ſingularum nexum cum fine ultimo detegas, vel num legi naturali conformes, vel num ex virtute, an ex vitio conſequantur, vel in genere num tales ſint, quales committendas aut omittendas tibi propoſuiſti, inquiras; 4) actiones perpetratas per diem denuo hoc pacto examines, & 5) cubitum iturus actionum per diem commiſſarum recorderis, &, quantum in fine ultimo conſequendo profeceris, judices, aut num actiones legi naturali conformes ſint, aut num virtuoſæ, an vitioſæ ſint, vel in genere tales, quales committendas tibi propoſuiſti; conſuetudinem contrahes, data quacunque occaſione agendi, de connexione actionis cum fine ultimo, vel de ejus convenientia cum lege naturali, vel num virtuoſa, an vitioſa, vel in genere talis ſit, qualem requirit propoſitum tuum, cogitandi. Cum enim omnis habitus, adeoque etiam agendi conſuetudo (§. 923. *Pſych. empir.*), nonniſi exercitio, conſequenter iteratione actuum ſpecie, vel genere eorundem (§. 195. *Pſych. empir.*), acquiratur (§. 430. *Pſych. empir.*), uſuque continuo conſervetur ac perficiatur (§. 431. *Pſych. empir.*); ſi non modo mane actiones per diem edendas examines, quomodo cum fine ultimo cohæreant, vel num legi naturali conveniant, vel num ex virtute aut vitio proficiſcantur, vel num in genere tales ſint, quales committendas aut omittendas tibi propoſuiſti, verum etiam, ubi [illegible]

eædem

cædem patratæ fuerint, præſertim cubitum iturus denuo easdem huic examini ſubjicias, quin conſuetudinem contrahas cogitandi de actionis cum fine ultimo nexu, vel de ejus convenientia cum lege naturali, aut diſquiſitione, num virtuoſa, an vitioſa, vel in genere talis ſit, qualem propoſitum tuum requirit, quotiescunque agendi occaſio offertur, dubitandum non eſt. Et quoniam ardor vivendi vitam perfectam, vel legi naturali conformem, vel colendi virtutem & fugiendi vitium, vel in genere non niſi tales actiones edendi, quoties agendi occaſio offertur, facit, ut examen iſtud debito tempore inſtituere velis (§. 218.), nec ab eo facile te revocari patiaris (§. 224.), mane autem ac veſpera ab aliis negotiis & impedimentis vacuus es, ne idem intermitti cogaris; quod examen iſtud libenter ſis inſtituturus, nec idem neglecturus patet. Conſuetudinem igitur illam cogitandi de examine actionum, quarum patrandarum occaſio offertur, actu contrahes.

Propoſitio præſens problema eſt, quæ regulis pro hypotheſi ſumtis in theorema convertitur, quia conſultum minime duximus, problemata more Geometrarum enunciari, ſed nobis ſufficit ea, quæ docemus, ad propoſitiones determinatas revocari; id quod etiam jam antea fecimus, ac in poſterum faciemus. Placuit autem ſingula, quæ in hypotheſi ſumuntur, numeris ſuis diſtinguere, ne ea fiat perplexa, & ut ſolutionem problematis clarius animadvertat, qui cum Geometris ad formam problematum ipſis uſitatam propoſitionem revocare maluerit. Præterea me non monente apparet, quatuor problemata in unam propoſitionem eſſe contracta, propterea quod eandem habeant ſolutionem, mutatis tantummodo mutandis pro problematis conditione, ne ſcilicet præter neceſſitatem ſimus prolixiores. Id facilius agnoſcet, qui ad propoſitiones proxime præcedentes animum advertit. Ad facilius vero capiendam vim demonſtrationis notandum eſt, duo

Digitized by Google

evincenda eſſe, nimirum quod præſcripta ratione conſuetudo cogitandi de examine actionum, quando agendi occaſio offertur, contrahi poſſit, & quod etiam actu contrahatur, quatenus nimirum & ea præcipiuntur, quibus contrahi poteſt, & ea inculcantur, quibus obtinetur, ut ea facias, quibus contrahitur.

§. 438.

Cur actionum examen continuo abbrevietur.

Si examen actionum per diem edendarum mane, & per diem editarum veſpera continuas, continuo idem abbreviatur. Etenim per ſe patet, & experientia domeſtica abunde unumquemque docebit, easdem actiones ſæpius recurrere. Quamobrem cum examinis earundem, quod recenti adhuc memoria hæret, tibi ſis conſcius, nec ulla occurrit ratio, quæ te dubium reddit, num rite fuerit inſtitutum; non opus eſt, ut idem repetas. Numerus adeo actionum examinandarum continuo minuitur. Quamobrem cum eo brevius ſit, quo pauciores actiones diſcutiendæ; quin examen continuatum continuo abbrevietur, dubitandum non eſt.

Non igitur eſt, quod excipias, te examine iſtiusmodi quotidie vacare minime poſſe, cum non ſemper ſuppetat tempus eidem impendendum. Nec eſt, quod inutilitatem accuſes, quaſi examen idem ſit ſemper repetendum. Neque etiam eſt, quod moleſtam pronuncies fruſtraneam examinis ejusdem iterationem. Falleris enim, ubi tibi perſuades, urgeri iterationem examinis earundem actionum; ſi nulla emergat ratio, quæ idem reiterari jubet. Dum vero examinis rite peracti recordatio ſufficit, nullo tandem negotio temporis breviſſimo ſpatio idem abſolvetur.

§. 439.

Moleſtia examinis actionum quomodo evaneſcat.

Moleſtia examinis actionum per diem edendarum & editarum evaneſcit, utilitate ejus perſpecta. Quodſi examen actionum per diem edendarum & editarum per aliquod tempus continues, quin ejus utilitatem experiaris dubitandum

Digitized by Google

dum non eſt (§. *437. 423. & ſeqq.*). Quamobrem cum ardore flagres edendi actiones, quales facto examine approbantur (§. *437.*); quin uſum, quem habere deprehendis, in propoſito adimplendo, conſequenter propter eum examen ipſum bonum judices, fieri haud quaquam poteſt (§ *941. Ontol.* & § *892. Pſych. empir.*). Ex iſto igitur examine, utilitate ejus perſpecta, voluptatem percipis (§. *558. Pſych. empir.*), conſequenter cum impoſſibile ſit, ut una tædium ſive moleſtiam inde percipias (§. *28. Ontol.* & §. *511. 518. Pſych. empir.*), moleſtia evaneſcit, examinis utilitate perſpecta.

Si qua initio moleſtia percipitur ex examine actionum per diem edendarum & editarum, cum ardore flagres iſtiusmodi actionum edendarum, quales num ſint, examinas, ea aliunde provenire nequit, quam quod idem ſuperfluum exiſtimes. Quamobrem cum experientia propria te contrarium doceat, ratio tædii tollitur, adeoque moleſtia quoque non amplius locum habere poteſt (*§. 118. Ontol.*). Quodſi vero ardorem in te nondum excitaveris vivendi e. gr. vitam perfectam aut legi naturali conformem, qualem ſupponimus (§. 437.), ac ideo diſplicet vita perfecta, aut legi naturali conformis, quod tibi multum negotii faceſſat, conſequenter ipſum examen hujus gratia inſtituendum moleſtum eſt; per ſe patet, omnem movendum eſſe lapidem, ut ardor iſte excitetur. Iſta adeo moleſtia non eſt hujus loci.

§. 440.

Si actionis dato tempore patrandæ conſtituatur aliquod ſignum iſto tempore ſenſui obvium; propoſiti noſtri reddimur memores. Quoniam enim rei ſenſibili cuicunque ſignificatus pro arbitrio noſtro imponi poteſt (§. *959. Ontol.*); idem quoque ſignificare poteſt, hoc tempore, quo in ſenſum incurrit, hoc eſſe agendum, vel non agendum (§. *952. Ontol.*).

Quomodo propoſiti ſingularis dato tempore reddamur memores.

Digitized by Google

Quamobrem cum iſtiusmodi ſignum in memoriam tibi revocet, hoc tempore hanc actionem eſſe patrandam, adeoque negativam omittendam (§. *960. Ontol.*); quod propoſiti noſtri nos reddat memores ex ipſa imaginationis & memoriæ natura patet (§. *201. Pſych. empir.*).

Propoſitio præſens notionibus communibus reſpondet: videmus enim quotidie, hoc medio uti homines promiſcue omnes, ut propoſiti ſui reddantur memores, nec ejus obliviſcantur. Non tamen ideo contemnenda, nec indigna, quæ in Philoſophia a priori demonſtretur. Etenim veritates omnes, quantumcunque ſublimes, tandem in notiones vulgares reſolvuntur, ex quibus tanquam principiis ſuis deducuntur, & ad quas nonniſi per has patet aditus. De propoſitione præſente id ſtatim conſtabit.

§. 441.

Quomodo propoſiti noſtri per totum diem ſimus memores.

Eodem modo intelligitur, *conſtituendum eſſe aliquod ſignum ſenſui obvium, ut propoſiti generalis per totum diem ſimus memores.*

Quoniam ſignificatus ſignorum artificialium (qualia ſunt, de quibus hic loquimur) arbitrarius eſt (§. *958 Ontol.*); unusquisque ſibi ſignum pro arbitrio conſtituere poteſt. Chriſtiani veteres utebantur ſigno crucis, ut Chriſti in crucem acti ſemper memores juxta monitum Apoſtoli 2 Tim. II, 8. recordarentur, vitam homine Chriſtiano dignam eſſe agendum, conſequenter in patranda actione data ea obſervanda eſſe, quæ Chriſtianum decent. Oppido igitur falluntur, qui ſignum crucis tanquam ritum ſuperſtitioſum damnant. Similiter imagini Chriſti crucifixi, quæ in conclavi conſpectui tuo continuo patet, imponi poteſt ſignificatus propoſiti generalis. Idem ſignificatus imponi poteſt verbis aureis literis deſcriptis: *Quid agis?* Quidni & thecæ tabaci ſternutatorii, & rei cuicunque alteri, cujus per diem frequens eſt uſus, præſertim ſi volueris celare ſignificatum?

§. 442.

Digitized by Google

§. 442.

Ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus. *Ceremoniæ quid ſint.*

Improbatur in Doctore non minus, ſi ſibi ſoli ſapere videatur, nec, quid ſentiant alii, inquirere velit, quam ſi cœco aſſenſu aliorum ampleċtatur ſententiam autoritatis præjudicio. Quamobrem ſemper memor eſſe debet, alios quoque eſſe audiendos, & eorum ſententiam probe diſcutiendam, antequam eam faciat ſuam. Eo fine doctori recens creato in ipſo promotionis actu exhibetur liber apertus, exhibetur idem mox clauſus, ut utrumque doceatur, nec utriusque unquam obliviſcatur, ſed quoties poſthac librum aperit, vel claudit, præcepti tam ſalutaris recordetur. Ceremonia igitur hæc eſt ſignum eorum, quorum poſthac in omnibus negotiis, quæ tanquam Doctor gerit, meminiſſe debet. Chriſtus Sacramentum altaris inſtituit ea ipſa nocte, qua in manus hoſtium traditus eſt, ut pro peccatis noſtris mortem ſubiret. Hujus circumſtantiæ, quæ non uno modo influit in devotionem altari adſtantium, iidem memores eſſe debent. Quamobrem cum candelæ accenſæ in altari hanc circumſtantiam adſtantibus in memoriam revocent; ceremonia hæc eſt ſignum ejus, cujus ut ſint memores maxime intereſt.

§. 443.

Ceremoniarum inſtitutio rationi conformis. Quoniam ea, quorum in executione alicujus propoſiti meminiſſe debemus, non ſemper in ſenſus incurrunt, & objecta, quæ tum in ſenſus cadunt, attentionem noſtram ab eo, quod agendum eſt, facile avertunt, etſi idem quoad omnia nobis repræſentemus (§. 238. *Pſych. empir.*); neceſſe eſt, ut objecto quodam ſenſibili animo præſentia ſiſtantur, quorum meminiſſe debemus (§. 201. *Pſych. empir.*), & ſenſibile aliud ad ſe trahat organum ſenſorium, quod ſenſibile attentioni inimicum occupat, ut ejus ope reddamur memores illius, *Inſtitutio ceremoniarum rationi conformis.*

Digitized by Google

quod noſſe debemus (§. *cit.*). Senſibili igitur iſti imponendus eſt ſignificatus ejus, cujus tum meminiſſe debemus, ut idem nobis ejusdem perceptione in memoriam revocetur. Quamobrem cum hoc pacto naturam ſigni (§. 952. *Ontol.*) & quidem artificialis induat (§. 958. *Ontol.*), atque eum uſum preſtet, quem ſignum artificiale habet (§. 960. *Ontol.*); iſtiusmodi autem ſignum ceremonia ſit (§. 442.); evidens eſt, ceremoniarum inſtitutionem rationem ſufficientem habere in veritatibus pſychologicis, quas de animæ noſtræ natura cognovimus (§. 56. *Ontol.*), adeoque cum veritatibus connecti (§. 10. *Coſmol.*). Quoniam itaque rationi conforme eſt, quod cum veritatibus cognitis connectitur (§. 485. *Pſych. empir.*); ceremoniarum inſtitutionem eſſe rationi conformem palam eſt.

Idem brevius oſtenditur hoc modo. Ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus (§. 442.). Enimvero directe demonſtravimus, conſtituenda eſſe ſigna ſenſui obvia actionum dato tempore edendarum, ut propoſiti reddamur memores (§. 440.), adeoque eorundem conſtitutio rationi conconformis eſt (§. 486. *Pſych. empir.*). Ceremoniarum igitur inſtitutio rationi conformis.

Non deſunt, qui ceremonias omnes tanquam a ratione alienas damnant, & nonniſi rebus ludicris accenſent, ideo easdem a cultu divino arcentes. Quoniam tamen earum inſignis eſt uſus in praxi morali, modo iisdem rite utaris; noſtrum fuit contrarium demonſtrare. Ceterum hinc elucet, cur olim ipſe Deus per Moſem populo ſuo legem ceremonialem dederit: quæ etſi propter ſignificatum ceremoniarum, cui in novo fœdere non amplius erat locus, abrogata fuerit, non tamen Deus ideo voluiſſe dicendus eſt, ut a cultu divino omnes abeſſent ceremoniæ. Libertati enim chriſtianæ relictum eſt inſtituere ceremonias, quæ cum

Digitized by Google

[illegible]t rationi conformes, ubi in eas quadrat definitio (§. 442.), qu[illegible]odum ex demonſtratione liquet, voluntati quoque divinæ [illegible]nire cenſentur.

§. 444.

Si cere[illegible] dijudicandæ, 1) perpendenda ſunt ea, quorum in dato nego[illegible]miniſſe debemus, 2) inquirendum eſt, num per ceremoniam iſt[illegible]bis in memoriam quid revocetur, cujus facile oblivíſci poterat[illegible]. Quodſi enim hoc obtinet, ceremoniæ rationi conformes. **Quomodo ceremoniæ dijudicandæ.** E[illegible]m ſi ceremoniæ nobis in memoriam quid revocant, c[illegible]s tunc meminiſſe debemus, facile vero oblivíſci poteram[illegible]s; ex iisdem colligitur, quod animo agentis præſens ob[illegible]ſari debet, per ſe autem non facile eidem ſe præſens ſiſt[illegible] poterat. Eſt igitur ſignum ejus, cujus in executione [illegible]poſiti meminiſſe debemus. Quamobrem cum ceremoni[illegible]t ſignum ejus, cujus in executione propoſiti meminiſſe [illegible]emus (§. *442.*), & inſtitutio ceremoniarum hoc ſenſu [illegible]eptarum ſit rationi conformis (§. *443.*); quin ceremo[illegible] in hypotheſi propoſitionis rationi conformis ſit, dubit[illegible]m non eſt.

Cum oſtenderimus inſtitut[illegible] ceremoniarum, prouti a nobis definiuntur, eſſe rationi c[illegible]em (§. 443.), ad evincendam ceremoniarum cum ration[illegible]enientiam non opus eſt niſi definitionis applicatione. Qu[illegible]cipias, dari etiam ceremonias abſurdas; haud difficilis [illegible]onſio. Ceremoniæ vocantur, quæ non ſunt, quod per n[illegible] confuſam tales apparent, vel pro abſurdis etiam per err[illegible]bentur, quæ nihil abſurdi habent, propterea quod earu[illegible]ficatus ig[illegible] per quem in eſſe ceremoniarum conſtit[illegible] vel no[illegible] ſurdi diſtincta eaque ſatis determinata non [illegible] qui [illegible] ſibi judicium ſumit. Vidimus paulo an[illegible]de[illegible]ari accenſis, dum Sacramentum euchariſtiæ ce[illegible]nire definitionem ceremoniæ (*not.* §. *442.*), ac[illegible]titu[illegible]onem

tionem a ratione minime abhorrere (§. 443.). Ceremonia igitur hæc abſurda dici nequit. Quia abſurdum eſt interdiu accendere candelam ad viſibilia illuminanda, cum lux diurna lumen candelarum obfuſcet, ut nullius ſit uſus; qui ad uſum receptum animum advertunt præcipitant judicium, & ceremoniam abſurdam vocant, cum candelas accenſas in ſe conſiderent, non quatenus euchariſtiæ celebrandæ ceremonia ſunt. Cave autem, ne per præcipitantiam ceremoniæ utilitatem cum ejusdem neceſſitate, nec neceſſitatem hypotheticam cum abſoluta confundas, quemadmodum denuo facere ſolent, qui judicium præcipitatum defendunt, quia ipſis ſolenne non eſt nonniſi ex notionibus diſtinctis & determinatis ferre judicium. Multa circumſpectione opus eſt, niſi præcipitato judicio ex uno abſurdo in alterum ruere velis, dum tibi ſciolorum more ultra alios ſapere videris, ad carpendum pronus, quæ nondum didiciſti. Quodſi vero vi definitionis, quod pro ceremonia venditatur, pro tali haberi debet, abſurditatis tamen redargui poteſt, cum neceſſe eſt, ut id, quod ejus ope in memoriam revocatur, abſurdum dici poſſit, ut non tam ſit ceremonia abſurda, quam ceremonia rei abſurdæ. Sed ut limatiora ſint de ceremoniis judicia, lubet curatius in theoriam earum inquirere.

§. 445.

Ceremoniæ quando ſuperfluæ.

Si, quod ceremonia in memoriam revocare debet, id ad negotium animum advertenti per ſe patet; ceremonia ſuperflua eſt. Etenim cum defectus attentionis circa actiones noſtras incogitantia (§. 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque culpa ſit (§. 749. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut actio recta ſit, attentio ad id, quod agendum, deficere minime debet (§. 699. *Part. I. Phil. pract. univ.*); quæ animum ad negotium advertenti per ſe patent, non demum alio mediante in memoriam revocari neceſſe eſt. Quamobrem cum ceremonia ſit ſignum ejus, cujus in executione propoſiti memores eſſe debemus (§. 442.), adeoque

que non alio fine inſtituenda veniat, niſi ut id in memoriam nobis revocet (§. *952. Ontol.*); ſi quod in memoriam revocandum ad negotium animum advertenti per ſe patet, ceremonia opus non eſt. Quodſi ergo quædam inſtituatur, erit ea ſuperflua.

Ita templum ingreſſus, ut concionatorem ad populum verba facientem audiat, attentione opus habet. Enimvero nemo non novit, ea eſſe utendum, ſiquidem quæ ille dicit non modo auditu percipere, verum etiam memoria retinere voluerit. Quodſi ergo ceremonia inſtitueretur in memoriam revocatura attentionem afferendam ad verba dicentis; foret ea utique ſuperflua dicenda. Si excipias, attentionem haud raro deficere, immo difficulter conſervari, adeoque non inutile, immo neceſſarium eſſe, ut attentio excitetur & conſervetur, velim ut memineris, aliud eſſe in memoriam revocare, quod attentione utendum ſit, aliud attentionem excitare & conſervare. Illud ceremoniæ eſt, hoc vero Oratoris ſacri, quem non ſolum dotibus naturalibus, verum etiam artificiis oratoriis inſtructum eſſe oportet, ad attentionem auditorum excitandam & conſervandam neceſſariis.

§. 446.

Quando perperam pro ſuperflua habeatur.

Quodſi ceremonia aliqua in futurum uſum adhibetur, ea ſuperflua cenſeri nequit. Sive enim ceremonia uſum habeat e præſenti, ſive eundem demum præbeat in futurum, utroque caſu eum uſu, quem habere debet (§. 442.), minime deſtitui, per ſe patet. Quamobrem ubi conſultum eſt, ut futuro uſui proſpiciatur, ceremonia tanquam inutilis rejici, conſequenter nec ſuperflua cenſeri poteſt.

Nimirum nemo non fatebitur, tum demum ſuperfluam eſſe ceremoniam, ſi nullus prorſus ejus ſit uſus, ſed id, quod in memoriam revocari debet, ob rationes alias agenti ſuccurrat (§. 445.). Uſus adeo futurus, quem in exequendo propoſito

præſenti negotio cohærente ſpondet ceremonia, ſuperflua non eſt, quin naturæ potius ceremoniarum maxime convenit (*§. cit.*). Ita ceremonia in promotione doctorali, qua liber nunc apertus, nunc vero idem clauſus exhibetur doctori creato, uſum futurum promittit, in præſenti nullum habet (*not. §. 442.*). Non tamen ideo ſuperflua dici poteſt. Etenim hæc ceremonia non alio fine adhibetur, quam ut propoſitum, quod doctori recens creato commendatur, in poſterum facilius exequatur, nec niſi culpa ipſius oblivioni detur. Ceremoniæ igitur, quæ uſum in futurum habent, non minus rationi conformes ſunt, quam quæ eundem in præſenti exerunt. Futuris proſpicere, prudentia eſt, quemadmodum ſuo demonſtrabitur loco.

§. 447.

Quando ceremoniæ ſint admittendæ. *Quotiescunque verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii meminiſſe debes, aut in poſterum propoſiti alicujus, quod nunc inculcatur, non recorderis, dum ejusdem memor eſſe debes; ceremoniæ locus eſt.* Patet hoc ex ipſa definitione ceremoniæ (§. 442.), ut inſtar axiomatis ſumi poſſit (§. *273. Log.*). Non tamen inconſultum eſt, ut diſtinctius oſtendatur. Etenim ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti cujuscunque meminiſſe debemus (§. 442.), conſequenter ex iis colligitur id, quod agenti ſive nunc, ſive in poſterum acturo præſens obverſari debet animo (§. *952. Ontol.*). Quamobrem ſi verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii memor eſſe debes, aut in poſterum propoſiti, quod nunc inculcatur, & cujus acturus meminiſſe debes, non recorderis; neceſſe eſt, ut adſit aliquid in caſu priori, ex quo illud colligas, vel ſæpius tibi in caſu poſteriori occurrat, quod propoſitum tibi in memoriam revocet, ut eidem mandetur (§. *179. Pſych. empir.*), eademque retineatur (§. *181. Pſych. empir.*), conſequen

Digitized by Google

quenter ſignum aliquod conſtituendum eſt in utroque caſu huic inſtituto inſerviens (§. *952. Ontol.*). Patet itaque, ceremonias eſſe inſtituendas, quotiescunque verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii meminiſſe debemus, aut ne in poſterum propoſiti alicujus, quod nunc inculcatur, recorderis, dum ejusdem memor eſſe debes. In utroque igitur caſu propoſitionis præſentis iisdem locus eſt.

Vi propoſitionis præſentis facile aſſequeris, quandonam ceremoniæ recte ac utiliter inſtituantur, modo attentione ac acumine ſufficiente uti didiceris, ne in applicatione hæſites, vel prorſus cæcutias. Quamobrem etſi propoſitio ſatis videatur manifeſta, ut veritatem ejus perſpicias, ubi animum ad definitionem advertis, cum tamen iis, qui judicia præcipitare ſolent, præjudiciis præſertim imbutis, quibus multum tribuunt, ſolenne ſit in dubium revocare, quod tanquam verum admiſerunt, ubi idem ſibi adverſum experiuntur; non absque ratione viſum fuit veritatem propoſitionis præſentis in manifeſta luce collocare, utut idem etiam ſuadeat ipſa cognitionis philoſophicæ notio (§. *6. Diſc. prælim.*). Ceterum quæ in anterioribus (*not.* §. *442. 444.*) in medium adduximus exempla, propoſitionem præſentem etiam illuſtrant, ut alia afferri opus non ſit.

§. 448.

Abſurdum dicitur, quod manifeſto contradictorium. Unde *Abſurditas* conſiſtit in contradictione manifeſta. *Abſurdum quid ſit.*

Ita vocabulum ſumitur in ſignificatu recepto, cum abſurditatis redarguere ſoleamus eum, qui contradictoria defendit. Et idem obtinet in Matheſi, ubi abſurdum vocamus, quod veritati manifeſtæ contradicere demonſtratum fuit.

§. 449.

Quoniam contradictio manifeſta eſt, quamprimum demonſtraſti, veritati manifeſtæ, veluti jam antea demon- *Quando quid eſſe ab-*

Digitized by Google

ſurdum conſtet. ſtratæ, contradicere, quod affirmatur, vel negatur (§. 568 *Log.* & §. 29. *Ontol.*); *abſurdum eſſe, quod aſſeritur, conſtat ubi demonſtratum fuit, id veritati manifeſtæ contradicere.*

Atque adeo patet, quomodo abſurditas probetur. Patet etiam ratio, cur demonſtratio per indirectum dicatur reductio ad abſurdum. In ea enim ſumitur contrarium ejus, quod oſtendendum, atque ex eo colligitur, quod propoſitioni veræ vel notioni ſubjecti contradicit (§. 550. *Log.*). Quod igitur ex aſſumto colligitur, abſurdum eſt (§. 448.), ipſumque quod ſumitur abſurdum (§. *cit.*).

§. 450.

Quandonam ceremonia ſit abſurda. *Si ceremonia aliena a præſenti negotio in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit; abſurda eſt.* Etenim ceremoniæ debent eſſe ſigna eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debemus (§. 442.), adeoque ex iis colligenda ſunt, quorum ad actionem rite abſolvendam memores nos eſſe oportet (§. 952. *Ontol.*). Quodſi vero ceremonia a præſenti negotio aliena in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit; impedimento utique eſt, quo minus eorum meminerimus, quæ ad actionem rite abſolvendam requiruntur, conſequenter effectus ceremoniæ contradicit ei, quem habere debet, & ceremonia ipſa manifeſtam alit contradictionem (§. 30. *Ontol.*). Quoniam itaque abſurdum eſt, quod manifeſto contradictorium (§. 448.); ceremonia abſurda eſt, ſi a præſenti negotio aliena in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit.

Si ad demonſtrationem attentionem ſufficientem afferas, modo notiones abſurditatis & ceremoniæ habueris perſpectas, veritas propoſitionis manifeſta ſatis eſt, ut eam haud difficulter per-

Digitized by Google

perſpicere detur. Etenim ſi vis efficere, ut eorum, quæ nunc agenda ſunt, probe memor ſis; efficiendum non eſt, ut eorum non ſis memor. Alias media eligis, quæ te a fine abducunt, ad quem te adducere debebant. Hoc vero eſſe abſurdum, nemo non fatebitur. Non tamen adeo facile eſt, ut propoſitionem præſentem in caſu omni rite applices. Etenim ubi vi ejusdem ceremoniam aliquam damnare volueris tanquam abſurdam, demonſtrandum eſt, ceremoniam aliena a præſenti negotio in animum revocare, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahere (*ſ. 1224. Log.*). Hoc vero ut demonſtres, non ſumenda ſunt, niſi quæ ſenſibile, quod ſignum conſtituitur ejus, cujus meminiſſe debes (§. 442.), in ſe ſpectatum ſuggerit, & quæ, ſi non in omnibus, ſaltem in plerisque, quibus ceremonia prodeſſe debet, ſupponere licet. Alias enim per accidens ex parte ſubjecti fieri poteſt, ut ceremonia ſortiatur effectum contrarium ei, quem habere debet, adeoque hoc non ceremoniæ, ſed ſubjecto eadem non rite utenti imputandum. Quanta hic opus ſit circumſpectione, ne præcipiti judicio ceremonia tanquam abſurda damnetur, quæ talis non eſt, experietur, qui in ceremoniis accurate dijudicandis induſtriam ſuam mentisque aciem exercere voluerit. Prorſus autem a ſcopo aberrant, qui ceremonias abſurdas pronunciant, quod earum ſignificatum minime perſpiciunt, vel earum uſum minime neceſſarium exiſtimant, vel eas parum convenientes arbitrantur. Sit enim, quod ſignificatus lateat, nec facile detegi poſſit, vel quod ceremonia iſta carere poſſimus, vel quod inſtituto præſenti parum conveniat; habebis equidem, quod in ceremonia non ſine ratione reprehendas, nulla tamen erit ratio, cur eam abſurdam pronuncies. Elucet hic denuo neceſſitas notionum diſtinctarum, ſi circumſpecta deſiderentur judicia, quæ nullibi fere magis deficiunt, quam ubi de ceremoniis feruntur. Quotquot enim ſunt, qui ſatis diſtincte perpendunt, quid ſibi velint ceremoniæ? Plerisque nonniſi confuſa quædam, eaque parum determinata eſt ceremoniarum notio, ut tantum non omnes in numerum ludicrorum referantur. Unde de iis judicaturi ad rationes extrinſecas confugiunt, quæ

Digitized by Google

quod noſſe debemus (§. *cit.*). Senſibili igitur iſti imponendus eſt ſignificatus ejus, cujus cum meminiſſe debemus, ut idem nobis ejusdem perceptione in memoriam revocetur. Quamobrem cum hoc pacto naturam ſigni (§. *952. Ontol.*) & quidem artificialis induat (§. *958. Ontol.*), atque eum uſum preſtet, quem ſignum artificiale habet (§. *960. Ontol.*); iſtiusmodi autem ſignum ceremonia ſit (§. *442.*); evidens eſt, ceremoniarum inſtitutionem rationem ſufficientem habere in veritatibus pſychologicis, quas de animæ noſtræ natura cognovimus (§. *56. Ontol.*), adeoque cum veritatibus connecti (§. *10. Coſmol.*). Quoniam itaque rationi conforme eſt, quod cum veritatibus cognitis connectitur (§. *485. Pſych. empir.*); ceremoniarum inſtitutionem eſſe rationi conformem palam eſt.

Idem brevius oſtenditur hoc modo. Ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus (§. *442.*). Enimvero directe demonſtravimus, conſtituenda eſſe ſigna ſenſui obvia actionum dato tempore edendarum, ut propoſiti reddamur memores (§. *440.*), adeoque eorundem conſtitutio rationi conconformis eſt (§. *486. Pſych. empir.*). Ceremoniarum igitur inſtitutio rationi conformis.

Non deſunt, qui ceremonias omnes tanquam a ratione alienas damnant, & nonniſi rebus ludicris accenſent, ideo easdem a cultu divino arcentes. Quoniam tamen earum inſignis eſt uſus in praxi morali, modo iisdem rite utaris; noſtrum fuit contrarium demonſtrare. Ceterum hinc elucet, cur olim ipſe Deus per Moſem populo ſuo legem ceremonialem dederit: quæ etſi propter ſignificatum ceremoniarum, cui in novo fœdere non amplius erat locus, abrogata fuerit, non tamen Deus ideo voluiſſe dicendus eſt, ut a cultu divino omnes abeſſent ceremoniæ. Libertati enim chriſtianæ relictum eſt inſtituere ceremonias, quæ cum

Digitized by Google

cum ſint rationi conformes, ubi in eas quadrat definitio (§. 442.), quemadmodum ex demonſtratione liquet, voluntati quoque divinæ convenire cenſentur.

§. 444.

Si ceremoniæ dijudicandæ, 1) perpendenda ſunt ea, quorum in dato negotio meminiſſe debemus, 2) inquirendum eſt, num per ceremoniam iſtam nobis in memoriam quid revocetur, cujus facile oblivifci poteramus. Quodſi enim hoc obtinet, ceremoniæ rationi conformes. Etenim ſi ceremoniæ nobis in memoriam quid revocant, cujus tunc meminiſſe debemus, facile vero oblivifci poteramus; ex iisdem colligitur, quod animo agentis præſens obverſari debet, per ſe autem non facile eidem ſe præſens ſiſtere poterat. Eſt igitur ſignum ejus, cujus in executione propoſiti meminiſſe debemus. Quamobrem cum ceremonia ſit ſignum ejus, cujus in executione propoſiti meminiſſe debemus (§. *442.*), & inſtitutio ceremoniarum hoc ſenſu acceptarum ſit rationi conformis (§. *443.*); quin ceremonia in hypotheſi propoſitionis rationi conformis ſit, dubitandum non eſt. *Quomodo ceremoniæ dijudicandæ.*

Cum oſtenderimus inſtitutionem ceremoniarum, prouti a nobis definiuntur, eſſe rationi conformem (§. 443.), ad evincendam ceremoniarum cum ratione convenientiam non opus eſt niſi definitionis applicatione. Quodſi excipias, dari etiam ceremonias abſurdas; haud difficilis eſt reſponſio. Ceremoniæ vocantur, quæ non ſunt, quod per notionem confuſam tales apparent, vel pro abſurdis etiam per errorem habentur, quæ nihil abſurdi habent, propterea quod earum ſignificatus ignoratur, per quem in eſſe ceremoniarum conſtituuntur, vel notione abſurdi diſtincta eaque ſatis determinata non utitur, qui de iisdem ſibi judicium ſumit. Vidimus paulo ante, candelis in altari accenſis, dum Sacramentum euchariſtiæ celebratur, convenire definitionem ceremoniæ (*not. §. 442.*), adeoque ejus inſtitutionem

Digitized by Google

tionem a ratione minime abhorrere (§. 443.). Ceremonia igitur hæc abſurda dici nequit. Quia abſurdum eſt interdiu accendere candelam ad viſibilia illuminanda, cum lux diurna lumen candelarum obfuſcet, ut nullius ſit uſus; qui ad uſum receptum animum advertunt præcipitant judicium, & ceremoniam abſurdam vocant, cum candelas accenſas in ſe conſiderent, non quatenus euchariſtiæ celebrandæ ceremonia ſunt. Cave autem, ne per præcipitantiam ceremoniæ utilitatem cum ejusdem neceſſitate, nec neceſſitatem hypotheticam cum abſoluta confundas, quemadmodum denuo facere ſolent, qui judicium præcipitatum defendunt, quia ipſis ſolenne non eſt nonniſi ex notionibus diſtinctis & determinatis ferre judicium. Multa circumſpectione opus eſt, niſi præcipitato judicio ex uno abſurdo in alterum ruere velis, dum tibi ſciolorum more ultra alios ſapere videris, ad carpendum pronus, quæ nondum didiciſti. Quodſi vero vi definitionis, quod pro ceremonia venditatur, pro tali haberi debet, abſurditatis tamen redargui poteſt, tum neceſſe eſt, ut id, quod ejus ope in memoriam revocatur, abſurdum dici poſſit, ut non tam ſit ceremonia abſurda, quam ceremonia rei abſurdæ. Sed ut limatiora ſint de ceremoniis judicia, lubet curatius in theoriam earum inquirere.

§. 445.

Ceremoniæ quando ſuperfluæ.

Si, quod ceremonia in memoriam revocare debet, id ad negotium animum advertenti per ſe patet; ceremonia ſuperflua eſt. Etenim cum defectus attentionis circa actiones noſtras incogitantia (§. *748. Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque culpa ſit (§. *749. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut actio recta ſit, attentio ad id, quod agendum, deficere minime debet (§. *699. Part. I. Phil. pract. univ.*); quæ animum ad negotium advertenti per ſe patent, non demum alio mediante in memoriam revocari neceſſe eſt. Quamobrem cum ceremonia ſit ſignum ejus, cujus in executione propoſiti memores eſſe debemus (§. 442.), adeoque

que

que non alio fine inſtituenda veniat, niſi ut id in memoriam nobis revocet (§. *952. Ontol.*); ſi quod in memoriam revocandum ad negotium animum advertenti per ſe patet, ceremonia opus non eſt. Quodſi ergo quædam inſtituatur, erit ea ſuperflua.

Ita templum ingreſſus, ut concionatorem ad populum verba facientem audiat, attentione opus habet. Enimvero nemo non novit, ea eſſe utendum, ſiquidem quæ ille dicit non modo auditu percipere, verum etiam memoria retinere voluerit. Quodſi ergo ceremonia inſtitueretur in memoriam revocatura attentionem afferendam ad verba dicentis; foret ea utique ſuperflua dicenda. Si excipias, attentionem haud raro deficere, immo difficulter conſervari, adeoque non inutile, immo neceſſarium eſſe, ut attentio excitetur & conſervetur, velim ut memineris, aliud eſſe in memoriam revocare, quod attentione utendum ſit, aliud attentionem excitare & conſervare. Illud ceremoniæ eſt, hoc vero Oratoris ſacri, quem non ſolum dotibus naturalibus, verum etiam artificiis oratoriis inſtructum eſſe oportet, ad attentionem auditorum excitandam & conſervandam neceſſariis.

§. 446.

Quodſi ceremonia aliqua in futurum uſum adhibetur, ea ſuperflua cenſeri nequit. Sive enim ceremonia uſum habeat de præſenti, ſive eundem demum præbeat in futurum, in utroque caſu eum uſu, quem habere debet (§. 442.), minime deſtitui, per ſe patet. Quamobrem ubi conſultum eſt, ut futuro uſui proſpiciatur, ceremonia tanquam inutilis rejici, conſequenter nec ſuperflua cenſeri poteſt. *Quando perperam pro ſuperflua habeatur.*

Nimirum nemo non fatebitur, tum demum ſuperfluam eſſe ceremoniam, ſi nullus prorſus ejus ſit uſus, ſed id, quod in memoriam revocari debet, ob rationes alias agenti ſuccurrat (§. 445.). Uſus adeo futurus, quem in exequendo propoſito

Digitized by Google

præſenti negotio cohærente ſpondet ceremonia, ſuperflua non eſt, quin naturæ potius ceremoniarum maxime convenit (*§. cit.*). Ita ceremonia in promotione doctorali, qua liber nunc apertus, nunc vero idem clauſus exhibetur doctori creato, uſum futurum promittit, in præſenti nullum habet (*not. §. 442.*). Non tamen ideo ſuperflua dici poteſt. Etenim hæc ceremonia non alio fine adhibetur, quam ut propoſitum, quod doctori recens creato commendatur, in poſterum facilius exequatur, nec niſi culpa ipſius oblivioni detur. Ceremoniæ igitur, quæ uſum in futurum habent, non minus rationi conformes ſunt, quam quæ eundem in præſenti exerunt. Futuris proſpicere, prudentia eſt, quemadmodum ſuo demonſtrabitur loco.

§. 447.

Quando ceremoniæ ſint admittendæ.

Quotiescunque verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii meminiſſe debes, aut in poſterum propoſiti alicujus, quod nunc inculcatur, non recorderis, dum ejusdem memor eſſe debes; ceremoniæ locus eſt. Patet hoc ex ipſa definitione ceremoniæ (§. 442.), ut inſtar axiomatis ſumi poſſit (§. *273. Log.*). Non tamen inconſultum eſt, ut diſtinctius oſtendatur. Etenim ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti cujuscunque meminiſſe debemus (§. 442.), conſequenter ex iis colligitur id, quod agenti ſive nunc, ſive in poſterum acturo præſens obverſari debet animo (§. *952. Ontol.*). Quamobrem ſi verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii memor eſſe debes, aut in poſterum propoſiti, quod nunc inculcatur, & cujus acturus meminiſſe debes, non recorderis; neceſſe eſt, ut adſit aliquid in caſu priori, ex quo illud colligas, vel ſæpius tibi in caſu poſteriori occurrat, quod propoſitum tibi in memoriam revocet, ut eidem mandetur (§. *179. Pſych. empir.*), eademque retineatur (§. *181. Pſych. empir.*), conſequen-

Digitized by Google

quenter ſignum aliquod conſtituendum eſt in utroque caſu huic inſtituto inſerviens (§. *952. Ontol.*). Patet itaque, ceremonias eſſe inſtituendas, quotiescunque verendum, ne aut in præſenti ejus obliviſcaris, cujus in executione negotii meminiſſe debemus, aut ne in poſterum propoſiti alicujus, quod nunc inculcatur, recorderis, dum ejusdem memor eſſe debes. In utroque igitur caſu propoſitionis præſentis iisdem locus eſt.

Vi propoſitionis præſentis facile aſſequeris, quandonam ceremoniæ recte ac utiliter inſtituantur, modo attentione ac acumine ſufficiente uti didiceris, ne in applicatione hæſites, vel prorſus cæcutias. Quamobrem etſi propoſitio ſatis videatur manifeſta, ut veritatem ejus perſpicias, ubi animum ad definitionem advertis, cum tamen iis, qui judicia præcipitare ſolent, præjudiciis præſertim imbutis, quibus multum tribuunt, ſolenne ſit in dubium revocare, quod tanquam verum admiſerunt, ubi idem ſibi adverſum experiuntur; non abſque ratione viſum fuit veritatem propoſitionis præſentis in manifeſta luce collocare, utut idem etiam ſuadeat ipſa cognitionis philoſophicæ notio (§. *6. Diſc. prælim.*). Ceterum quæ in anterioribus (*not.* §. *442. 444.*) in medium adduximus exempla, propoſitionem præſentem etiam illuſtrant, ut alia afferri opus non ſit.

§. 448.

Abſurdum dicitur, quod manifeſto contradictorium. Unde *Abſurditas* conſiſtit in contradictione manifeſta. *Abſurdum quid ſit.*

Ita vocabulum ſumitur in ſignificatu recepto, cum abſurditatis redarguere ſoleamus eum, qui contradictoria defendit. Et idem obtinet in Matheſi, ubi abſurdum vocamus, quod veritati manifeſtæ contradicere demonſtratum fuit.

§. 449.

Quoniam contradictio manifeſta eſt, quamprimum demonſtraſti, veritati manifeſtæ, veluti jam antea demon- *Quando quid eſſe ab-*

Digitized by Google

ſurdum conſtet. ſtratæ, contradicere, quod affirmatur, vel negatur (§. 568 Log. & §. 29. Ontol.); *abſurdum eſſe, quod aſſeritur, conſtat ubi demonſtratum fuit, id veritati manifeſtæ contradicere.*

Atque adeo patet, quomodo abſurditas probetur. Patet etiam ratio, cur demonſtratio per indirectum dicatur reductio ad abſurdum. In ea enim ſumitur contrarium ejus, quod oſtendendum, atque ex eo colligitur, quod propoſitioni veræ vel notioni ſubjecti contradicit (§. 550. *Log.*). Quod igitur ex aſſumto colligitur, abſurdum eſt (§. 448.), ipſumque quod ſumitur abſurdum (§. *cit.*).

§. 450.

Quandonam ceremonia ſit abſurda. *Si ceremonia aliena a præſenti negotio in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit; abſurda eſt.* Etenim ceremoniæ debent eſſe ſigna eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debemus (§. 442.), adeoque ex iis colligenda ſunt, quorum ad actionem rite abſolvendam memores nos eſſe oportet (§. 952. *Ontol.*). Quodſi vero ceremonia a præſenti negotio aliena in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit; impedimento utique eſt, quo minus eorum meminerimus, quæ ad actionem rite abſolvendam requiruntur, conſequenter effectus ceremoniæ contradicit ei, quem habere debet, & ceremonia ipſa manifeſtam alit contradictionem (§. 30. *Ontol.*). Quoniam itaque abſurdum eſt, quod manifeſto contradictorium (§. 448.); ceremonia abſurda eſt, ſi a præſenti negotio aliena in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit.

Si ad demonſtrationem attentionem ſufficientem afferas, modo notiones abſurditatis & ceremoniæ habueris perſpectas, veritas propoſitionis manifeſta ſatis eſt, ut eam haud difficulter per-

perſpicere detur. Etenim ſi vis efficere, ut eorum, quæ nunc agenda ſunt, probe memor ſis; efficiendum non eſt, ut eorum non ſis memor. Alias media eligis, quæ te a fine abducunt, ad quem te adducere debebant. Hoc vero eſſe abſurdum, nemo non fatebitur. Non tamen adeo facile eſt, ut propoſitionem præſentem in caſu omni rite applices. Etenim ubi vi ejusdem ceremoniam aliquam damnare volueris tanquam abſurdam, demonſtrandum eſt, ceremoniam aliena a præſenti negotio in animum revocare, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahere (*§. 1224. Log.*). Hoc vero ut demonſtres, non ſumenda ſunt, niſi quæ ſenſibile, quod ſignum conſtituitur ejus, cujus meminiſſe debes (§. 442.), in ſe ſpectatum ſuggerit, & quæ, ſi non in omnibus, ſaltem in plerisque, quibus ceremonia prodeſſe debet, ſupponere licet. Alias enim per accidens ex parte ſubjecti fieri poteſt, ut ceremonia ſortiatur effectum contrarium ei, quem habere debet, adeoque hoc non ceremoniæ, ſed ſubjecto eadem non rite utenti imputandum. Quanta hic opus ſit circumſpectione, ne præcipiti judicio ceremonia tanquam abſurda damnetur, quæ talis non eſt, experietur, qui in ceremoniis accurate dijudicandis induſtriam ſuam mentisque aciem exercere voluerit. Prorſus autem a ſcopo aberrant, qui ceremonias abſurdas pronunciant, quod earum ſignificatum minime perſpiciunt, vel earum uſum minime neceſſarium exiſtimant, vel eas parum convenientes arbitrantur. Sit enim, quod ſignificatus lateat, nec facile detegi poſſit, vel quod ceremonia iſta carere poſſimus, vel quod inſtituto præſenti parum conveniat; habebis equidem, quod in ceremonia non ſine ratione reprehendas, nulla tamen erit ratio, cur eam abſurdam pronuncies. Elucet hic denuo neceſſitas notionum diſtinctarum, ſi circumſpecta deſiderentur judicia, quæ nullibi fere magis deficiunt, quam ubi de ceremoniis feruntur. Quotquot enim ſunt, qui ſatis diſtincte perpendunt, quid ſibi velint ceremoniæ? Plerisque nonniſi confuſa quædam, eaque parum determinata eſt ceremoniarum notio, ut tantum non omnes in numerum ludicrorum referantur. Unde de iis judicaturi ad rationes extrinſecas confugiunt, quæ

minime conſentientia inter ſe, multo minus autem veritati conſentanea pariunt judicia.

§. 451.

Ceremoniæ qualia ſint ſigna.

Ceremoniæ ſunt ſigna artificialia. Significant enim quidpiam, cujus in executione propoſiti cujusdam memor eſſe debes (§. 442.). Enimvero hic ſignificatus non continetur in ipſa ſenſibilis notione, quod per ſe patet, adeoque inſtituto ſaltem humano, vel divino eundem habent. Quamobrem cum artificialia ſint ſigna, quorum vis ſignificandi ab arbitrio entis cujusdam intelligentis, veluti hominum, vel DEI, dependet (§. 958. *Ontol.*). Ceremoniæ ſigna artificialia ſunt.

Probe perpendendum eſt, qualia ſint ſigna ceremoniæ, ſiquidem in iis dijudicandis ſatis circumſpectum te præbere volueris. Haud raro enim contingit, eos ceſpitare, qui differentiam inter ſignum naturale & artificiale minime perpendunt. Eſſe autem ceremonias nonniſi artificialia ſigna, exemplis undiquaque collectis doceri poteſt. Sane candela accenſa per ſe non ſignificat circumſtantiam temporis, quo Chriſtus ſacramentum euchariſtiæ inſtituit, neque eam ideo ſignificat, quia in altari collocatur, cum etiam alium habere poſſit ſignificatum, immo alium habere debeat, quia etiam candelæ accenduntur in altari, dum hoc ſacramentum non celebratur. Similiter liber apertus per ſe non ſignificat, doctorem ſibi ſoli fidere non debere, ſed debere etiam inquirere, quid ſentiant alii. Nec liber clauſus per ſe ſignificat, eum tanquam verum amplecti minime debere, quod ſtatuunt alii, ob ſolam eorum autoritatem, ſed debere potius aliorum ſententiam accuratæ diſcuſſioni ſubjicere, meditationem jungendo lectioni. Nemo igitur eſt, qui non videat, ſignificatum in hiſce exemplis totum pendere ab arbitrio hominum, qui haſce ceremonias vel primi inſtituerunt, vel ab aliis inſtitutas retinuerunt.

§. 452.

Digitized by Google

§. 452.

Quoniam ceremoniæ ſigna artificialia ſunt (§. 451.), adeoque earum ſignificatus ab arbitrio entis cujusdam intelligentis, veluti hominum, unice pendet (§. 958. *Onotol.*); *ceremoniarum ſignificatus, quem ex mente inſtituentis habent, & in alium mutari, & amplificari poteſt, ut* ſcilicet *præterea ſignificet etiam alia, de quibus minime cogitavit, qui eas primus inſtituit.*

Num ſignificatus ceremoniarum mutari poſſit.

Probe hæc notanda veniunt, ubi de ceremoniis judicium ferre volueris. Neque enim ſolum animum advertere debemus ad ſignificatum, quem habent ex mente inſtituentis, verum etiam ad eum, quem habere poſſunt, quique adeo ipſis a nobis recte tribuitur.

§. 453.

Quoniam ſignificatum ceremoniarum, quem ex mente inſtituentis habent, & in alium mutare, & pro arbitrio amplificare licet, ut alia præterea ſignificent, de quibus minime cogitavit, qui primus eas inſtituit (§. 452.); *ceremoniæ retineri poſſunt ob novum ſignificatum iisdem impoſitum, quas rejicere poteras, immo debebas ob ſignificatum a primo inſtituente ipſis tributum,* conſequenter *quamdiu ſignificatus ejus, cujus in propoſito exequendo meminiſſe debemus, facile autem obliviſcimur, vel difficulter recordamur, ceremoniis imponi poteſt, ratio nulla ſuadet, ut eædem abrogentur, vel atro carbone notentur,* ſeu *damnentur, niſi extrinſeca.*

Quænam ceremoniæ retinendæ, nec reprehendendæ.

Principio hoc opus eſt, quando de eo incidit diſputatio, utrum ceremonia aliqua retineri poſſit, vel debeat, an vero abroganda ſit, itidemque num veritati conſentanea ſint ſiniſtra de ceremoniis judicia. Ceterum probe conſiderandum nullam dari rationem intrinſecam abrogandi, vel reprehendendi ceremoniam, ſi ſignificatus talis iisdem tribui poteſt, qualem ceremonia exigit

Digitized by Google

minime conſentientia inter ſe, multo minus autem veritati conſentanea pariunt judicia.

§. 451.

Ceremoniæ qualia ſint ſigna.

Ceremoniæ ſunt ſigna artificialia. Significant enim quidpiam, cujus in executione propoſiti cujusdam memor eſſe debes (§. 442.). Enimvero hic ſignificatus non continetur in ipſa ſenſibilis notione, quod per ſe patet, adeoque inſtituto ſaltem humano, vel divino eundem habent. Quamobrem cum artificialia ſint ſigna, quorum vis ſignificandi ab arbitrio entis cujusdam intelligentis, veluti hominum, vel DEI, dependet (§. 958. *Ontol.*). Ceremoniæ ſigna artificialia ſunt.

Probe perpendendum eſt, qualia ſint ſigna ceremoniæ, ſiquidem in iis dijudicandis ſatis circumſpectum te præbere volueris. Haud raro enim contingit, eos ceſpitare, qui differentiam inter ſignum naturale & artificiale minime perpendunt. Eſſe autem ceremonias nonniſi artificialia ſigna, exemplis undiquaque collectis doceri poteſt. Sane candela accenſa per ſe non ſignificat circumſtantiam temporis, quo Chriſtus ſacramentum euchariſtiæ inſtituit, neque eam ideo ſignificat, quia in altari collocatur, cum etiam alium habere poſſit ſignificatum, immo alium habere debeat, quia etiam candelæ accenduntur in altari, dum hoc ſacramentum non celebratur. Similiter liber apertus per ſe non ſignificat, doctorem ſibi ſoli fidere non debere, ſed debere etiam inquirere, quid ſentiant alii. Nec liber clauſus per ſe ſignificat, eum tanquam verum amplecti minime debere, quod ſtatuunt alii, ob ſolam eorum autoritatem, ſed debere potius aliorum ſententiam accuratæ diſcuſſioni ſubjicere, meditationem jungendo lectioni. Nemo igitur eſt, qui non videat, ſignificatum in hiſce exemplis totum pendere ab arbitrio hominum, qui haſce ceremonias vel primi inſtituerunt, vel ab aliis inſtitutas retinuerunt.

Digitized by Google

§. 452.

Quoniam ceremoniæ ſigna artificialia ſunt (§. 451.), adeoque earum ſignificatus ab arbitrio entis cujusdam intelligentis, veluti hominum, unice pendet (§. 958. *Onotol.*); *ceremoniarum ſignificatus, quem ex mente inſtituentis habent, & in alium mutari, & amplificari poteſt, ut* ſcilicet *præterea ſignificet etiam alia, de quibus minime cogitavit, qui eas primus inſtituit.* *Num ſignificatus ceremoniarum mutari posſit.*

Probe hæc notanda veniunt, ubi de ceremoniis judicium ferre volueris. Neque enim ſolum animum advertere debemus ad ſignificatum, quem habent ex mente inſtituentis, verum etiam ad eum, quem habere poſſunt, quique adeo ipſis a nobis recte tribuitur.

§. 453.

Quoniam ſignificatum ceremoniarum, quem ex mente inſtituentis habent, & in alium mutare, & pro arbitrio amplificare licet, ut alia præterea ſignificent, de quibus minime cogitavit, qui primus eas inſtituit (§. 452.); *ceremoniæ retineri poſſunt ob novum ſignificatum iisdem impoſitum, quas rejicere poteras, immo debebas ob ſignificatum a primo inſtituente ipſis tributum,* conſequenter *quamdiu ſignificatus ejus, cujus in propoſito exequendo meminiſſe debemus, facile autem obliviſcimur, vel difficulter recordamur, ceremoniis imponi poteſt, ratio nulla ſuadet, ut eædem abrogentur, vel atro carbone notentur,* ſeu *damnentur, niſi extrinſeca.* *Quanam ceremoniæ retinendæ, nec reprehendendæ.*

Principio hoc opus eſt, quando de eo incidit diſputatio, utrum ceremonia aliqua retineri poſſit, vel debeat, an vero abroganda ſit, itidemque num veritati conſentanea ſint ſiniſtra de ceremoniis judicia. Ceterum probe conſiderandum nullam dari rationem intrinſecam abrogandi, vel reprehendendi ceremoniam, ſi ſignificatus talis iisdem tribui poteſt, qualem ceremonia exigit

Digitized by Google

git (§. 442), non tamen hinc inferri poſſe, quod minus recte abrogentur. Alia enim quæſtio eſt, num ceremonia aliqua vitio quodam laboret, ob quod eam abrogari opus ſit; alia vero, num extrinſecæ ſint rationes, ob quas eandem abrogari potius, quam retineri conſultum ſit. Rationes nimirum intrinſecæ cum ex ipſa notione ceremoniarum, extrinſecæ vero aliunde petantur (*§. 1004. Log.*); fieri poteſt, ut, ſi ceremoniam in ſe ſpectes, ea nihil vitii habeat, adeoque ex ejus notione inferri minime poſſit, quod ſit damnanda & abroganda, hoc tamen non obſtante proſtent rationes aliæ, ob quas eandem abrogari conſultum ſit. Quamobrem ubi de ceremoniis abrogandis incidit quæſtio, non modo rationum intrinſecarum, verum etiam extrinſecarum habenda eſt ratio. Neque etiam confundenda quæſtio eſt de jure ceremonias abrogandi cum altera, num recte abrogentur ab eo, qui eas abrogandi jus habet. De jure autem quæ agitatur quæſtio non eſt hujus loci: ea enim ex principiis nunc juris naturalis, nunc poſitivi decidenda.

§. 454.

Quando ſingulis ceremonias in privatum uſum inſtituere licet.

Ceremonias unicuique in ſuum uſum inſtituere licet, niſi inſtitutio pugnet cum officio quodam erga alios. Si quis enim in ſe experitur, quod eorum, quæ in exequendo propoſito ſuo tenenda ſunt, facile obliviſcatur; quod mediis uti poſſit ea ſibi in memoriam revocandi, dum eorundem memor eſſe debet, dubitari haud quaquam poteſt (§. *941. Ontol.*). Quamobrem cum eorum reddaris memor, ſi eorundem ſignum conſtituatur tunc temporis ſenſui obvium, quando propoſitum exequendum (§. 440.), & tale ſignum ceremonia ſit (§. 442.), ceremonia vero ſit medium ea tibi in memoriam revocandi, quorum memor eſſe debes (§. *937. Ontol.*); ceremoniam quoque in uſum privatum inſtituere licet. Quoniam vero officium erga alios obſervare unusquisque obligatur (§. *224. 226. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſi in-

Digitized by Google

ſi inſtitutio iſta pugnat cum officio erga alios, quæ in ſe illicita non eſt, ea de cauſa illicita redditur (§. *170. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ceremonias in uſum inſtituere non licet, niſi ubi cum officio quodam erga alios minime pugnant.

Ponamus ceremoniam, qua uteris in præſentia aliorum, ſcandalo eſſe aliis. Quoniam nemini ſcandalum præbere debemus; a ceremonia iſta abſtinendum tibi erit, etſi alias nihil in ſe vitii habeat, tibique eadem uti licitum ſit. Non deerant, quæ circa propoſitionem præſentem moneri poterant, ne in caſibus particularibus difficultates faceſſas, quibus locus non eſt; ſed nolo hic inculcare, quæ ſuò loco patebunt.

§. 455.

Jus ſingulorum in ceremonias introductas.

Ceremoniæ introductæ ſeu uſu receptæ ſignificatum unicuique amplificare licet. Etenim ceremoniæ inſtituuntur in utilitatem eorum, qui iisdem opus habent (§. 442.). Quamobrem cum ſignificatus amplificari poſſit, quatenus extenditur ad alia tibi in memoriam in eodem negotio revocanda, quam quæ per eandem in memoriam revocari voluit, qui eas primus inſtituit, aut ob quæ uſu recepta eſt (§. 452.), unicuique vero integrum eſt conſtituere aliquod ſignum ejus, cujus in exequendo propoſito memor eſſe debet (§. 440.); ceremoniæ introductæ ſignificatum unicuique amplificare licet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam ſignificatum ceremoniæ introductæ amplificans præter eum, quem habet ex mente inſtituentis, ei alium adhuc tribuit, de quo is minime cogitavit (§. 452.); perinde omnino eſt, ac ſi ceremoniam aliquam in uſum ſuum inſtitueret. Quoniam vero eum in finem non utitur re alia, niſi quæ in ceremonia uſu recepta adhibetur, nec alteri ullo modo obeſt,

quod ope ejusdem ſigni ſibi adhuc aliud in memoriam revocet; hoc ipſum officio nulli erga alios repugnat (§ 224. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero ceremonias unicuique in ſuum uſum inſtituere licet, niſi inſtitutio cum officio quodam erga alios pugnet (§. 454.). Ceremoniæ igitur introductæ ſeu uſu receptæ ſignificatum unicuique amplificare licet.

Qui ceremonias inſtituit, aliorum utilitatem reſpicit, quemadmodum ex ipſa earum definitione haud obſcure colligitur (§. 442.). Quare ſi quis ampliorem ceremoniæ facit uſum, quam fert ſignificatus ab inſtituente eidem tributus, non contra intentionem inſtituentis hic ipſe dicendus eſt, cum is uſum omnem ſaltem indirecte intendere debeat, quem habere poſſunt (*§. 611. Part. I. Phil. pract. univ.*), ita ut pro certo habendum ſit, quod inſtituens omnem iſtum uſum directe intendiſſet, ſi quidem de eo cogitatio animum ſubiiſſet, cum ceremoniam inſtitueret. Vult enim, qui eam inſtituit, ne quis cujusdam obliviſcatur, cujus in propoſito ſuo exequendo memor eſſe debet (§. 442.). Quamobrem cum huc etiam tendat amplior, qui ſit, ceremoniæ uſus; is voluntati generali inſtituentis conformis eſt. Quo amplior adeo efficitur ceremoniæ uſus, eo melius. Unde nec reprehenſionem incurrit, ſed laudem meretur, qui in explicandis ceremoniis ſe præſtat aliis acutiorem.

§. 456.

Ceremoniam inſtituentis intentio.

Qui ceremoniam inſtituit, omnimodam actionis rectitudinem intendit. Qui enim ceremonias inſtituit, vult ut agens memor ſit eorum omnium, quæ in propoſito ſuo exequendo obſervare tenetur (§. 442.), conſequenter ne actio ipſius ulla ex parte a rectitudine deficiat intendit (§. 81. 616. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Omnimodam igitur actionis rectitudinem intendit (§. 79. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

Sane

Digitized by Google

Sane ſi rectitudinem actionis omnimodam non intenderet, perinde ipſi foret, ſive agens omnium eorum memor eſſet, quæ ad propoſitum ſuum rite exequendum requiruntur, ſive nonnullorum oblivifcetur, ita ut actio in nonnullis deficeret. Atque hinc clarius multo intelligitur, quod omnis ceremoniarum uſus, quem quis in propoſito rite exequendo facere poteſt, ab intentione inſtituentis minime abeat. Cum adeo rectitudo actionis ſit finis, quem is ſibi conſtituit (§. 617. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ceremoniæ ſpectandæ ſunt inſtar medii actionis rectitudinem conſequendi (§. 937. *Ontol.*). Atque adeo de ceremoniarum utilitate, immo neceſſitate dubitare nequit, qui ad hunc finem animum attendit.

§. 457.

Ceremoniæ cur ſint explicandæ, & earum ſignificatus inculcandus.

Ceremoniarum ſignificatus docendus eſt eos, quorum intereſt, ac ſedulo inculcandus. Sunt enim ceremoniæ ſigna artificialia (§. 451.), adeoque earum ſignificatus ab arbitrio inſtituentis dependet (§. 958. *Ontol.*). Quoniam itaque inſtituens per eas intendit omnimodam actionis rectitudinem (§. 456.), hunc vero illarum uſum facere nequit niſi is, cui ſignificatus earundem fuerit perſpectus; hic utique docendus eſt eos, quorum intereſt, cumque memoriæ non mandentur, niſi quæ ſæpius, vel diu ſimul percipiuntur (§. 179. *Pſych. empir.*), nec eadem retineantur, niſi quorum idea ſæpius in nobis reproducitur (§. 181. *Pſych. empir.*), ceremoniarum vero eum uſum facturus, quem habere debent ac poſſunt (§. 455.), ſignificatum memoriæ firmiter infixum tenere debet, ſedulo omnino is inculcandus eſt.

Minus adeo probandum eſt, quod ceremoniæ uſu receptæ minime explicentur, ut plerique eorum ſignificatum ignorent, conſequenter uſum nullum facere poſſint, ut adeo abuſus tanto ſit facilior. Accidit hoc non culpa ceremonias inſtituentis, ſed eorum, qui alios docere tenentur, quæ ipſis ad actiones ſuas rite

 deter-

Digitized by Google

determinandas ſcitu neceſſaria ſunt. Turpe autem eſt, ac minime ferendum, ſi, qui ſignificatum docere debent alios, ipſimet ignorant, & propter ignorantiam easdem in ludicrorum numerum referunt atque exagitant: quemadmodum haud raro contingit.

§. 458.

Quando ceremoniæ in actionibus humanis conſiſtant.

Si actionibus tuis indigitare velis ea, quorum vel tu ipſe, vel alter memor eſſe debet in præſenti negotio, aut quorum is meminiſſe vel tumetipſe debes, vel meminiſſe debet alter, quando de perſona aliqua, vel re, vel facto incidit cogitatio: actiones tuæ ceremoniæ ſunt. Quoniam enim ſive a te ipſo, ſive ab alio ex actionibus tuis colliguntur ea, quorum vel in præſenti negotio, vel occaſione alia in poſterum data ſive ipſemet meminiſſe debes, ſive memor eſſe debet alius (*per hypotheſin*), actiones tuæ horum ſigna ſunt (§. *952. Ontol.*). Signa iſtiusmodi ceremoniæ ſunt (§. 442.). Sunt igitur ceremoniæ actiones tuæ, quibus ea indigitare vis, quorum tu ipſe, vel alter memor eſſe debet in præſenti negotio, aut quorum meminiſſe vel tumetipſe debes, vel meminiſſe debet alter, quando de perſona aliqua, vel re, vel facto incidit cogitatio.

Principium hoc ampliſſimum ceremoniarum campum aperit, ut vix dici poſſit, quam multa paucis comprehenderimus. Ubertatem experietur, qui idem applicare voluerit ad actiones ceremoniales ubivis obvias. Et vi hujus principii de actionibus hiſce ſtatues, quæ coram tribunali rationis defenduntur, & jus ceremoniarum definies quoad capita difficillima, quemadmodum ſuo loco fidem dabimus oculatam. Actionum ceremonialium, præſertim ſi accurato judicio fuerint definitæ, major eſt uſus, quam vulgo putatur. Quod vero eundem non faciant, qui debent, tum ipſorum, tum eorum potiſſimum culpa accidit, quorum eſt illarum ſignificatum docere alios, ac ſedulo inculcare.

Uſum

Digitized by Google

Uſum iſtum ut promoveamus, cum in præſenti principia quædam generalia ſuggerere lubet, tum ſuo loco ac tempore ſpecialia ſuperaddere nobis conſtitutum eſt. Ceterum cum tanta ſit actionum ceremonialium utilitas, ſingulas propoſitionis præſentis determinationes probe expendi ac, memoriæ pertinaciter inſigi velim.

§. 459.

Quomodo ceremonia actionis commiſſionem vel omiſſionem juvet.

Si actio aliqua externa vel ſenſibile quoddam aliud in memoriam revocat ideam aliquam, quæ in appetitum vel averſationem, cui actio quædam tunc committenda, vel omittenda reſpondet, influit; ceremonia juvat commiſſionem vel omiſſionem actionis, ſeu *in cauſa eſt, ut actionem hanc committas, vel omittas.* Etenim ſi idea, quam actio externa, vel ſenſibile quoddam aliud in memoriam tibi revocat, in appetitum vel averſationem influit, cui actio quædam tunc committenda, vel omittenda reſpondet; per ideam iſtam intelligitur, cur actionem committere velis, vel nolis, adeoque actio tua, vel ſenſibile aliud, hoc eſt, ceremonia (§. *442. 458.*), rationem continet, cur actionem iſtam committas, vel omittas (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum cauſa alterius ſit illud, in quo ratio actualitatis alterius continetur (§. *866. 881. Ontol.*); quin ceremonia in cauſa ſit, cur actionem committas, vel omittas, conſequenter actionis commiſſionem, vel omiſſionem juvet, dubitandum non eſt.

Videmus adeo, ceremonias non tantummodo huc facere, ne eorum, quæ agenda ſunt, obliviſcaris; verum etiam in ipſam actionum determinationem influere. Influxus hic manifeſtus eſt per demonſtrationem propoſitionis præſentis. Quod ceremoniæ hunc non habeant uſum, eorum culpa accidit, qui, cum facere poſſent, eum facere negligunt.

Digitized by Google

§. 460.

Ceremoniarum uſus in promovendis virtutis exercitio & fuga vitiorum.

Quodſi adeo *ceremoniæ influant in determinationem actionis committendæ, quæ legi naturæ conformis, & omittendæ, quæ eidem contraria:* cum virtutis ſit actiones ſuas legi naturali conformiter dirigere (§. *321. Part. I. Phil. pract. univ.*), vitii vero eas contraria ratione determinare, quam lege naturali præſcributur (§. *322. Part. I. Phil. pract. univ.*); *ceremoniæ juvant exercitium virtutis & fugam vitiorum* (§. *459.*).

Inſignis prorſus eſt hic ceremoniarum uſus & major, quam putatur. Sunt enim homines in ceremoniis obſervandis valde tenaces, quemadmodum conſtans omnium temporum & populorum experientia loquitur. Quamobrem vix ſecurius reperire licet medium, quo virtutis exercitium & vitiorum fuga facilitetur. Dubio procul hunc ceremoniarum uſum jam olim animadverterunt Sinæ, qui cum omnia ad vitam recte agendam & Rempublicam bene adminiſtrandam dirigerent, in multiplicandis ceremoniis omnem collocarunt operam, ac integrum ceremoniarum ſive Rituum volumen compoſuerunt, quod inter libros claſſicos majores relatum, ita ut nulla unquam fuerit gens, quæ ceremoniis magis delectata quam Sinæ. Operæ igitur pretium facerent Miſſionarii, ſi librum Rituum in ſermonem Latinum verterent, ut iidem accurato examini ſubjici poſſent a Philoſopho, qui methodo noſtra philoſophatur. Quemadmodum enim in Oratione de Sinarum philoſophia practica & Notis eidem adjectis abunde docui, ſublimia tam theoriæ, quam praxeos principia in libris claſſicis minoribus, quorum verſionem Latinam Pragæ editam R. P. *Franciſco Noël*, e Societate Jeſu, debemus; ita nullus dubito, quin etiam Ritibus ipſorum inſint principia generalia, quibus ſublimis ceremoniarum theoria principiis, quæ hic demonſtrantur, conſentiens contineatur. Equidem modo laudatus interpres librum Rituum, quem *Li Ki* appellant Sinæ, non tanti fecit, quem verteret, ſicuti nec ceteros priſcorum ſapientum libros claſſicos, qui vocantur, vertendos eſſe cenſuit, librum

ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet Annalium imperialium, librum Carminum, librum mutationum ac productionum, Ver denique & Autumnum; rationes tamen, quas in præfatione verſioni librorum a ſe datæ præfixit, adducit, non tantæ ſunt, ut me a ſententia mea abducere queant. Etſi enim acumini viri prorſus egregii nihil derogatum velim, quod vel ſolis obſervationibus mathematicis & phyſicis in India & China factis prodidit; non videtur tamen ob aliarum occupationum laborem, qui ad libros iſtos claſſicos, quorum in numero Liber Rituum eſt, vertendos nec tempus, nec otium conceſſit, quemadmodum in præfatione laudata fatetur, ad rationes rituum inquirendas animum appuliſſe. Sane ritus quidam, qui in libris ab ipſo Latinitate donatis allegantur, tales ſunt, quales præſens exigit propoſitio, & memini me dediſſe exemplum in ea, quam modo dixi, Oratione. Quodſi poſthac cuidam integrum fuerit ritus iſtos ad rationis trutinam appendere; quin eidem principia noſtra, quæ per univerſam Philoſophiam practicam demonſtraturi ſumus, ſint profutura, ut in iis diſcernendis acutiorem ſeſe præbeat, nullus dubito. Suppeditat Philoſophia practica ampliſſimum rerum profundarum meditandarum campum, in quibus viri acumine præſtantes non minus ingenii ſui vires exercere poſſunt, quam in mathematicis, non ſine certiſſimo generis humani emolumento, modo ſint principiorum ontologicorum & pſychologicorum probe gnari, & noſtra philoſophentur methodo: hiſce enim ſubſidiis deſtitutus nihil profeceris. Ceterum ſi vim ceremoniarum in animos hominum experiri volueris, non inutilem operam ſumes, ubi ceremonias promiſcue omnes gentium quarumvis vel maxime barbararum attentione tua digneris. Nec erit quod te offendat, ſi vel maxime deprehenderis, ceremoniarum & olim fuiſſe, & hodienum eſſe vim maximam in ſuperſtitioſis & abſurdis perſuadendis ac propagandis: ubi enim de vi earundum tantummodo quæſtio eſt, vitium, quod ipſis ex accidente inhæret, non attendendum venit, & per principia Philoſophiæ practicæ emendatur. Nec eſt quod te moveat exceptio, quam exempla ſuggerunt, quaſi homines ita ceremoniis inhærere ſoleant,

ut

Digitized by Google

ut actionibus externis contenti parum curent internas, vel ea prorſus negligant, quæ ratio agenda præſcribit. Id enim vel inde erit, quod ceremoniarum ſignificatum non doceantur, quemadmodum fieri debere demonſtravimus (§. 457.), aut non doceantur mature, quemadmodum ſuo conſtabit loco; vel quod ceremoniæ non influant in determinationem actionum legi naturæ convenientium, quemadmodum præcedens propoſitio cum præſente exigit.

§. 461.

Quando ceremoniæ ad virtutem trahant, a vitio retrahant agentem.

Quodſi ceremoniæ ipſæ conſiſtant in actionibus legi naturæ conformibus, ac in actionibus, quæ contrariæ ſunt legi naturæ repugnantibus; agentem ad virtutem trahunt, & a vitio retrahunt. Patet hoc eodem modo, quo propoſitio præcedens (§. 460.).

Tunc ſcilicet ceremoniæ duplicem habent uſum, tum quatenus actiones legi naturæ conformes reddunt familiares, & eidem repugnantes arcent, tum quatenus in determinationem aliarum eidem conformium influunt.

§. 462.

Ceremoniarum diviſio.

Ceremoniæ nudæ ſunt, quæ tantummodo ſigna ſunt eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debemus. Sunt autem *veſtitæ*, quæ in ipſam præterea actionum determinationem influunt.

Dividimus ceremonias in nudas & veſtitas eo fere ſenſu, quo JCti pacta in nuda & veſtita dividere ſolent, quemadmodum ſuo loco explicabitur. Diviſio convenit iis, quæ de ceremoniis hactenus demonſtrata fuerunt. Cumque interſit veſtitas a nudis diſtingui, quod non omnium idem eſt uſus; nemo exiſtimet terminos multiplicari præter neceſſitatem, dum in philoſophiam introducimus hactenus ignoratos. Quoniam ceremoniæ ſignorum quædam ſpecies ſunt (§. 442.), ſigna vero cum a Philoſophis, tum a Theologis diviſa fuere in ſignificativa & exhibitiva; ceremoniæ quoque nudæ appel-

Digitized by Google

pellari poterant ſignificativæ, veſtitæ autem exhibitivæ. Nobis tamen convenientius viſa fuit appellatio nudarum & veſtitarum.

§. 463.

Ceremoniæ veſtitæ nudis præferendæ. Etenim ceremoniæ veſtitæ in ipſam actionum determinationem influunt, nudæ autem tantummodo ſigna ſunt eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debemus (§. 462.), adeoque hæc tantummodo in memoriam revocant (§. 444.). Nemo igitur in dubium vocabit, ceremoniarum veſtitarum ampliorem eſſe uſum, quam nudarum (§. 646. *Part. I. Theol. nat.*). Lege naturali perfectiva obligamur ad id, quod eſt melius altero, eidem præferendum (§. 192 193. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ceremoniæ veſtitæ nudis præferendæ ſunt. *Quænam ceremoniæ ceteris præferendæ.*

Etiamſi quis obligationem illam naturalem ad id, quod altero melius eſt, eidem præferendum ignoraret; admittere tamen tenetur, ceremonias veſtitas nudis præferendas eſſe, quatenus illarum præ his prærogativam agnoſcere tenetur. Cum vero obligatio in neceſſitate morali agendi conſiſtat (§. 118. *Part. I. Phil. pract. univ.*), multo magis agnoſcitur, veſtitas præferendas eſſe nudis, quod non in tuo arbitrio poſitum ſit, quibusnam uti velis, ſed veſtitas eligere debeas, niſi a legis naturalis rigore recedere velis.

§. 464.

Ceremoniæ ſeſe habent ad actiones, quibus inſerviunt, per modum medii ad finem. Etenim ceremoniæ ſi nudæ fuerint, nobis tantummodo in memoriam quidpiam revocant, cujus memores eſſe debemus in agendo; ſi vero fuerint veſtitæ, præterea in determinationem actionis influunt (§. 462.). Quamobrem cum agere non poſſimus niſi me- *Quomodo ceremoniæ ſe habeant ad actiones, quibus ſerviunt.*

Digitized by Google

mores ſimus ejus, quod agendum, vel eorum, quæ quomodocunque in determinationem actionis influunt, & poſito determinante ponatur determinatum (§. *115. Ontol.*); non minus ex ceremoniis nudis, quam ex veſtitis intelligitur, cur agens nunc hoc actu agat, adeoque in utrisque continetur aliqua ratio, cur agens actu agat, ſeu cur hæc actio ad actum perducatur (§. *56. Ontol.*). Et quia agens utitur ceremonia propter actionem, id vero, propter quod cauſa efficiens agit, finis eſt (§. *932. Ontol.*); actio, cui ceremonia quocunque modo inſervit, reſpectu ejusdem ſeſe habet per modum finis, conſequenter in ceremonia continetur aliqua ratio, cur finis actum conſequatur (*per demonſtrata*). Quoniam igitur medium eſt, quod rationem continet, cur finis actum conſequatur (§. *937. Ontol.*); ceremonia ad actionem, cui inſervit, ſeſe habet per modum medii ad finem.

In ceremoniis nudis revocatio ejus, cujus in agendo meminiſſe debemus, ſpectari etiam poteſt per modum finis, qui per ceremoniam intenditur, & tunc ceremonia ſpectatur tanquam medium hunc finem conſequendi. Unde patet, quoties ceremonia quædam occurrit, primum eſſe, de quo cogitandum, ut inquiratur in finem, cujus gratia adhibetur. Cum enim ex fine judicetur de medio; ex eo etiam de ceremonia ſtatuendum.

§. 465.

Quando ceremonia nulla ſit.

Si ceremonia nullo fine adhibetur, nulla eſt. Etenim ceremoniæ tam nudæ, quam veſtitæ inſerviunt actioni cuidam agentis (§. 462.), & ad hanc ſeſe habent per modum medii ad finem (§. 464.). Quodſi ergo ceremonia aliqua nullo fine adhibetur, neutra definitionum eidem competit. Quamobrem cum definitum non competat niſi ei, cui

cui definitio competit (§. *349. Log.*); quæ nullo fine adhibetur, nulla eſt.

Quodſi homines omnes ex notionibus diſtinctis atque determinatis de rebus ſemper judicarent; nulla foret ceremonia, quæ nullo fine adhiberetur. Enimvero quoniam in notionibus confuſis atque vagis acquieſcunt, quod videtur cum eo, quod eſt, confundunt. Unde & contingit pro ceremonia haberi, quæ non eſt, & per loquendi inconſtantiam ceremoniam vocari, quæ nomen iſtud minime meretur, quemadmodum accidit, ut demonſtratio appelletur propoſitionis cujusdam probatio, quæ nullo modo nomen hoc tuetur. Haud infrequens eſt, ut ceremonia aliqua finis cujusdam gratia fuerit introducta, qui ſucceſſu temporis in oblivionem adducitur. Tunc quæ primum erat ceremonia, ſucceſſu temporis fit nulla. Contingit etiam ab inventore ceremoniam introduci aliquo fine, ſed quem ignorant, qui eadem utuntur, quia ſignificatus ceremoniæ non docetur (§. 457.), atque adeo ceremonia reſpectu utentium ſtatim nulla eſt. Immo nec impoſſibile, ut, qui in imitando cœcos ſeſe præbeant, nullo fine ceremonias excogitent, easdemque introducant (§. 208.). Vides adeo, non unam eſſe cauſam, cur dentur ceremoniæ, quæ nullæ ſunt, per propoſitionem præſentem facile diſcernendæ.

§. 466.

Ceremonia nullo fine adhibita num ſit abroganda.

Quoniam ratio nulla ſuadet, niſi extrinſeca, ut ceremonia aliqua abrogetur, quamdiu conveniens ſignificatus eidem imponi poteſt (§. 453.), ceremoniæ autem cuilibet pro arbitrio ſignificatus imponi poteſt, quem non habet (§. 452.); *ſi ceremoniæ, quæ nullo fine adhibetur, conveniens ſignificatus imponi poteſt, non ideo abroganda, quia nulla* (§. 465.).

Quamprimum ſcilicet ceremoniæ, quæ nullo fine adhibetur, imponitur ſignificatus conveniens, non amplius nulla eſt, ſed nomen ſuum tuetur (§. 442.). Sola igitur nullitas ratio ſufficiens non

 eſt,

eſt, cur abrogetur. Quoniam ceremoniæ ſigna artificialia ſunt (§. 451.), quorum adeo ſignificatus, ab arbitrio hominum unice dependet (§. 958. *Ontol.*); rariſſimus erit caſus, in quo ob ſolam nullitatem ceremonia abroganda venit. Non hic de eo quæſtio eſt, an nullitatis in abrogandis ceremoniis non habendi ſit ratio; ſed num ea ſola ſit abrogationis ratio ſufficiens.

§. 467.

Quando mediis uti illicitum.

Si finem intendere non licet, nec mediis uti licet ad finem conſequendum deſtinatis ejus conſequendi gratia. Etenim cum propter finem cauſa efficiens agat (§. 932. *Ontol.*); ſi eum intendere non licet, nec velle licet, ut fiat id vel non fiat, propter quod agendum (§. 616. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum mediis non utamur, niſi quatenus volumus, ut finis conſequatur actum (§. 937. *Ontol.*), conſequenter ut hoc vel illud fiat, quod intenditur, ſeu finis conſequendi gratia; ſi finem intendere non licet, nec mediis uti licet ad finem conſequendum deſtinatis hujus conſequendi gratia.

Finis conſequendi gratia utimur mediis. Quamobrem qui de fine non cogitat, nec cogitat de mediis. Quodſi ergo illicitum eſt intendere finem, illicitus quoque eſt omnis conatus, quem ad eum conſequendum adhibemus, conſequenter nemo non videt illicitum quoque eſſe, ut ejus conſequendi gratia utamur hiſce mediis. Qui finem intendere non debet, ei quoque abſtinendum a mediis, quibus eundem conſequi ſtudet. Finis nempe *intentio mediorum uſum reddit illicitum.* Media igitur illicita dici poſſunt, quatenus ſpectantur tanquam media, quæ finis illiciti conſequendi gratia adhibentur. Quamobrem etſi actio aliqua in ſe ſpectata nihil vitii alat, & alio fine licite fiat, immo fieri debeat; ubi tamen finis illiciti gratia committitur, vitium a fine intento contrahit. Hinc ſi diverſo fine duo idem agant, ſeu eodem utantur medio; actio unius licita, immo debita,

Digitized by Google

bita, alterius vero illicita eſſe poteſt, ſeu idem medium reſpectu unius agentis licitum erit, reſpectu alterius vero illicitum. Quodſi ergo de mediorum moralitate judicium ferendum, non ſufficit ea in ſe ſpectare, ſed reſpiciendus quoque eſt finis, cujus conſequendi gratia adhibentur. Nimirum media duplici modo conſiderari poſſunt, vel quatenus in ſe ſpectantur, vel quatenus ad finem referuntur, & hoc poſteriori demum reſpectu mediorum naturam induunt (*§. 937. Ontol.*). Ceterum conſtat veritatem propoſitionis præſentis vulgo agnoſci, ut ea vel inter notiones communes locum mereatur. Quæ igitur annotavimus, non tam animo veritatis illuſtrandæ, quam ſenſus declarandi gratia in medium adduximus, ne in ea applicanda facile aberremus.

§. 468.

Quoniam ceremoniæ ſeſe habent ad actiones, quibus inſerviunt, per modum medii ad finem (§. 464.), ſi vero finem intendere non licet, nec mediis uti licet, ad finem conſequendum deſtinatis ejus conſequendi gratia (§. 467.); *ſi actiones, quibus ceremoniæ inſerviunt, illicitæ ſunt, nec ceremoniis earum gratia uti licitum eſt,* conſequenter *ceremoniæ ſunt illicitæ, quatenus ſunt ceremoniæ huic actui deſtinatæ.* *Ceremoniæ quando illicitæ.*

Hinc ſi actus fuerit ſuperſtitioſus, cujus gratia ceremonia adhibetur, ipſa etiam ceremonia ſuperſtitioſa eſt, non quatenus in ſe conſideratur, ſed quatenus ſpectatur ut ceremonia iſtius actus. Eſt enim ceremonia actus ſuperſtitioſi gratia introducta, adeoque & ceremonia ipſa, quæ fovendæ ſuperſtitionis cauſa adhibetur, ſuperſtitioſa eſt.

§. 469.

Quia ceremoniæ illicitæ ſunt, quæ actui illicito inſerviunt, ſeu ejus gratia adhibentur (§. 468.); *ſi ceremoniæ* *Quando ceremonia libono*

cita in illicitam degeneret.

bono fine introductæ imponitur ſignificatus illicitus, ſeu actus illiciti gratia ea adhibetur (quod fieri poſſe ex antea demonſtratis (§. 452.) ſatis ſuperque conſtat), *ceremonia licita in illicitam degenerat.*

Hinc patet, quomodo fieri poſſit, ut ceremonia licita degeneret in illicitam. Accidit hoc ſi ceremoniæ bono fine introductæ ſignificatus oblivioni tradatur, ut non amplius conſtet, quo fine fuerit introducta, ſicque ejus ceſſet uſus; poſtea vero eidem imponitur ſignificatus illicitus, ut uſus, qui culpa eorum, qui ceremoniarum ſignificatum docere ac inculcare debebant (§. 457.), exolevit, vertatur in abuſum. Idem contingit, ſi qui in ceremoniis alios imitantur, earundem ſignificatum licitum in illicitum vertunt, alio fine ceremonias recipientes, quam quo ab aliis adhibentur.

§. 470.

Quando ceremonia illicita evadat licita.

Si ceremoniæ, quæ in actu per ſe minime illicito conſiſtit, ſed finis illiciti gratia introducta, imponatur ſignificatus licitus, ſeu ea ad actum licitum adhibetur, illicita non eſt. Etenim ſi ceremonia in actu per ſe minime illicito conſiſtit, ad eam, quatenus in ſe ſpectatur, omittendam non obligamur (§. 170. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque in ſe illicitum non eſt, actu iſto tanquam ceremonia uti. Quamvis vero ceremonia finis illiciti gratia introducta, cum tamen ejus ſignificatus pro arbitrio mutari poſſit (§. 452.), nil obſtat, quo minus eidem licitus imponatur ſignificatus. Quodſi ergo hoc fiat, ut ceremonia jam adhibeatur ad actum licitum, nulla amplius adeſt ratio, cur pro illicita haberi poſſit, ſed ea potius, ob quam illicita erat, prorſus ceſſat (§. 468.). Quoniam igitur ſine ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poteſt (§. 70. *Ontol.*), nec illicitum ponitur niſi poſita ratione, cur tale eſſe debeat (§. 118. *Ontol.*); ſi ceremoniæ, quæ in actu per ſe minime illicito conſiſtit,

Digitized by Google

ſiſtit, ſed finis illiciti gratia introducta, imponatur ſignificatus licitus, ut ad actum licitum adhibeatur, ea illicita non eſt.

Plurimum adeo falluntur, qui ſibi perſuadent, recte damnari ceremonias, ubi oſtendi poteſt, eas a Gentilibus eſſe deſumtas. Etenim ſi Gentiles alio fine ceremonias iſtas introduxerunt, alio autem easdem receperunt Chriſtiani, modo actus, in quibus conſiſtunt, per ſe illiciti non ſint, nihil eſt, quod in iis reprehendas: nec ratio iſta, quod Gentiles iisdem fuerint uſi, ſufficit, ut easdem damnes. Quoniam ſignificatus, qui actui cuidam tribuitur, ceremoniam facit (§. 442.), actus vero in ſe ſpectatus ceremonia non eſt; ne dici quidem poteſt, Chriſtianos uti ceremoniis, quibus uſi Gentiles. Actus communis eſt, non ceremonia, conſequenter cum is minime illicitus ſit (*per hypotheſin*); non quod illicitum, ſed quod licitum eſt, Chriſtiani cum Gentilibus commune habent. Niſi adeo judicium deproperare volueris, licitum ab illicito ſeparandum. Conſtat viros eruditos, qui in Antiquitatibus ſcrutandis multum ſtudii ac induſtriæ poſuerunt, in ea eſſe ſententia, quod Moſes ceremonias, quas Judæis præſcripſit, deſumſerit ab Ægyptiis. Enimvero non minus conſtat, quod ex inſpiratione divina alium prorſus iisdem impoſuerit ſignificatum, quem exponit Autor epiſtolæ ad Hebræos. Si vel maxime concedas prius, ob poſterius tamen lex ceremonialis Judæorum non minus divina dicenda eſt, quam ſi ſupponas, ceremonias eadem præſcriptas nihil prorſus cum ceremoniis Ægyptiorum commune habere, nec dici poteſt, Judæos uſos fuiſſe ceremoniis Ægyptiorum, ſed omnino affirmandum, eos uſos ceremoniis propriis, cum, quemadmodum oſtendimus, non actus, ſed eidem conveniens ſignificatus faciat ceremoniam, adeoque ſignificatus Judæis proprius actum cum Ægyptiis communem faciat ceremoniam Judæis propriam. Extra controverſiam eſt, quemadmodum oſtendit Anglus eruditus *Ligthfoot* in Horis Hebraicis & Talmudicis in Quatuor Evangeliſtas in C. III. 6. Matthæi p. m. 218 & ſeqq. Judæos baptizaſſe proſelytos

Digitized by Google

lytos ſuos. Id tamen minime obſiſtit, quo minus Chriſtus ipſe hunc ritum eſſe voluerit Chriſtianorum, immo ex eo fecerit ſacramentum novi fœderis. Docet idem in C. XXVI. 26. 27. Chriſtum ritum Judæis in comeſtione agni paſchalis ſolennem convertiſſe in ſacramentum euchariſtiæ. Ecquis vero dixerit, Chriſtianorum ſacramenta eſſe ceremonias Judæorum, easque nonniſi humanas, cum ritus, ex quibus ſacramenta fecit Chriſtus, non juſſu divino, ſed proprio arbitrio introducti fuerint a Judæis? Propoſitionem adeo præſentem ipſum Chriſti exemplum tuetur.

§. 471.

Mediis illicitis num uti liceat ad bonum finem conſequendum.

Media illicita non fiunt licita, ſi iis utaris ad conſequendum bonum ſive licitum finem. Etenim ſi media illicita ſunt, ad ea omittenda ſeu ad non utendum iis obligamur (§. 170. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter iisdem uti prohibitum eſt (§. 163. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi finis fuerit bonus, ſive licitus, ut ad eum conſequendum obligeris, aut ſaltem tibi jus proſequendi iſtum finem; fines intenti in priori caſu legi præceptivæ (§. 164. *Part. I. Phil. pract. univ.*), in poſteriori autem legi permiſſivæ conveniunt (§. 165. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi bonum ſeu licitum finem mediis illicitis conſequi vis, lex prohibitiva & præceptiva, vel prohibitiva & permiſſiva inter ſe colliduntur (§. 206. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi lex præceptiva & prohibitiva inter ſe colliduntur, prohibitiva vincit præceptivam (§. 210. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & ſi prohibitiva atque permiſſiva inter ſe colliduntur, permiſſiva cedit prohibitivæ (§. 211. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque mediis illicitis uti non licet ad conſequendum bonum ſive licitum finem (§. 207. 208. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec ea per hoc fiunt licita, quod ad eum conſequendum iis utaris.

Per-

Digitized by Google

Pervulgatum eſt, non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona, v. gr. furandum non eſt, ut eleemoſynas dare poſſis egeno. Qui enim hoc facit, mediis utitur illicitis ad bonum finem conſequendum. In caſibus particularibus veritatem aſſerti vulgo agnoſcunt omnes, ut inde manaverit regula de non faciendis malis, ut eveniant bona: id quod adeo manifeſtum videtur, ut nec DEO id licere exiſtimetur, ſed idem de eodem aſſerere nefas habeatur. Hoc tamen non obſtante videas plurimos uti mediis illicitis ad finem, quem bonum vel licitum exiſtimant, conſequendum. Probe adhuc memini, immo propria experientia edoctus novi, Theologos, qui pietate præſtare volebant aliis, ac ceteros ſui ordinis contemnebant, in ea fuiſſe ſententia, quidvis ſibi licere, modo conſequantur finem ipſorum judicio bonum, conſequenter cum de mediis incideret deliberatio, de eo tantummodo ſollicitos fuiſſe, num ſint ad finem conſequendum ſufficientia, de illorum autem moralitate nunquam cogitaſſe.

§. 472.

Ceremonia quando illicita.

Quoniam ceremoniæ ſe habent ad actus, quibus inſerviunt, per modum medii ad finem (§. *464.*); *Si ceremonia in actu illicito conſiſtat, quæ ad actum bonum adhibetur, illicita eſt* (§. *471.*).

Habemus hic alium caſum ceremoniarum illicitarum, diverſum ab illo, cujus antea fecimus mentionem (§. 468.). Nimirum ſi illicita eſt ceremonia, id vel inde eſt, quod ad actum illicitum adhibetur, qui eſt caſus ſuperior (*§. cit.*), vel quod ipſamet in actu illicito conſiſtat, qui eſt caſus præſentis. Unde in præſenti ſuperſtitioſa erit ceremonia, quæ in actu ſuperſtitioſo conſiſtit.

§. 473.

Quænam ceremoniæ recipi non poſſint.

Quoniam adeo *ceremoniæ, quæ in actu illicito conſiſtunt,* illicitæ manent, etiamſi ad bonum finem adhibeantur (§. *472.*); eædem *recipi minime poſſunt, qualiscunque tandem ipſis imponatur ſignificatus.*

 Atque

Digitized by Google

Atque adeo patet, ei, qui ceremonias a Gentilibus acceptas damnare voluerit, demonſtrandum eſſe, quod in actu illicito conſiſtant, ſi nempe actus iſte, qui ceremoniæ loco adhibetur, non ut ceremonia conſideretur, ſed in ſe ſpectetur, neglecto ſignificatu, quem habet, & qui ceremoniam facit (§. 442.). Hoc enim niſi feceris, nihil efficies, quemadmodum abunde docuimus (*not. §. 470.*). Immolabant Gentes Judæis vicinæ infantes ſuos Molocho, & hunc ritum ſubinde imitabantur Judæi idololatræ. Etiamſi autem vero DEO eosdem immolaſſent, eo animo, ut ſignificarent nihil ſibi eſſe adeo charum, quin DEI gratia eo carere mallent eum ſuper omnia amantes, non tamen ritus iſte fuiſſet licitus, propterea quod actus ipſe juri naturali adverſus, adeoque illicitus.

§. 471.

Quando ceremoniæ placeant.

Si actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, cujus gratia adhibetur; ceremonia placet. Cum enim ingenium in facilitate obſervandi ſimilitudines rerum conſiſtat, & ingenio ſeſe pollere probet, qui rerum ſimilitudines facile obſervat (§. *476. Pſych. empir.*); ſi actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, cujus gratia adhibetur, ceremonia loquitur ingenium inventoris. Quoniam itaque, quod alibi demonſtrandum, hic vero tanquam conceſſum ſumi poteſt, ingenium animæ quædam perfectio eſt; ubi ad hanc ſimilitudinem animum advertis, perfectionis cujusdam inventoris ceremoniæ tibi conſcius es, conſequenter ex ceremonia voluptatem percipis (§. *511. Pſych. empir.*), eamque veram (§. *514. Pſych. empir.*). Placet vero id, ex quo voluptatem percipimus (§. *542 Pſych. empir.*). Ceremonia igitur placet, quæ conſiſtit in actu ſimilitudinis quidpiam habente cum actu altero, cujus gratia adhibetur.

Cere-

Digitized by Google

Ceremoniæ in hypotheſi propoſitionis præſentis ſunt ingenioſæ. Ingenioſa placere, quotidie experimur. Quidni igitur & ceremoniæ placere debent, ubi fuerint ingenioſæ? Si alia quædam cauſa impedit, quo minus placeat, quod placere poterat, immo debebat; ejus in præſenti non habetur ratio. Neque enim jam inquirimus in impedimenta, quæ obſtant, quo minus ceremoniæ ingenioſæ placeant. Notandum præterea, dum aſſerimus, ceremonias placere, non negari, quod alia etiam de cauſa placere poſſint ceremoniæ, quæ ingenioſæ non ſunt. Et quoniam aliæ cauſæ dari poſſunt, propoſitionem præſentem convertere non licet, inferendo ex eo, quod ceremonia placeat, eam eſſe ingenioſam.

§. 475.

Quoniam quod placet, pulchrum eſt (§. 543. *Pſych. empir.*), ceremoniæ autem placent, ſi actus, in quibus conſiſtunt, aliquid ſimilitudinis habent cum actibus, quorum gratia adhibentur (§. 474.); *Si actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur, pulchra eſt.* *Quænam ceremoniæ ſint pulchræ.*

Ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet, veram eſſe voluptatem, quæ ex ceremonia ingenioſa percipitur. Unde patet, non eſſe tribuendum præjudicio, quod placeat (§. 542. *Pſych. empir.*), conſequenter ceremoniæ ingenioſæ pulchritudinem eſſe veram. Quoniam vero intereſt, ut pulchritudo vera ab apparente diſtinguatur, non inconſultum eſſe duximus, ut ſequens hic demonſtretur propoſitio.

§. 476.

Si in rationem inquiris, cur quid placeat, eamque eſſe deprehendis vel veram ejus perfectionem, vel quod ſignum naturale ſit perfectionis veræ ejus, a quo profectum eſt; pulchritudo vera eſt. Etenim in utroque caſu pulchritudo oritur ex vera perfectione (§. 544. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum *Quomodo vera pulchritudo ab apparente diſtinguatur.*

Digitized by Google

vera ſit pulchritudo; quæ ex perfectione vera oritur (§. 546. *Pſych. empir.*); quod placet ob veram ſui perfectionem, vel quod ſignum naturale ſit perfectionis veræ ejus, a quo profectum eſt, ejus pulchritudo vera eſt.

Patet adeo, quomodo pulchritudo vera ab apparente ſemper certo diſtingui poſſit, ut fallat pervulgatum iſtud: Suum cuique pulchrum, atque adeo perperam ad ipſum provocetur, ubi probare volueris (quod certo probari nequit, utpote a veritate alienum), pulchritudinem nullo niti fundamento, quia indies experimur, quod uni pulchrum videtur, non videri aliis. Demonſtrandum vero eſt, quod tibi placet, adeoque pulchrum habetur, placere ob veram perfectionem ſui, vel quia ſignum naturale eſt perfectionis ejus, a quo profectum, veluti inventoris, qui rem, quæ placet, invenit, vel artificis, qui opus fecit. Niſi enim hoc demonſtrare volueris, nec certus eſſe potes pulchritudinem ex vera perfectione oriri (*§. 568. Log.*): id quod neceſſe eſt, ſi vera eſſe debet pulchritudo (*§. 546. Pſych. empir.*). Quamvis vero oſtenderimus, pulchritudinem conſiſtere in perfectione rei, quatenus ea vi illius ad voluptatem in nobis producendam apta (*§. 544. Pſych. empir.*); non tamen hinc inferre licet ob id rem dici minus recte pulchram, quod ſit ſignum naturale ejus, a quo profecta eſt: etenim res quoque perfecta eſt, quatenus eſt ſignum naturale perfectionis ejus, a quo profecta, quemadmodum ex ipſa notione perfectionis haud difficulter colligitur (*§. 503. Ontol.*).

§. 477.

Quanam ceremonia facilius retineantur, & quarumnam uſus ſit facilior.

Si actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur, ſignificatus ejus facilius retinetur, & id, quod ſignificare debet, in memoriam facilius revocatur. Etenim ſi actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur, cum eodem aliquid commune habet, ſeu utrique actui quædam inſunt,

inſunt, quæ eadem ſunt (§. *195. Ontol.*). Quamobrem cum ad ceremoniam animum advertimus, ideam aliquam appercipimus, cujus ope altera, quæ ſignificatui reſpondet, reproducitur (§. *109. Pſych. empir.*). Quoniam igitur id, quod ceremoniæ & actui ſignificato commune eſt, hunc nobis in memoriam revocat (§. *228. Pſych. empir.*); ceremonia in memoriam facilius revocatur, quod eadem ſignificatur, ſi actus, in quo conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur. *Quod erat unum.*

Quodſi actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur, per illum intelligitur, cur huic ſignificando fuerit deſtinatus, adeoque ratio aliqua ſignificatus in eadem continetur (§. *56. Ontol.*). Quoniam igitur per eam ſignificatum facilius recognoſcimus (§. *173. Pſych. empir.*), iſta vero ſimilitudo etiam facit, ut ſignificatus facilius in memoriam revocetur, ſeu idea eidem reſpondens reproducatur (§. *228. Pſych. empir. et per demonſtrata*); memoria autem retinetur id, cujus ideam reproducendi & reproductam recognoſcendi facilitatem conſervamus (§. *180. Pſych. empir.*): ſi ceremonia conſiſtit in actu, qui aliquid ſimilitudinis cum eo, ad quem adhibetur, habet, ſignificatus ejus facilius retinetur. *Quod erat alterum.*

Nemo non in ſeipſo experitur, ſignorum ſignificatum facilius retineri, eundemque facilius in memoriam revocari, ubi in ſigno continetur aliqua ſignificatus ratio. Loquitur hoc experientia illorum, qui linguis addiſcendis operam navant, & in vocabulorum rationes etymologicas inquirunt. Conſentit experientia eorum, qui in Algebra, præſertim ubi calculis prolixis & perplexis opus eſt, literis initialibus nominum res deſignant, quas denotare debent. Nimirum ipſi ſigno ineſt aliquid, quod nos ſignificatus reddit memores, & rem ſignificatam præſentem ſiſtit,

 atque

atque adeo adeſt ratio, cur & ſignificatus facilius retineatur, & de eodem cogitantibus facilius in memoriam revocetur. Quodſi in actus ſingulos inquirere velimus, qui & ad ſignificatum ceremoniarum addiſcendum, & ad iisdem rite utendum neceſſarii ſunt, ac probe perpendamus, quomodo per naturam animæ ſtatus præteriti in præſentem influant; veritas propoſitionis præſentis adhuc clarius eluceſcet. Docet autem propoſitio præſens, quomodo ceremoniarum uſus reddatur facilior, & cum eædem ceremoniæ propter pulchritudinem ſuam (§. 475.) etiam placeant (§. 543. *Pſych. empir.*), ipſis intelligentibus, quia ex demonſtratione pulchritudinis earundem liquet (§. 476.), eam eſſe veram, ſimul manifeſtum eſt, quænam ceremoniæ ſeſe commendent utentibus, ut earum uſus ſit expeditior, dum non modo obſtacula removentur alias facile obvia, verum etiam earundem amor (§. 654. *Pſych. empir.*) uſum promoveat. Noſtrum jam non eſt de hiſce omnibus dicere diſertius, quibus propoſitum non eſt theoriam generalem completam ceremoniarum condere, ſed ſufficit principia inculcaſſe, quæ ad eam condendam proſunt. Proderunt autem ei, qui, cum in Ontologia & Pſychologia fuerit ſatis verſatus, & methodum in poteſtate ſua habeat, in ceremoniis paſſim obviis iisque promiſcue omnibus examinandis multum ſtudii poſuit.

§. 478.

Cur ceremoniæ pulchræ aliis præferendæ.

Ceremoniæ pulchræ ſunt aliis præferendæ. Pulchræ enim ſunt ceremoniæ, ſi actus, in quibus conſiſtunt, aliquid ſimilitudinis habent cum actu, ad quem adhibentur (§. *475.*). Enimvero ſi actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur, ſignificatus ejus facilius retinetur, & id, quod ſignificari debet, facilius in memoriam revocatur (§ *477.*), conſequenter ceremonia medium eſt, quo finem certius conſequi datur (§. *464. 442.*). Quoniam fine quæſito potiturus eligere debet media via breviſſima ad finem ducentia (§. *92.*), adeo-

Digitized by Google

adeoque certiora præferre iis, quæ minus certa ſunt; ceremoniæ pulchræ aliis utique præferendæ.

Vidimus in ſuperioribus ceremonias veſtitas eſſe præferendas nudis (§. 463.). Atque adeo patet, non unam eſſe rationem, cur ceremonia aliqua aliis præferatur. Fieri autem poteſt, ut plures rationes concurrant, tuncque ceremoniam aliquam multo magis præferendam eſſe aliis nemo non videt. Oriuntur enim ex diverſo fonte, ita ut unaquæque vi ſibi propria prælationem urgeat, & vis unita urgeat fortius.

§. 479.

Quando ceremoniæ veſtitæ nudis magis præferendæ.

Quoniam ceremoniæ veſtitæ nudis præferendæ (§. *463.*), præferendæ vero etiam ſunt aliis propter pulchritudinem (§ *478.*); *ſi ceremoniæ veſtitæ fuerint pulchræ, tanto magis ceteris ſunt præferendæ.*

Diſcimus hinc in ceremoniis inſtituendis dandam eſſe operam, ut eædem ſint veſtitæ, & ut pulchritudine ſua ſeſe commendent. Qui vero ex antea demonſtratis diſtinctam ceremoniarum veſtitarum & pulchrarum notionem hauſit; is abunde intelliget, quam ſit difficile inſtituere ceremonias, in quibus nulla ex parte quicquam deſideraveris. Non tamen negandum eſt, homines haud raro caſu in ea incidere, quæ a priori detegere non licuerat, etſi, ubi inventa fuerint, rationi per omnia ſeſe conformia probent. Neque id ſilentio prætereundum, quod haud raro ceremoniæ non uno defectu laborantes, immo prorſus abſurdæ, juvent inventionem ceremoniarum exquiſitarum, tum quatenus emendantur, tum quatenus anſam ſuppeditant de iis cogitandi, quæ alias mentem inſtituentis minime ſubirent. Quoniam hoc promiſcue verum eſt in omni veritatum inveniendarum genere; de eo diſertius dicendum in Arte inveniendi, cujus etiam eſt docere, quomodo caſus juvet inventionem.

§. 480.

Ceremoniæ in

Si ceremonia conſiſtit in actu indecoro, rejicienda. Etenim

Digitized by Google

actu indecoro conſiſtentes rejiciendæ. enim lex naturæ non facienda præſcribit, quæ indecora ſunt (§. 205. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi ceremonia in actu indecoro conſiſtit, lege naturali non permiſſum, ut eadem utamur. Rejicienda igitur eſt.

Exemplum ceremoniæ in actu indecoro conſiſtentis occurrit in copulatione conjugum apud Hottentottos, gentem maxime barbaram. Qui enim huic actui præeſt, manu apprehenſo & erecto pene tribus repetitis vicibus tum ſponſum in præſentia marium, tum ſponſam in præſentia fœminarum urinam emittit, quæ per pectus in ventrem largiter defluit, & non minus a ſponſa, quam ſponſo ſollicite cavetur, ne in humum deſtillet. Ceremoniam hanc nemo ſanus laudaverit. Etſi autem non omnes actus, in quibus ceremoniæ iſtiusmodi conſiſtunt, ſint æque indecori; non minus tamen rejiciendas eſſe ceremonias, quæ vel tantillum ab indecoro trahunt, nemo diffitebitur, qui notionem decori & indecori diſtinctam habet.

§. 481.

Ceremoniæ indecoræ fons unus. *Si ceremonia in actu indecoro conſiſtit, indecora eſt.* Etenim ſi ceremonia in actu indecoro conſiſtit, qui eadem utitur, actum indecorum committit. Quoniam itaque indecorum ceremoniæ ita inhæret, ut ab ea ſeparari minime poſſit; quin ea pro indecora habenda ſit dubitandum non eſt.

Mingere in conſpectu aliorum, præſertim fœminarum indecorum eſt, immo prorſus obſcœnum. Quamvis vero hunc actum adhibeas ad ſignificandum alium, etiam bonum; non tamen ideo deſinit eſſe indecorus. Quamobrem nemo erit, qui Hottentottorum ceremoniam modo commemoratam (*not. §. 480.*) non dixerit indecoram, immo prorſus obſcœnam.

§. 482.

Ceremoniæ indecoræ fons alter. *Si ceremonia actum indecorum ſignificat, indecora eſt.* Etenim ſi actum indecorum ſignificat, ceremoniæ inhæret aliquid indecori, quatenus ipſe ſignificatus indecorus

Digitized by Google

rus eſt. Quamobrem cum ſignificatus faciat ceremoniam (§ 442.); actus quoque, qui in ſe ſpectatus indecorus non eſt, in indecorum abit. Patet adeo indecoram eſſe ceremoniam, ſi actus indecori gratia adhibetur, ſeu indecorum ſignificat.

Ceremoniæ ſe habent ad actiones, quibus inſerviunt, per modum medii ad finem (§. 464.) Quemadmodum itaque mala fiunt media, ſi adhibentur ad finem malum conſequendum; ita etiam ceremoniæ fiunt indecoræ, ſi actus indecori gratia introducantur. Sane in hoc caſu ceremoniæ indecoræ ſunt, quatenus ut tales ſpectantur. Ceterum jam patet, gemina de cauſa indecoras eſſe ceremonias, vel quia in actu indecoro conſiſtunt (§. 481.), vel quia actum indecorum ſignificant (*vi prop. præſ.*). Neque inſolitum eſt, ut ſigna habeantur indecora vel obſcœna ob eorum ſignificatum. In ſignorum artificialium numero ſunt vocabula (*§. 272. Pſych. empir.*), perinde ac ceremoniæ (§ 451.). Ecquis vero eſt, qui neſciat, vocabula dici obſcœna ob eorum ſignificatum, & pro indecoro haberi eorundem uſum? Præſens adeo propoſitio a notionibus communibus minime abhorret.

§. 483.

Quando ceremonia ſit apta, quando inepta.

Ceremonia apta dicitur, ſi ex ipſo negotio, in quo adhibetur, reddi poſſit ratio, cur hac potius re, vel hoc actu ad aliquid ſignificandum utamur, quam alia re, vel actu alio. *Inepta* vero appellatur, ſi ex ipſo negotio, in quo adhibetur, nulla apparet ratio, cur hæc res, vel hic actus ad aliquid ſignificandum adhibetur.

Ita apta dicitur ceremonia (ſermone vernaculo eine geſchickte Ceremonie), quæ conſiſtit in exhibitione libri aperti & clauſi in promotione doctorali (*not. §. 442.*). Doctoribus enim cum libris eſt negotium. Inepta vero foret ceremonia, ſi promotor Doctori recens creato alapam infligeret ſignificaturus,

Digitized by Google

Doctore indignum eſſe, ut ab aliorum autoritate totus pendeat, cum nulla ex præſenti negotio appareat ratio, cur hoc modo idem ſignificare malueris, quam quocunque alio. Etſi adeo ceremoniæ ſigna artificialia ſint (§. 451.), adeoque pro arbitrio ipſis imponi poſſit ſignificatus (§. 958. *Ontol.*); non tamen probatur, ut rebus vel actibus quibuscunque utaris. Cum enim nihil eſſe debeat absque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*); arbitrium quoque noſtrum ratione deſtitui minime debet. Quemadmodum vero in iis, quæ neceſſaria ſunt, rationes in ipſis rerum notionibus continentur; ita quoque in arbitrariis ex ipſis rerum notionibus petendæ ſunt rationes convenientiæ. Hæc ipſa convenientiæ ratio rem quandam vel actum quendam ad aliud quid ſignificandum aptum reddit, & hæc ſignificandi aptitudo, cum ſignificatus faciat ceremoniam (§. 442.), aptam reddit ceremoniam, tanquam aliquid intrinſecum eidem inhærens. Ex adverſo autem defectus rationis iſtiusmodi rem vel actum ineptum reddit ad id ſignificandum, quod ſignificare debet, ac ideo ceremoniam ineptam efficit. Germanico idiomate dicere ſolemus, eine ungeſchickte Ceremonie. Aptitudo vero & ineptitudo admittunt gradus ex ipſo negotio, cui adhibentur, facile dignoſcendos. Et inde eſt, quod ceremonia una aptior & ineptior cenſeatur altera.

§. 484.

Ceremoniæ aptæ eſſe debent.

Ceremoniæ debent eſſe aptæ. Sunt enim ceremoniæ ſigna artificialia (§. 451.), quibus adeo pro arbitrio imponitur ſignificatus (§. 958. *Ontol.*). Quamobrem cum nihil eſſe debeat ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*); ratio quoque aliqua intrinſeca adeſſe debet, cur huic potius rei vel actui ſignificatum imponere velis, quam alteri. Ex ipſo igitur negotio, in quo ceremonia adhibetur, reddenda erit electionis ratio (§. 1004. *Log.*). Enimvero ſi ex ipſo negotio, in quo ceremonia adhi-

Digitized by Google

adhibetur, reddi poteſt ratio, cur hanc potius rem, quam aliam, vel hunc potius actum, quam alium ad id ſignificandum adhibere malueris, quod in dato negotio ſignificare debet, ceremonia apta eſt (§. *483.*). Patet adeo aptas eſſe debere ceremonias.

Non confundenda ſunt, quæ a ſe invicem probe diſtinguenda tanquam diverſa, ſcilicet num ratio aliqua ſit, cur hæc res vel hic actus ceremoniæ locum tueri poſſit in præſenti negotio, & num adſit aliqua ratio, cur hæc res, vel hic actus hunc admittat ſignificatum. Illa enim ex notione negotii, hæc ex ipſa notione rei vel actus, cui ſignificatus imponitur, deſumenda. Ita in exemplo, ad quod modo (*not.* §. *483.*) provocavimus, ratio reddi poteſt ex negotio, cujus gratia ceremonia adhibetur, cur libro aperto uti velis ad ſignificandum, Doctorem ſibi ſoli ſapere non debere, clauſo autem, eundem totum ab autoritate aliorum pendere minime debere, quia librorum uſus eſt Doctori in expediendis negotiis ſuis, & ut rectum faciat uſum neceſſe eſt. Alia vero quæſtio eſt, num ex ipſo actu exhibendi librum apertum atque clauſum ratio dari poſſit, cur hic ſignificatus eidem fuerit impoſitus. Aliud enim eſt, non ſine ratione intrinſeca eligere aliquid, quod ceremoniæ loco ſit in dato negotio; aliud vero eſt, non ſine ratione hunc præciſe imponere ſignificatum.

§. 485.

Ceremonia conveniens & inconveniens quænam dicatur.

Si in notione rei vel actus, qui ad ſignificandum aliud quid in dato negotio adhibetur, continetur ratio, cur id ſignificet; *Ceremonia* dicitur *conveniens*. Quodſi vero in re iſta vel actu iſto continetur quidpiam, quod contrariatur ſignificatui, ſeu ratio ſignificatus contrarii, *ceremonia inconveniens* appellatur.

Denominatio hic eadem, quæ obtinet, quando ſignificatum vocabulorum dicimus convenientem, vel inconvenientem. Etenim ſi datur ſignificatus etymologica ratio, ſignificatus dicitur

Digitized by Google

tur conveniens, & nomen dicimus convenire rei ſuæ. Quodſi vero ſignificatui repugnat ratio etymologica, vocabulum dicitur inconveniens.

§. 486.

Quænam ceremoniæ ſint convenientes.

Si actus, in quo ceremonia conſiſtit, aliquid ſimilitudinis habet, cum actu, ad quem adhibetur; ceremonia conveniens eſt. Etenim cum ceremonia conſiſtat in actu, qui aliquid ſimilitudinis habet cum altero, ad quem adhibetur, per hanc ipſam ſimilitudinem intelligitur, cur ad alterum ſignificandum adhibeatur (§. *195. Ontol.*), adeoque in eodem continetur aliqua ſignificatus ratio (§. *56. Ontol.*). Enimvero ſi in actu, qui ad ſignificandum aliud in dato negotio adhibetur, continetur ratio aliqua, cur id ſignificet, ceremonia conveniens eſt (§. *485.*). Conveniens adeo eſt ceremonia, quæ conſiſtit in actu, qui aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem adhibetur.

Quoniam ſimilitudo nunc major, nunc minor eſſe poteſt; nemo non videt, ceremoniam pro diverſitate ſimilitudinis nunc magis, nunc minus convenientem eſſe.

§. 487.

Quando conveniens ſit ſimul apta.

Si ceremonia conſiſtit in actu, qui aliquid ſimilitudinis habet cum altero, quem ſignificare debet, conveniens ſimul & apta eſt. Quoniam enim aliquid ſimilitudinis habet cum actu, ad quem ſignificandum adhibetur, ex hac ipſa ſimilitudine intelligitur, cur ad hoc ſignificandum adhibeatur (§. *195. Ontol.*), adeoque ex ipſo negotio reddi poteſt ratio, cur ipſe actus ad hunc ſignificandum adhibeatur (§. *56. Ontol.*). Enimvero ſi ex ipſo negotio, ad quod ceremonia adhibetur, reddi poteſt ratio, cur actus iſte ceremoniæ loco adhibeatur, ceremonia apta eſt (§. *483.*). Apta igitur eſt ceremonia, quæ conſiſtit in actu, qui aliquid ſimilitudinis

nis habet cum altero, quem ſignificare debet. Quamobrem cum eadem ſit conveniens (§. *486.*); patet in hypotheſi propoſitionis præſentis ceremoniam convenientem eſſe etiam aptam.

Hinc facile fieri poteſt, ut ceremonia conveniens cum apta confundatur, quaſi aptitudo & convenientia ceremoniæ unum idemque ſit; præſertim cum in vocabulis, quæ perinde ac ceremonias ſolus ſignificatus facit, aptitudo & convenientia non diſtinguantur vulgo, ita ut ob rationem etymologicam, quæ convenientiam facit, dicantur etiam ad ſignificandum apta, quod ſignificant. Quoniam vocabula perinde ac ceremoniæ ſigna artificialia ſunt, eatenus cum ceremoniis conveniunt, quatenus ſub communi quodam genere continentur, adeoque prædicata quædam generalia communia habent. Unde vocabula ſubinde ceremoniis illuſtrandis inſerviunt. Cautione tamen hic opus eſt. Vocabula enim plerumque derivativa ſunt, cum ceremoniæ ſint ſigna primitiva. Atque adeo convenientia tantum non ſemper vocabulis competit, quatenus ſunt derivativa. Dico tantum non ſemper, neque enim per ſe repugnat, ut iisdem, quatenus voce articulata efferuntur, inſit ſignificatus quædam ratio. Ita popularibus meis Sileſiis anas olim dicebatur eine Watſche, quod vocabulum plebi adhuc uſitatum, cum puer eſſem, ore prolatum vocem, quam edit anas, ſono ſuo fere exprimit. In ceremoniis ex adverſo convenientia ſignificatus ſpectatur, quatenus primitiva ſunt ſigna, atque in eo caſu aliquid cum ſignis naturalibus participant, quemadmodum accidit vocabulis primitivis convenientibus, teſte exemplo in medium jam allato.

§. 488.

Si in ceremoniis nihil deſiderari debet, quoad ſignificatum earundem determinandum, & aptæ, & convenientes eſſe debent, ſeu aptæ & convenientes ſimul. Etenim cum nihil eſſe debeat ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit; *Cur convenientia & aptitudo ceremoniarum requiratur.*

ſit (§. *70. Ontol.*); ſi in determinando ſignificatu ceremoniarum nihil deſiderari debet, & dari debet aliqua ratio, cur hæc præciſe res, non alia, hic præciſe actus, non alius ad ſignificandum alium adhibeatur in dato negotio, & ratio adeſſe debet, cur hic eidem ſignificatus imponatur, ita enim quicquid in conſtituenda ceremonia determinationem arbitrariam admittit, non fit absque ratione, qualis in iis ſufficit, quæ arbitrio noſtro reguntur. Quoniam per rationem intelligitur, cur hoc potius fiat, quam aliud (§. *56. Ontol.*); ratio prior petenda eſt utique ex ipſo negotio, cui ceremonia deſtinatur, poſterior vero ex notione rei, quæ ceremoniæ inſervit. Enimvero ſi ex negotio, in quo ceremonia adhibetur, reddi poteſt ratio, cur hac potius re, vel hoc potius actu utaris, apta eſt (§. *483.*), &, ſi in notione rei vel actus continetur ratio ſignificatus, ceremonia conveniens eſt (§. *485.*). Patet itaque, ſi in determinando ſignificatu nihil deſiderari debet, eas & aptas, & convenientes eſſe debere.

Patet ex anterioribus, in ceremoniis non tantum ſufficere, ut ſignificatus rite determinetur; ſed præterea adhuc alia attendenda eſſe. Quamobrem præſens propoſitio tantummodo inculcat, quænam requirantur, ut in ſignificatus determinatione nihil deſiderari poſſit; minime autem hæc ſufficiunt, ne quid ulla ex parte in ceremonia deſideretur.

§. 489.

Uſus ceremoniarum nudarum.

Ceremoniarum nudarum uſus eſt, ut vel in memoriam nobis id revocent, cujus in præſenti meminiſſe debemus, vel memoriæ imprimant, cujus poſthac meminiſſe debemus. Etenim ceremoniæ nudæ ſunt tantummodo ſigna eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus (§. *462.*). Quoniam itaque ex iis colligitur id, quod vel in præſenti, vel

Digitized by Google

vel poſthac animo noſtro obverſari debet (§. *951. Ontol.*); actus animæ, quo nobis hoc ipſum repræſentamus, cujus ut conſcii ſimus intereſt, rationem cur ponatur in ceremonia habet (§. *50. Ontol.*), adeoque ejus actualitas a ceremonia dependet (§. *851. Ontol.*). Quoniam itaque uſus rei conſiſtit in dependentia actualitatis rei cujusdam alterius, quæ mala non eſt, ab eadem (§. *646. Part. I. Theol. nat.*); ceremoniarum nudarum uſus utique hic eſt, ut nobis vel quidpiam in memoriam revocent, cujus in præſenti meminiſſe debemus, vel eidem imprimant aliquid, cujus poſthac meminiſſe debemus.

Quoniam ceremoniæ pleræque nudæ ſunt, ideo quoque ceremoniarum plerarumque præter hunc non alius expectandus eſt uſus. Atque hinc intelligitur, quinam ceremoniis utantur, quinam vero nullum earum faciant uſum. Uſus autem probe conſiderandus, tum in ceremoniis conſtituendis, tum in iis, quæ receptæ ſunt, dijudicandis. Pendet hinc ſolutio quæſtionum bene multarum, ſi in ſubſidium voces ea, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt.

§. 490.

Ceremoniarum veſtitarum uſus.

Ceremoniæ veſtitæ eundem habent uſum, quem nudæ, ſed præterea etiam hunc, ut exercitium virtutis & fugam vitiorum juvent, vel etiam agentem ad virtutem trahant, a vitio retrahant. Etenim ceremoniæ veſtitæ non minus ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debemus, quam nudæ (§. *462*), conſequenter quod ex definitione ceremoniarum nudarum colligitur, adeoque vi definitionis ipſis competit, idem etiam ceremoniis veſtitis competere debet. Quamobrem cum uſus ceremoniarum nudarum ex definitione earundem colligatur, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet;

liquet; quin ceremoniarum veſtitarum idem quoque ſit uſus, qui nudarum eſt, dubitari nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero ceremoniæ veſtitæ præterea influunt in ipſam actionum determinationem (§. *462.*). Quamobrem cum ceremonia exercitium virtutis & fugam vitiorum juvet, ſi influat in determinationem actionis committendæ, quæ legi naturæ conformis, & omittendæ, quæ eidem contraria (§. *460.*), agentem vero ad virtutem trahat, a vitio retrahat, ſi conſiſtat in actu legi naturæ conformi, aut in actu, qui contrarius eſt legi naturæ repugnantibus (§. *461.*); a ceremoniis veſtitis actualitas exercitii virtutis & fugæ vitiorum dependet (§. *56. 851. Ontol.*). Quamobrem cum in hac dependentia uſus conſiſtat (§. *646. Part. I. Theol. nat.*); ceremoniæ veſtitæ præter eum, qui ipſis cum nudis communis eſt, hunc etiam habent uſum, ut exercitium virtutis & fugam vitiorum juvent, vel etiam agentem ad virtutem trahant, a vitio retrahant. *Quod erat alterum.*

Etſi adeo ceremoniarum veſtitarum multo præclarior ſit uſus, quam nudarum, ob quem eas nudis præferendas eſſe oſtendimus (§. 463.); cavendum tamen eſt, ne propterea ceremoniæ nudæ prorſus damnentur, cum uſus nudarum nudas non minus commendet, immo haud raro apprime neceſſarius ſit (§. 489.), denturque caſus, in quibus uſus nudarum ſufficit, immo in genere præſtet aliquem experiri uſum, quam carere omni. Qui aliter judicant, judicium præcipitant: in quod haud raro latens influit ambitio, quod judicans ſibi placeat acumine ſuo, quo alis ſe præſtare agnoſcit, dum ex eo voluptatem percipit (§. *511. 54. Pſych. empir.*). Appetitus ſenſitivus influit in judicia, virorum etiam ſummorum, ut eadem præcipitent, ubi a præcipitantia procul remoti ſibi videntur, tum quod eo acumine deſtituuntur, quod ſeveriori ſtudio pſychologico debetur, hactenus aut prorſus neglecto, aut nimis ſuperficiarie pertractato, tum quod de

Digitized by Google

ſyſtematis veritatum animo comprehendendis, adeoque de theoriis (*§. 467. Pſych. rat.*), iisdemque completis (*not. §. cit.*), minime cogitarunt, non perpendentes, ſi deficit rei cujusdam theoria, judicantem quoque quoad eam deſtitui uſu rationis (*§. 468. Pſych. rat.*). Illuſtria in medium proferre poteramus exempla, niſi ab omni eo abhorreret animus, quod vel minimum ſuſpicionis movere poterat, quaſi aliorum famæ vel meritis detrahere quid velimus.

§. 491.

Ceremoniarum de præſenti & futuro differentia.

Ceremonias de præſenti vocamus, quæ nobis in memoriam revocant quidpiam, cujus nunc meminiſſe debemus, vel etiam in determinationem actus præſentis quomodocunque influunt. *Ceremoniæ* autem *de futuro* a nobis appellantur, quæ nobis memoriæ infigunt quidpiam, cujus poſthac recordari debemus.

Appellationem deſumimus a Canoniſtis, qui ſponſalia dividunt in ſponſalia de præſenti & de futuro. Quando enim novi in philoſophiam introducendi ſunt termini, receptis lubenter utimur, quantum datur, eosque ad præſens inſtitutum accommodamus, memores regulæ de ſtylo philoſophico, quod termini philoſophici ſemel recepti non ſint immutandi (*§. 147. Diſc. prælim.*), adeoque nec novi introducendi, ubi recepti ad alia quoque a ſe invicem diſcernenda ſufficiunt. Exemplum ceremoniæ de præſenti præbent candelæ in ſacramento altaris accenſæ; exemplum vero ceremoniæ de futuro liber, qui recens creato Doctori nunc apertus, nunc clauſus exhibetur in promotione doctorali (*not. §. 442.*).

§. 492.

Ceremoniarum de præ-

Quoniam ceremoniæ de præſenti nobis quidpiam in memoriam revocant, cujus nunc meminiſſe debemus,

 vel

Digitized by Google

ſenti effe-ctus.

vel etiam in determinationem actus præſentis quomodocunque influunt (§. 491.); *ceremoniæ de præſenti nos admonent eorum, quæ didicimus, vel præterea juvant in agendo.*

Nimirum ceremoniæ in memoriam nobis revocare nequeunt, niſi quod jam didicimus: ſupponitur enim eorum ſignificatum nobis eſſe debere perſpectum. Quatenus vero in determinationem actus præſentis influunt, quomodocunque id tandem fiat, ad eundem concurrunt, adeoque adjumento nobis ſunt in agendo.

§. 493.

Ceremoniarum de futuro effectus.

Similiter quia ceremoniæ de futuro nobis quidpiam memoriæ infigunt, cujus poſthac recordari debemus (§. 491); *ceremoniæ de futuro nos inſtruunt notitia eorum, quæ agenda ſunt, aut in agendo uſui eſſe poſſunt.*

Effectus adeo ceremoniarum de præſenti & ceremoniarum de futuro diverſus eſt. Quamobrem illæ ab his non absque ratione diſtinguuntur. Diverſitatis enim effectus non modo expendendus eſt iis, qui ceremonias inſtituere voluerint; verum etiam ceteris, qui legitimum earum facere debent uſum. Effectus tum ab inſtituente, tum ab utente intenditur per modum finis (*§. 932. Ontol.*), & ceremoniæ ipſæ ſpectandæ ſunt tanquam medium, quo finem intentum conſequi datur (*§. 937. Ontol.*). Ad finem vero reſpicere debet, tum qui de mediis inveniendis cogitat, tum qui iisdem rite uti voluerit. Vides itaque nos diſtinctiones non fingere nullo uſu, nec terminos multiplicare præter neceſſitatem. Intereſt enim, ut ceremonias de præſenti ab iis, quæ de futuro ſunt, ſemper diſcernas, quotiescunque tibi cum ceremoniis fuerit negotium.

§. 494.

Qualiam ceremoniis de

Si ceremoniæ de futuro frequentem habere debent uſum; adhibenda ſunt eidem obvia, qui iisdem uti debet: ſi vero tantum-

Digitized by Google

tantummodo uſum habere debent data quadam occaſione, adhibenda ſunt extraordinaria. Quoniam ceremoniæ in memoriam nobis revocare debent id, cujus tunc, quando iisdem utendum, meminiſſe debemus (§. 442.); neceſſe eſt ut, quod in hunc uſum adhibetur, vel ſenſui, vel ſaltem animo obverſetur. Quodſi ergo ceremonia frequentem habere debet uſum, adhibenda utique ſunt eidem obvia, qui eadem uti debet. *Quod erat unum.* *futuro inſerviant.*

Quodſi vero ceremonia de futuro tantummodo data occaſione uſum habere debet, eódem modo patet, id, quod adhibetur, memoriam ejus ſubire debere, quando occaſio iſta offertur, conſequenter neceſſe eſt, ut memoriæ probe mandetur (§. *178. Pſych. empir.*). Quoniam itaque memoriæ mandamus, quæ diu ſimul percipimus (§. *179. Pſych. empir.*), extraordinaria autem non modo attentionem in ſe trahunt, ubi in ſenſus incurrunt, verum etiam imaginationi præſentia ſeſe ſiſtunt, ubi amplius ſenſum minime feriunt, quemadmodum experientia obvia conſtat; ſi ceremonia de futuro data quadam occaſione uſum habere debet, adhibenda ſunt extraordinaria. *Quod erat alterum.*

Quod in promotione doctorali liber nunc aperitur, nunc vero iterum clauditur, ceremonia de futuro eſt (*not. §. 491.*). Et quoniam Doctorem creatum docet, quod nec ſibi ſoli, nec ſolis aliis fidere debeat, quoties qua Doctor agit (*not. §. 442.*); frequentem habent uſum. Liber vero apertus & clauſus inter ea utique referendus, quæ Doctori obvia ſunt. Ceremoniæ, quibus ſolennis Legati in urbem ingreſſus condecoratur, de futuro ſunt, quatenus dignitatem mittentis loquuntur; cujus memoria conſervanda in futuros uſus. Adhibentur itaque extraordinaria, quæ ſpectatorum oculos alliciunt, & in eorum animis altas radices agunt.

Digitized by Google

§. 495.

Quando ceremonia de præſenti ſimul eſt ceremonia de futuro.

Si ceremonia de præſenti etiam conſervare debet memoriam actus, in quo adhibetur, ceremonia ſimul de futuro eſt. Etenim quatenus ceremonia nobis in memoriam revocat id, cujus in ipſo actu, in quo adhibetur, meminiſſe debemus, ceremonia de præſenti eſt (§. 491.). Quoniam vero ceremoniæ ſigna artificialia ſunt (§. 451.), adeoque rei, quæ in hunc uſum adhibetur, pro arbitrio noſtro ſignificatus quicunque imponi poteſt (§. *958. Ontol.*); ubi e re eſt meminiſſe poſthac actus illius, in quo adhibetur, quo minus eidem in memoriam poſthac revocando eadem deſtinetur nil obſtat. Ceremonia de futuro eſt, quæ quidpiam memoriæ infigit, cujus poſthac recordari debemus (§. 491.). Quamobrem ſi ceremonia de præſenti etiam conſervare debet memoriam actus, in quo adhibetur, ceremonia ſimul de futuro eſt.

Ita candelæ accenſæ in altari, dum ſacramentum euchariſtiæ celebratur, ceremonia de præſenti ſunt, quatenus in memoriam revocant circumſtantiam temporis, quo Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit. Quatenus vero cum candelis accenſis idea hujus actus connectitur, ut poſthac, viſa candela accenſa, ejusdem recordemur; ceremonia de futuro eſt.

§. 496.

Quomodo quis ex ceremonia de præſenti faciat ceremoniam de futuro.

Quoniam unicuique ceremonias in uſum ſuum inſtituere licet, niſi inſtitutio pugnet cum officio erga alios (§. 454.), *ſi quis memoriam actus, in quo ceremonia de præſenti adhibetur, conſervare voluerit, quin ipſi liceat ex ea facere ceremoniam de futuro, niſi officium aliquod erga alios obſtet, dubitandum non eſt.*

Nimirum unicuique integrum eſt ceremoniarum ſignificatum amplificare pro arbitrio ſuo, ut, præterea ſignificet etiam alia, de quibus minime cogitavit, qui eas inſtituit (§. 452.); nihil

hil quoque impedit, quo minus ex ceremonia de præſenti in uſum ſuum etiam faciat ceremoniam de futuro, etſi de eo non cogitaverit, qui eam primus inſtituit, nec eadem eo fine adhibeatur. Velim hæc probe perpendant, qui ceremoniis infenſi ſunt, ne in damnandis ceremoniis nimis præcipites ſint, quæ ipſis egregium præſtare poterant uſum. Nec eſt quod excipias, eas hunc uſum non habere: modo enim habere poſſunt, culpa tua eſt, quod eum non facias.

§. 497.

Quando ex ceremonia de præſenti fieri poſſit ceremonia de futuro.

Quoniam ceremoniæ de futuro, quæ frequentem habere debet uſum, adhibenda ſunt eidem obvia, qui eadem uti debet (§. 494.); *Si ceremoniæ de præſenti adhibetur quod tibi obvium eſt, tua autem refert, ut actus illius, in quo ceremoniæ locus eſt, ſemper ſis memor, memoriam hujus conſervandi gratia ex ceremonia de præſenti facere potes ceremoniam de futuro.*

Exemplo candelarum in ſacramento altaris accenſarum propoſitio præſens illuſtratur. Inſtitutum enim eſt hoc ſacramentum, ut ſemper ſimus memores Chriſti in crucem acti pro peccatis noſtris. Quamobrem ceremonia uſus longe maximi eſt, conſervare conſpectu candelæ accenſæ memoriam ejus, cujus nos ſemper memores eſſe jubet Apoſtolus 2. Tim. II. 8. & quod mirifice influit in vitam homine chriſtiano dignam. Nemo exiſtimet nos in deprædicandis ceremoniis nimios eſſe, cum ab omni partium ſtudio alieni nihil afferamus, niſi quod ex ipſa ceremoniæ notione deducitur. Rei autem cuicunque tribuenda eſſe, quæ ex ejus definitione conſequuntur, in dubium vocare nequit, niſi qui Logicæ ſe imperitum probat. Veritati litamus, quæ coram rationis tribunali defenditur adverſus accuſationes illorum, in quibus defectum rationis affectus ſupplent, tacite in judicia præcipitata irrepentes. Neque enim adeo facile eſt ſincerum veritatis ſtudium, quemadmodum vulgo putatur, ut ab appetitu ſenſitivo nihil vitii contrahat. Sed forſan alia dabitur occaſio, qua explicari poterit, quam arduum id ipſum ſit atque diffi-

Digitized by Google

difficile. Non loquimur niſi experta & ad rationis trutinam expenſa: ſanctum nimirum nobis eſt rationis atque experientiæ connubium.

§. 498.

Quænam ceremoniis de præſenti inſerviant.

Ceremoniæ de præſenti inſerviunt res quæcunque & actus quilibet non illiciti, nec indecori, etſi præſtet aptitudinis haberi rationem, & caveri, ne ſint ceremoniæ inconvenientes. Etenim cum ceremoniæ de præſenti præſentem habeant uſum (§. 491.), res & actus iisdem inſervientes præſentes ſunt in illo actu, ad quem adhibentur. Quamobrem quia ſigna artificialia ſunt (§. 451.), adeoque pro arbitrio rei & actui cuicunque ſignificatus quicunque imponi poteſt (§. 9[?]1. *Ontol.*); res quæcunque & actus quilibet ceremoniæ de præſenti inſervire poſſunt. *Quod erat primum.*

Enimvero cum ceremoniæ, quæ in actu illicito conſiſtunt, recipi minime poſſint, qualiscunque tandem ipſis ſignificatus imponatur (§. 473.), & quæ in actu indecoro conſiſtunt, rejiciendæ ſint (§. 480.); actus ceremoniæ de præſenti inſervientes utique nec illiciti, nec indecori eſſe debent. *Quod erat ſecundum.*

Debent autem ceremoniæ eſſe aptæ (§. 484.), cumque ceremoniæ inconvenientes quid contineant, quod ſignificatui contrariatur (§. 485.), minus probandæ ſunt, quia facile offendunt utentem, qui acutior fuerit, ab hebetioribus autem in abuſum haud difficulter trahuntur impoſito ſignificatu contrario, cui magis convenire videntur; ſi quæ res vel actus quidam ceremoniæ de præſenti inſervire debet, ratio omnino habenda eſt aptitudinis, & cavendum, ne ceremonia ſit inconveniens. *Quod erat tertium.*

Qui

Digitized by Google

Qui differentiam ceremoniarum de præſenti, & earum quæ de futuro ſunt, conſiderat, ei extemplo manifeſtum erit, cur ſingulari cura opus ſit in eligendis iis, quæ ceremoniæ de futuro inſervire debent, vel etiam ceremoniæ de præſenti, quæ ſimul ceremonia de futuro eſſe debet. Etenim ſi ceremonia ſit de futuro, non ſufficit, ut, quod eidem inſervit, ſit præſens in illo actu, ad quem adhibetur, ſed requiritur præterea, ut vel præſens ſit tunc temporis, quando futurum uſum habere debet, vel ejus ſaltem memoria per circumſtantias tunc præſentes refricetur: id quod neceſſe non eſſe in ceremoniis de præſenti per ſe patet.

§. 499.

Si ceremonia eſſe debet recta, in ſignificatus impoſitione nihil deſiderari debet ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis. Cum enim ſignificatus faciat ceremoniam (§. 442.), quando ei, quod eidem inſervit, imponitur ſignificatus, hæc ipſa impoſitio actus humanus eſt, nec in ceremonia quid deſideratur, ſi in impoſitione ſignificatus nil deſiderari poteſt. Enimvero actio humana recta eſt, ſi ex parte intellectus, voluntatis ac noluntatis atque facultatis locomotivæ nihil deſideratur (§. 79. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in imponendo ſignificatu facultatis locomotivæ nulla habenda ratio ſit; ſi recta eſſe debet ceremonia, in impoſitione ſignificatus nihil deſiderari debet ex parte intellectus & voluntatis ac noluntatis. *Rectitudo ceremoniarum.*

Quænam eo fine obſervanda ſint, ne ex parte intellectus & voluntatis ac noluntatis quidpiam deſiderari poſſit, ex anterioribus patet. Ceterum cum ceremonia ipſa non confundenda ſit cum actu, qui ad eam adhibendam requiritur, nec cum uſu, quem faciunt eadem utentes; rectitudo etiam ceremoniæ, quæ ab impoſitione ſignificatus unice pendet, non confundenda cum rectitudine utriusque actus. Singulis enim actibus humanis, qualescunque tandem fuerint, etiam iis, qui vel maxime abjecti ſpectantur, & quos vulgo nulla attentione dignos arbitrantur,

ſua

Digitized by Google

ſua convenit rectitudo. Sane nos, qui ad omnia eandem attentionem afferre didicimus, & in vulgaribus atque abjectis eodem acumine utimur, quod in arduis inveſtigandis adhibemus, non ſine moleſtia quadam percipimus defectum rectitudinis in actionibus exigui momenti, isque diſplicet in actionibus propriis, ſi quando aliud quid magis arduum attentionem in ſe trahit, quam ad eas afferre poteramus. Equidem non ignoro eſſe plurimos, qui ſcrupuloſam ſollicitudinem de actionibus levis momenti, immo ipſorum judicio nullius momenti, rident; quemadmodum ſummis Geometris accidit, ut nimiam in demonſtrando accurationem contemnant, propterea quod ſe ea tuto carere poſſe experiuntur, quamdiu cum numeris atque figuris & calculis algebraicis negotium ipſis eſt: parum tamen hoc me movet, qui & experientia didici, & philoſophus rationibus invictis demonſtrare valeo, ſuoque loco demonſtraturus ſum, quanti interſit, ut actiones, quæ exigui vel nullius momenti videntur, quoad rectitudinem æquiparentur maxime arduis. Novi etiam non deeſſe, qui exiſtimant, tantam actionum rectitudinem, quantam nos urgemus, ab hominibus non eſſe exigendam, conſequenter facile prævideo, quod eam multo minus probaturi ſint in ceremoniis. Abunde ſufficere, ſi de hominibus dici poſſit, quod non male fecerint, quod faciunt, nec exigendum eſſe, ut faciant optimo modo. Etſi autem facile largiamur, convenire æquitati, ut in taxandis aliorum actionibus non quoslibet defectus imputemus; aliter tamen faciendum eſſe, ubi theoria actionum humanarum conditur, exiſtimamus. In hac nulli tolerantur defectus, ſed omni modo requiritur actionum quarumcunque rectitudo.

§. 500.

Obligatio ad ceremoniarum rectitudinem.

Lex naturæ urget ceremoniarum rectitudinem. Etenim lex naturæ nos obligat ad actionum liberarum rectitudinem (§. *189. Part. I. Phil. pract. univ.*). Sed inſtitutio ceremoniarum eſt actio hominum libera, quod nemo in dubium

Digitized by Google

bium vocat & ex notione ceremoniæ (§. *442.*) atque actionis liberæ patet (§. *12. Part. I. Phil. pract. univ.*). Lex igitur naturæ nos etiam obligat ad ceremoniarum rectitudinem, conſequenter eandem urget.

Ceremoniæ habentur pro actibus indifferentibus, quibus pro arbitrio uti vel non uti poſſis. Unde concluditur; legem naturæ de ceremoniis nihil definire. Sed qui ſic ſentiunt, omnem legis naturalis amplitudinem minime capiunt, quam eidem vindicavimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. Immo ſi vel maxime verum eſſet, quod tamen ſalva veritate concedi minime poteſt, a tuo unice arbitrio pendere, utrum ceremoniis uti, an vero ab iisdem prorſus abſtinere velis; nondum tamen hinc inferre licet, quod ſalva lege naturali omnimodam earundem rectitudinem curari opus non ſit. Quoniam enim lex naturæ ſimpliciter obligat ad recte agendum, ita ut recte agere debeas, quicquid agas (§. *189. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſi ponamus te agere, quod etiam omittere poteras, lege tamen naturæ teneris, ut id recte agas.

§. 501.

Inſtitutio ceremoniarum quando legi naturæ conformis.

Si ceremoniæ non fuerint ſuperfluæ, ſed ad bene & recte agendum proſunt; earum inſtitutio legi naturali conformis. Etenim ſi ceremonia non fuerit ſuperflua, neceſſe eſt ut aliquid in memoriam nobis revocet, quod ad negotium præſens animum advertenti per ſe minime patet (§. *445.*). Quamobrem ſi ob hunc ipſum uſum ad bene & recte agendum prodeſt, vel etiam in ipſam actionis bonæ ac rectæ determinationem influit; per modum medii ſeſe habet ad bene & recte agendum (§. *464.*). Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad bene & recte agendum (§ *153 189. Part. I. Phil. pract. univ.*), nos etiam obligat ad media, quæ ad bene & recte agendum faciunt (§. *941 Ontol.*). Obligat igitur nos ad ceremoniarum inſtitutionem, ſi ſuperfluæ non ſunt, ſed

Digitized by Google

ad bene & recte agendum faciunt, conſequenter earum inſtitutio in hypotheſi propoſitionis præſentis legi naturali conformis eſt.

Ceremoniarum cum lege naturali convenientiam & ab ea manantem obligationem ad eas inſtituendas non capiunt, qui nimis abjecte de ceremoniis ſentiunt, easque rebus ludicris accenſent, immo qui eas prorſus damnant ac tanquam illicitas rejiciunt. Quamobrem utile eſt illam animo probe comprehendi. Probe igitur conſiderandum ceremonias, ſi recte ſeſe habeant, eſſe medium bene & recte agendi, quod in propoſitione præſente ſumitur tanquam ex anterioribus ſatis clarum. Nemo negare poteſt, nos ad bene & recte agendum lege naturali obligari, modo didicerit, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus, ne de lege ac obligatione naturali ſecus ſentiat, quam debebat. Nec eſt, qui in dubium revocaverit, eum obligari ad mediorum uſum, qui ad finem conſequendum obligatur, utut promiſcuus mediorum quorumvis uſus non ſit licitus, cum obligatio una non tollat alteram, ſed mediis utendum ſit licitis. Agnoſcere igitur tenetur nos obligari ad ceremoniarum inſtitutionem, quæ ad bene & recte agendum proſunt. Si quis hæſitat, vel præjudiciis occœcatur, vel ubi acutior fuerit, principiorum, præſertim remotiorum, in quæ reſolvitur demonſtratio nondum convictum tenet animum. Quod poſterius obtentu non adeo facile eſſe abunde perſpiciet, qui analyſin inſtituere voluerit (*§. 992. Log.*), ut perſpiciat, quomodo in nobis natus fuerit aſſenſus, quem propoſitioni præſenti præbemus (*§. 993. Log.*) Aſſenſum igitur ſuum cum noſtro componere deſinat, niſi vel eodem, vel non abſimili modo fuerit genitus.

§. 502.

Quando ceremoniarum amplificatio

Quoniam inſtitutio ceremoniarum, quæ ad bene & recte agendum proſunt, legi naturali conformis (*§. 501.*) earundem vero ſignificatus amplificari poteſt, ut præter ſigni-

ſignificatum, quem ex mente inſtituentis habent, ſignificent etiam alia, de quibus minime cogitavit, qui eas primus inſtituit (§. 452.); *ceremoniarum quoque amplificatio legi naturali conformis eſt, quando eæ ad bene ac recte agendum faciunt.* *legi naturæ conformis.*

Nimirum qui ſignificatum ceremoniarum eo fine amplificat, is facit quod legi naturali conſentaneum, immo hoc facere tenetur, ſiquidem rigori ejusdem ſatisfacere voluerit, nec ignorantia invincibilis eum liberet a culpa (*§. 550 Part. I. Phil pract. univ.*). Nemo reprehendat nimiam philoſophiæ noſtræ ſeveritatem. Qui enim in theoria actionum humanarum rigidiſſimi ſumus; in iisdem imputandis æquiſſimos nos præbemus. Jubet illud veritas, quæ in theoria unice ſpectanda, hoc vero lex naturæ præcipit, quatenus urget, ut æquitate omni utamur in alios. Aliud eſt docere, quænam ad perfectam vitam faciunt; aliud eſt imputare agenti defectum rectitudinis, quem theoria manifeſtat Relegantur, quæ paulo ante eundem in finem annotavimus (*not.* §. 500.).

§. 503.

Lex naturæ dat nobis jus inſtituendi ceremonias, quæ ad bene & recte agendum faciunt. Etenim lex naturæ nos obligat ad bene & recte agendum (§. *153. 189. Part I. Phil pract. univ.*). Quamobrem ſi ceremoniæ faciunt ad bene & recte agendum, vel ſine iis obligationi naturali ſatisfieri nequit, aut ſaltem eidem non adeo facile ſatisfacere licet. Quoniam itaque lex naturæ nobis dat jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. *158. 159. Part. I. Phil. pract. univ.*); lex quoque naturæ nobis dat jus inſtituendi ceremonias, quæ ad bene & recte agendum faciunt. *Jus inſtituendi ceremonias.*

Qui ceremoniarum ad bene & recte agendum utilitatem agnoſcit, is jus eas inſtituendi ultro admittit. Clarius idem agnoſcitur,

ſcitur, ubi ceremonias ſpectamus tanquam media bene & recte agendi, cum nemo dubitet de jure utendi mediis, qui finem ſibi licitum agnoſcit, aut ſe ad eum proſequendum obligari pro certo habet. Nobis tamen demonſtrandum fuit, venire hoc jus ab ipſa lege naturali, qui eam univerſalem normam omnium actionum liberarum agnoſcimus. Ceterum cum in Philoſophia practica univerſali verſemur, originem quoque juris inſtituendi ceremonias tantummodo in genere oſtendimus. Quæ vero in ſpecie de eodem tenenda ſint, ſuo loco demonſtrabitur.

§. 504.

Jus amplificandi ſignificatum ceremoniarum.

Lex naturæ dat nobis jus ſignificatum ceremoniarum pro arbitrio amplificandi. Significatus ceremoniæ amplificatur, ſi præter eum, quem habet ex mente inſtituentis, imponitur adhuc alius, de quo minime cogitavit, qui eas primus inſtituit (§. *452.*). Quamobrem cum ſignificatus faciat ceremoniam (§. *442.*), & ceremoniæ ſint ſigna artificialia (§. *451.*), quibus adeo ſignificatus quicunque pro arbitrio noſtro imponi poteſt (§. *958. Ontol.*), ut una eademque res, ſeu unus idemque actus diverſis ceremoniis inſervire poſſit; ceremoniæ ſignificatum amplificare idem eſt ac ceremonias novas inſtituere. Enimvero lex naturæ dat nobis jus ad ceremonias inſtituendas (§. *503.*). Ergo etiam dat jus ad ceremoniarum ſignificatum amplificandum pro arbitrio noſtro.

Qui ergo ſignificatum ceremoniarum introductarum pro arbitrio ſuo amplificat, is hoc facit ſuo jure, eumque lex naturæ tuetur.

§. 505.

Quando ceremonia injuſta ſit.

Si ceremoniæ uſu tollitur, vel diminuitur jus perfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, ceremonia injuſta eſt. Etenim ſi uſu ceremoniæ tollitur, vel diminuitur jus

jus perfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, contra jus perfectum alterius agitur (§. *239. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuſtum ſit, quicquid fit contra jus alterius (§. *cit.*); ceremonia injuſta eſſe debet, ſi ejus uſu tollitur, vel diminuitur jus perfectum alterius, vel ejus uſus quomodocunque impeditur.

§. 506.

Quando ceremonia ſit iniqua.

Si ceremoniæ uſu tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur; ceremonia iniqua eſt. Sic enim uſu ceremoniæ tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, contra jus imperfectum alterius agitur (§. *239. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum iniquum ſit, quicquid fit contra jus imperfectum alterius (§. *cit.*); ceremonia iniqua eſſe debet, ſi ejus uſu tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel ejus uſus quomodocunque impeditur.

Ubi jura hominum tam perfecta, quam imperfecta explicaverimus, ceremoniæ injuſtæ ac iniquæ facile dignoſcentur. Fieri autem poſſe, ut ceremoniæ ſint injuſtæ & iniquæ, dubio caret. Ponamus e. gr. ceremoniis profundi magnos ſumtos, quos in alendos pauperes impendere debebamus. Nemo non fatebitur, eas eſſe iniquas, cum violetur jus ipſorum imperfectum, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, quale ſit jus egenorum.

§. 507.

Cur ceremoniæ introducantur.

Ceremoniæ introducuntur propter uſum. Ex ipſa notione ceremoniæ (§. *442.*) patet, eum, qui ceremonias introducit, uſum, quem habent (§. *489. 490.*), intendere, aut ſaltem intendere debere (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ceremonias ideo introducit, quia hunc habent

Digitized by Google

ſcitur, ubi ceremonias ſpectamus tanquam media bene & recte agendi, cum nemo dubitet de jure utendi mediis, qui finem ſibi licitum agnoſcit, aut ſe ad eum proſequendum obligari pro certo habet. Nobis tamen demonſtrandum fuit, venire hoc jus ab ipſa lege naturali, qui eam univerſalem normam omnium actionum liberarum agnoſcimus. Ceterum cum in Philoſophia practica univerſali verſemur, originem quoque juris inſtituendi ceremonias tantummodo in genere oſtendimus. Quæ vero in ſpecie de eodem tenenda ſint, ſuo loco demonſtrabitur.

§. 504.

Jus amplificandi ſignificatum ceremoniarum.

Lex naturæ dat nobis jus ſignificatum ceremoniarum pro arbitrio amplificandi. Significatus ceremoniæ amplificatur, ſi præter eum, quem habet ex mente inſtituentis, imponitur adhuc alius, de quo minime cogitavit, qui eas primus inſtituit (§. *452.*). Quamobrem cum ſignificatus faciat ceremoniam (§. *442.*), & ceremoniæ ſint ſigna artificialia (§. *451.*), quibus adeo ſignificatus quicunque pro arbitrio noſtro imponi poteſt (§. *958. Ontol.*), ut una eademque res, ſeu unus idemque actus diverſis ceremoniis inſervire poſſit; ceremoniæ ſignificatum amplificare idem eſt ac ceremonias novas inſtituere. Enimvero lex naturæ dat nobis jus ad ceremonias inſtituendas (§. *503.*). Ergo etiam dat jus ad ceremoniarum ſignificatum amplificandum pro arbitrio noſtro.

Qui ergo ſignificatum ceremoniarum introductarum pro arbitrio ſuo amplificat, is hoc facit ſuo jure, eumque lex naturæ tuetur.

§. 505.

Quando ceremonia injuſta ſit.

Si ceremoniæ uſu tollitur, vel diminuitur jus perfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, ceremonia injuſta eſt. Etenim ſi uſu ceremoniæ tollitur, vel diminuitur jus

jus perfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, contra jus perfectum alterius agitur (§. *239. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuſtum ſit, quicquid fit contra jus alterius (§. *cit.*); ceremonia injuſta eſſe debet, ſi ejus uſu tollitur, vel diminuitur jus perfectum alterius, vel ejus uſus quomodocunque impeditur.

§. 506.

Quando ceremonia ſit iniqua.

Si ceremoniæ uſu tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur; ceremonia iniqua eſt. Sic enim uſu ceremoniæ tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, contra jus imperfectum alterius agitur (§. *239. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum iniquum ſit, quicquid fit contra jus imperfectum alterius (§. *cit.*); ceremonia iniqua eſſe debet, ſi ejus uſu tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel ejus uſus quomodocunque impeditur.

Ubi jura hominum tam perfecta, quam imperfecta explicaverimus, ceremoniæ injuſtæ ac iniquæ facile dignoſcentur. Fieri autem poſſe, ut ceremoniæ ſint injuſtæ & iniquæ, dubio caret. Ponamus e. gr. ceremoniis profundi magnos ſumtos, quos in alendos pauperes impendere debebamus. Nemo non fatebitur, eas eſſe iniquas, cum violetur jus ipſorum imperfectum, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, quale ſit jus egenorum.

§. 507.

Cur ceremoniæ introducantur.

Ceremoniæ introducuntur propter uſum. Ex ipſa notione ceremoniæ (§. *442.*) patet, eum, qui ceremonias introducit, uſum, quem habent (§. *489. 490.*), intendere, aut ſaltem intendere debere (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ceremonias ideo introducit, quia hunc habent

uſum; quod propter uſum introducantur in dubium revocari nequit.

Sane ſi ceremoniæ non introducerentur propter aliquem uſum, cum uſus, quatenus intenditur, finis ſit (§. *647. Part. I. Theol. nat.*), nullo fine adhiberentur, adeoque nullæ forent (§. 465.). Etſi autem propoſitio per ſe manifeſta videatur, ut eam ultro concedant facile omnes; non tamen ejus in praxi rationem habent omnes, cum longe plurimi nullum faciant ceremoniarum uſum: immo ubi de ceremoniis ferenda judicia, haud raro in principium; quod hic inculcatur, impingitur.

§. 508.

Quando a ceremonia aliqua abſtinendum.

Si qua ceremonia majorem admittit abuſum, quam uſum habet; ab ea abſtinendum. Etenim ceremoniæ introducuntur propter uſum (§. *507.*), & ſpectandæ ſunt inſtar mediorum, quibus is obtinetur (§. *464.*). Quamobrem ſi majorem abuſum admittunt, quam uſum habent; mediis æquipollent, quæ a ſcopo magis abducunt, quam ad eundem ducunt, conſequenter parum certis. Quoniam itaque media eligi oportet, quæ certo ad ſcopum ducunt (§ *92.*); a ceremonia utique abſtinendum, ſi qua ceremonia majorem admittit abuſum, quam uſum habet.

Multa cautione opus eſt, ne in principio hoc applicando aberres. Fieri enim poteſt, ut abuſus quidem vincat uſum vitio eorum, qui ceremonia uti debent, ſed quod corrigi poteſt, ut abuſus omnis tollatur, & in poſterum præcaveatur.

§. 509.

Quomodo ceremoniæ inveniantur.

Si quis 1) *ſigillatim perpendit ſingula, quæ ad actum aliquem rite abſolvendum requiruntur, & quænam in ipſo actu utiliter in futurum uſum inculcantur;* 2) *probe expendit, quænam ſint ea, quorum agens vel qui actui intereſt non facile meminerit,*

rit, & quænam agendorum facile impediantur quocunque modo; 3) inquirit, quibusnam rebus vel actibus illa in memoriam de præſenti, aut quænam in futurum uſum inculcanda ſunt, in poſterum revocentur, & quænam res aut quinam actus in harum determinationem pro diverſitate obſtaculorum influant; is ceremonias utiliter adhibendas invenit. Quoniam enim ceremoniæ ſunt ſigna eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus (§. *442.*), & ceremoniæ veſtitæ in ipſam præterea actionum determinationem influunt (§. *462.*), ceremoniæ autem de præſenti nobis in memoriam quidpiam revocant, cujus nunc meminiſſe debemus, vel etiam in determinationem actus præſentis quomodocunque influunt, & ceremoniæ de futuro memoriæ infigunt, cujus poſthac recordari debemus (§. *491.*); ſi ſigillatim perpendis ſingula, quæ ad actum aliquem rite abſolvendum requiruntur, & quænam in ipſo actu utiliter in futurum uſum inculcantur, ac probe expendis, quænam ſint ea, quorum agens vel qui actui intereſt, non facile meminerit, & quænam agendorum quocunque modo facile impediantur, tibi innoteſcit, quandonam & ad quænam ceremoniis ſit opus ſive nudis, ſive veſtitis, ſive de præſenti, ſive de futuro. Quodſi ergo inquiris, quibusnam rebus vel actibus ea, quorum in præſenti meminiſſe debes, vel quænam in futurum uſum inculcanda ſunt, in memoriam revocentur, quando eam ſubire tenentur, & quænam res aut quinam actus in eorum, quæ agenda ſunt, determinationem pro diverſitate obſtaculorum commode influant; has ipſas ceremonias inveniri patet (§§. *cit.*).

Quodſi ad regulas, quæ hic præſcribuntur, animum advertis, facile perſpicies, hoc pacto non fingi ceremonias ſuperfluas, quibus vel prorſus, vel ſaltem commode carere poteramus, ſed tales reperiri, quas ipſe uſus ſatis commendat. Patebit quoque eum, qui in ceremoniis inſtituendis regulas haſce obſervat, non in nudis acqui-

acquieſcere, ubi veſtitæ proſunt, & ex ceremoniis de præſenti ſimul facere ceremonias de futuro, ubi eadem ceremonia utrique ſcopo inſervire poteſt. Tenendum vero, etſi ceremoniæ magis caſu, quam conſilio detegantur, eas tamen regulis, quas præſcribimus, convenire poſſe. Haud inſolens enim eſt, ut ſubinde caſu incidamus in ea, quæ a priori difficillime inveſtigarentur, immo inveſtigari prorſus non poterant defectu principiorum, quibus in ratiocinando opus eſt. Et tum regulæ hunc habent uſum, ut per eas pateat, quomodo a priori inveniri potuerint, & ratio reddatur, cur inveſtigatio a priori nondum fuerit in poteſtate. Sed de hiſce expreſſius dicendum in Arte inveniendi, ubi luculentis exemplis ex omni ſcientiarum & artium genere illuſtranda, quæ dicuntur. Præterea regulæ, quæ ceremoniis inveniendis deſtinantur, hunc etiam habent uſum, ut dijudicetur, num, quas caſus obtulit, ratio quoque approbet. Caſui enim non fidendum, niſi ubi ratio vel eidem conſentiens experientia, aut utraque caſu detecta probat. Obiter notamus, hinc & ex iis, quæ in uſum artis inveniendi data occaſione monemus, abunde intelligi, quod, qui hactenus de arte inveniendi commentati ſunt, etſi ipſorum laudi nihil detractum velimus, parum conſideraverint quænam ſint in Arte inveniendi explananda, & quinam ſit genuinus ejusdem uſus.

§. 510.

Quomodo ceremoniæ inventæ limentur.

Si in ceremoniis inventis nihil deſiderari debet, juxta ea, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt, limandæ. Quoniam enim ex principiis in anterioribus demonſtratis patet, quænam in ceremoniis vi notionis earundem obſervanda, ut nihil in iis deſiderari queat; neceſſe eſt, ut iisdem conveniant, ſeu tales ſint, quales per principia illa eſſe debent, ut ſcilicet ex iis ratio reddi poſſit, cur tales potius ſint, quam aliæ. Quamobrem cum ceremoniæ limentur, quando inquiritur, num quid in iis deprehendatur, quod non recte ſe habeat, & num in melius mutari poſſint, ſive ea conſideres, quæ iisdem inſervire debent, ſive ſignificatum ea-

Digitized by Google

earundem reſpicias; quin ceremoniæ inventæ juxta ea, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt, limandæ ſint, ubi nihil in iis deſiderari debet, dubitandum non eſt.

Non lubet nobis eſſe prolixioribus præter neceſſitatem, alias enim facillimum foret diſertis verbis adducere ea, quæ in ceremoniis limandis vi anteriorum tenenda ſunt. In ceremoniis duo ſunt, quæ examini ſubjicienda. Nimirum 1) conſideranda ſunt, quæ ad ceremonias adhibentur, ut appareat, num ſufficiente cum ratione fuerint electa, an vero alia ſint, quæ in eorum locum rectius ſurrogantur: deinde 2) diſquirendum, num in ſignificatu, qui illis imponitur, omnia rite ſeſe habeant, an vero quædam emendanda veniant, & an ſignificatus amplificari poſſit, immo an conſultum ſit eundem amplificari. Ad utrumque rite dijudicandum proſtant in anterioribus principia, ut, ſi iis uti volueris, in limandis ceremoniis aqua minime ſit hæſura. Fidem oculatam qui deſiderat, ceremonias paſſim obvias ad examen revocet: ita enim futurum puto, ut de iisdem rectius ſentiat, & magis præclarum deprehendat ipſarum uſum, quam vulgo putatur. Cum ceremoniæ ſint ſigna arbitraria (§. 451.), quibus pro arbitrio ſignificatus imponi poteſt (*§. 958. Ontol.*), ſignificatus autem ceremoniam faciat (§. 442.), & pro arbitrio in alium mutetur atque amplificetur (§. 452.); ubi ceremoniæ limandæ, cum ſignificatu potiſſimum nobis res eſt, & quoad hunc manum emendatricem facile admittunt. Operæ pretium faceret, ſi quis principiis noſtris inſiſtens ceremonias tam ſacras, quam profanas inter nos receptas accurate explicatas daret, omnem ipſis tribuendo uſum, quem habere poſſunt. Neque vero exiſtimandum eſt, opus hoc levi brachio perfici poſſe. Sane ceremonias ſacras pro dignitate explicaturus Theologiam non minus dogmaticam, quam moralem intime perſpectam habere debet, principiis philoſophicis quoque inſtructus ſit, præſertim pſychologicis, & methodo, qua philoſophamur, polleat neceſſe eſt. Etſi autem primus, qui opus arduum aggreditur, non det prorſus exaſciatum: non deerunt tamen poſthac alii, qui

Digitized by Google

qui idem faciliori opera ad limam revocabunt, præſertim ubi in philoſophia noſtra fuerint aſſidui, ut tandem prodeat opus omnibus numeris abſolutum: quod quanti ſit futurum uſus, nemine docente conſtabit, ubi in publicos uſus proſtabit. Dictis fidem facere poteramus aliquo exemplo: ſed commodior alibi erit locus. Ceterum quo ſeveriori examini ceremonias quis ſubjecturus, eo magis earum vim percipiet, & eo plura deteget principia, quibus theoria ceremoniarum locupletatur. Qua de cauſa etiam ſuademus, ut, ſi quis theoriam ceremoniarum ampliorem condere voluerit, is paſſim obvias accurata diſcuſſione dignetur: experietur enim ſibi in mentem venire bene multa, de quibus alias non cogitaſſet. Nec deerunt exempla, quibus doceat theoriam non extendi præter neceſſitatem, cujus hic primas ſaltem lineas duximus: etenim in generalibus acquieſcimus, ad particularia non deſcendimus, quemadmodum jubet inſtituti præſentis ratio.

§. 511.

Scientia ceremoniarum quod detur.

Datur ſcientia ceremoniarum. Etenim principia generalia ceremoniarum ex earum definitione demonſtrari poſſunt, quemadmodum ex hactenus demonſtratis apparet, ac inde ulterius demonſtrantur particularia principiis illis ad ceremonias in quocunque actu ſive negotio vel adhiberi ſolitas, vel adhibendas. Quamobrem cum ſcientia eorum ſit, quæ demonſtrari poſſunt (§ *598. Log.*); quod detur ceremoniarum ſcientia in dubium revocari nequit.

Philoſophia ſeſe extendit ad omnia poſſibilia (*§. 29 Diſc. prælim.*): quorum in numero cum etiam ſint ceremoniæ; mirum videri haud quaquam debet, quod eas quoque ad objectum Philoſophiæ referamus. Patet igitur, dari peculiarem Philoſophiæ practicæ partem, quæ de ceremoniis agit. Cum ea hactenus in deſideratis ſit, nec nomen peculiare ſortita eſt. *Philoſophiam ceremonialem* appellare poteras, quæ definienda, quod ſit pars Philoſophiæ practicæ, quæ de ceremoniis agit. Quia ceremoniæ ſignorum quædam ſpecies ſunt, theoriam generalem ſignorum

Digitized by Google

rum præſupponit. Et quoniam ceremoniis locus eſt in omnibus negotiis humanis, Philoſophiæ practicæ haud mediocri notitia inſtructus eſſe debet, qui hanc ejus partem pro dignitate excolere voluerit. Neque enim ſufficit tradi generalia, ſed ad particularia quoque deſcendendum eſt.

§. 512.

Quomodo ſenſus nos ſeducant.

Senſus ad erronea de actionibus committendis & omittendis judicia nos ſeducunt. Qui enim ſenſuum judicio ſtant, bonum quid ex eo judicare ſolent, quod voluptatem inde percipiant, & ex adverſo malum ex eo, quod inde percipiatur tædium, quemadmodum obvia experientia conſtat. Enimvero voluptas, quæ percipitur, non ſemper vera eſt, ſed tantummodo apparens (§. *559. Pſych. empir.*), neç tædium, quod ſentitur, ſemper verum, ſed etiam apparens eſſe ſolet (§. *571. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi contingit voluptatem eſſe apparentem, cum ea ex bono apparente, vel ex bono quidem vero, quod tamen tale non agnoſcimus, ſed quatenus tale apparet, percipiatur (§. *559. Pſych. empir.*); pro bono habetur, quod non eſt, aut non ex vera ratione bonum putatur. Et ſimiliter ubi accidit tædium eſſe non niſi apparens, cum ipſum ex malo apparente, vel etiam ex vero, quod tale non agnoſcitur, ſed quatenus ſaltem apparet, percipiatur (§. *571. Pſych. empir.*); pro malo habetur, quod non eſt, aut non ex vera ratione malum exiſtimatur. Quoniam itaque in utroque caſu judicans errat (§. *623. Log.*); ſenſus ad erronea de actionibus committendis & omittendis judicia nos ſeducunt.

Ad ſenſus referenda eſt origo omnium erroneorum de actionibus committendis vel omittendis judiciorum. Omnis enim error tandem huc redit, quod bonum & malum apparens cum bono & malo vero confundatur, atque adeo malum mentiatur ſpeciem boni, & viciſſim bonum referat ſpeciem mali. Sane ſi

Digitized by Google

ſpes lucri actionem commendat, non alia ſubeſt ratio, quam quod ex lucro voluptas percipiatur, & ſi ex adverſo jactura lucri actionem damnat, non alia ſubeſt ratio, quam quod moleſtiam creet. Voluptas ea vis eſt, qua appetitum ſenſitivum in ſe trahit lucrum, & tædium ſive moleſtia vis eſt, qua eundem jactura lucri retrahit atque averſionem cauſatur. Velim hoc probe perpendant, quotquot felicitatem ſuam curæ cordique habent. Plurimum enim refert noſſe, ex quonam tandem fonte manet omne malum, quod actiones noſtras inficit. Neque eidem medelam afferre licet, niſi fonte obturato. Pauciſſimi mortalium verum ab eo, quod apparet, diſcernunt, quod ad fontem erroris animum non advertunt, neque hoc adeo facile eſt, quemadmodum videri poterat. Difficultas ex poſtea dicendis elucefcet: elucefcet autem multo adhuc clarius ex iis, quæ in Philoſophia morali paſſim demonſtraturi ſumus, quando de impedimentis particularibus quæſtio incidet.

§. 513.

Quomodo ſenſus nos ſeducant ad male agendum.

Quoniam ſenſus ad erronea de actionibus committendis vel omittendis judicia nos ſeducunt (§. 512.), adeoque pro bonis habemus, quæ malæ ſunt, pro malis autem, quæ ſunt bonæ, quamdiu iisdem ſtatur (§ 624. Log.); quamprimum vero rem quandam nobis repræſentamus tanquam bonam, eam appetimus (§. 589. *Pſych. empir*), & ex adverſo quamprimum eandem nobis repræſentamus tanquam malam, eam averſamur (§. 590 *Pſych. empir*); *ſenſus nos ſeducunt ad actiones malas committendas & bonas omittendas.*

Nimirum quamdiu in notione boni confuſa acquieſcimus, id appetimus; ex quo voluptatem percipimus (§. 591. *Pſych. empir.*), & quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus, id averſamur, ex quo tædium percipimus (§ 592. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis in ſenſibus acquieſcit, nec ultra eos progreditur in taxandis actionibus; quicquid voluptatem creat, appetitum

Digitized by Google

titum ſtatim in ſe trahit, & quicquid tædium affert, eundem retrahit & averſionem cauſatur. Quando itaque contingit (id quod ſæpiſſime accidit), ut voluptas atque tædium tantummodo apparens ſit, non verum; qui in ſenſu acquieſcit ad actiones bonas omittendas, malas vero committendas, adeoque ad male agendum ſeducitur. Patet hinc quomodo pravæ naſcantur in homine cupiditates & averſiones malignæ. Abſit tamen ut hoc nomine ſenſus accuſes: data enim tibi eſt ratio, ut recto intellectus uſu verum ab eo, quod apparet, diſcernere poſſis, ne tibi imponant notiones confuſæ, quæ ſenſui debentur, ſenſus autem dati non ſunt ad bonum a malo diſcernundum. Tibi adeo imputabis, ſi eum facultatum animæ non facis uſum, quem facere poteras ac debebas.

§. 514.

Ratio cur propoſiti non ſimus memores, nec legis naturæ recordemur.

Defectu attentionis ad actiones noſtras contingit, ne propoſiti noſtri meminerimus, nec legis naturæ, ad quam exigendæ ſunt actiones, recordemur. Quodſi enim propoſiti meminiſſe debemus, neceſſe eſt, ut ejus idea reproducatur (§. *226. Pſych. empir.*). Enimvero ſi vi imaginationis hæc idea reproduci debet, quam cum idea actionis antea ſimul habuimus, mentis aciem in ea intendere debemus, per quæ actio iſta concipitur (§. *109 Pſych. empir.*), conſequenter attentione ad actionem opus eſt. Quamobrem ſi deficit attentio, nos propoſiti non meminiſſe contingit. *Quod erat unum.*

Qui legis naturæ, ad quam actio exigenda, recordari debet, ei propoſitum eſſe debet actiones ſuas ad legem naturæ tanquam normam exigere, atque mediante hoc propoſito legis naturæ notio reproducenda (§. *230. Pſych. empir.*). Quoniam itaque defectu attentionis ad actiones noſtras contingit, ne propoſiti noſtri meminerimus; eadem de cauſa contingere quoque debet, ne legis naturæ, ad quam exigenda actio, recordemur. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Supponimus hic, agenti eſſe voluntatem actiones ſuas ad normam legis naturalis exigendi. Ei igitur eſt bene & recte agendi propoſitum, ſeu propoſitum committendi actiones legi naturæ conformes, omittendi eidem contrarias (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*). Cui autem hoc propoſitum eſt, is noſſe debet legem naturæ, ad quam actiones noſtræ ſunt componendæ. Alias enim propoſitum nullum eſt: neque enim actiones ad eam tanquam normam exigere vales, niſi conſtiterit, quid præcipiat, quid prohibeat lex naturæ. Nemo non videt, ideam propoſiti cum idea actionis, & ideam legis naturalis cum idea propoſiti, vel etiam actionis conjungi. Quamobrem quando de actione incidit cogitatio, oblata agendi occaſione, vi ideæ actionis reproducenda eſt idea propoſiti & legis naturæ (§. 117. *Pſych. empir.*). Attentione igitur opus eſt ad ea, per quæ actio concipitur, ut hæ ideæ reproducantur. Quoniam vero varia ſunt, quæ notionem actionis ingrediuntur, non eodem modo idea propoſiti cum idea actionis in animis omnium connectitur. Unde in dato caſu anceps eſt ideæ propoſiti reproductio. Diximus itaque, defectu attentionis ad actiones noſtras contingere, ne propoſiti ſimus memores. Nunc enim major, nunc minor requiritur attentio, ut in id præciſe dirigatur mentis acies, quod ideæ propoſiti reproducendæ inſervit. Sane accidit ſubinde, ut levi attentione utenti, quæ propemodum pro nulla habetur, propoſitum ſuccurrat, quod in caſibus aliis vel circumſpectæ attentioni ſeſe ſubducit. Velim hæc probe notentur, ne quæ certa ſunt in dubitationem adducantur. In veritatibus moralibus majore attentione & acumine opus eſt, quam in mathematicis: quod nemo in dubium vocabit, qui in utroque genere ſatis fuerit verſatus. Accedit, quod multa inſint animæ, quorum nobis conſcii minime ſumus, & quæ nonniſi multa circumſpectione deteguntur ope perſpicillorum pſychologicorum, ſine quibus nihil effeceris.

§. 515.

Cur ſenſus impediant, *Senſus impediunt, quo minus propoſiti bene & recte agendi ſimus memores, & quo minus legis naturalis recordemur.* Etenim

Etenim ſenſus impediunt attentionem, quam agens ad actiones data agendi occaſione afferre tenetur (§. 238. *Pſych. empir.*), & difficulter ad easdem conſervatur attentio, quando multa ſimul, præſertim fortiter in organa ſenſoria agunt (§. 240. *Pſych. empir.*). Enimvero defectu attentionis ad actiones noſtas contingit, ne propoſiti noſtri meminerimus, nec legis naturæ, ad quam exigenda actio, recordemur (§. 514). Patet itaque ſenſus impedire, quo minus propoſiti bene & recte agendi ſimus memores, & quo minus legis naturalis recordemur.

quo minus propoſiti & legis naturæ ſimus memores.

Non jam explicare intendimus, quomodo ſenſus attentionem ad actiones noſtras impediant: id enim fieri poteſt non uno modo. Sufficit tantummodo demonſtraſſe, quod impediant. Quamobrem jam ſeponimus diverſos caſus, quos diſtinguere licet tum ratione ſubjecti, tum ratione objecti. Patebunt enim talia in Philoſophia morali, ubi ad ſpecialia deſcendemus. Ceterum propoſitione præſenti excitatur attentio ad impedimenta, quæ ſenſus objicit, obſervanda in caſibus obviis: quem uſum hic inculcamus, ſane non exiguum.

§. 516.

Quoniam ſenſus impediunt, quo minus legis naturalis recordemur (§. 515.), per ſe autem patet, quod ea ad actionem præſentem applicari minime poſſit, niſi ejusdem meminerimus; evidens eſt, *ſenſus* quoque *impedire, quo minus legem naturæ ad actiones committendas vel omittendas applicemus, quoties impediunt, quo minus ejus recordemur.*

Quando ſenſus impediant applicationem legis naturæ.

Conſtat ex demonſtratione propoſitionis præcedentis, id fieri eo in caſu, quo ſenſus impediunt attentionem, quam ad actiones noſtras afferre tenemur, ſiquidem memoriam ſubire debet lex naturæ applicanda. Faciunt nimirum ſenſus ut de applicatione legis naturæ ad actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, ne cogitemus quidem, ita ut examen juxta eam inſtituendum

Digitized by Google

dum omittatur a non cogitante. Faciunt etiam, ut, ubi in genere incidit cogitatio de actione ad legem naturæ applicanda, eam tamen omittere cogaris, propterea quod defectu attentionis requiſitæ eam legem in memoriam revocare nequis, quæ in dato caſu applicanda: ſed de hoc caſu agetur in mox ſequentibus.

§. 517.

Quomodo impediatur recta legis naturæ applicatio.

Si attentio ad actiones noſtras difficulter conſervatur, lex naturæ rite applicari nequit, & in ejus applicatione facile aberratur. Cum notio actionis ſufficienter determinata ſit, ſi eas continet determinationes, ex quibus demonſtrari poteſt, utrum bona ſit, an mala (§. *71. Part. I. Phil. pract. univ.*), absque attentione autem iſtæ determinationes in dato caſu non ſint ceteris, quæ percipimus, clariores (§. *237. Pſych. empir.*), adeoque easdem non magis appercipiamus, quam cetera, quæ tam ſenſui obvia ſunt, vel animo volvuntur (§. *235. Pſych. empir.*), conſequenter earum non magis nobis conſcii ſimus, quam ceterorum ſimul perceptorum (§. *25. Pſych. empir.*); ſi deficit attentio, fieri haud quaquam poteſt, ut actionis datæ notionem ſufficienter determinatam conſequamur. Enimvero lex naturæ, quam vel in numero propoſitionum categoricarum, vel hypotheticarum eſſe debere conſtat, ubi legum naturalium notitia tibi fuerit, applicari ad actionem in dato caſu nequit, niſi hujus detur notio ſufficienter determinata (§. *1223. 1224. Log.*), immo ope hujus notionis ipſa lex, quæ applicanda, nonniſi in memoriam revocatur (§. *117. Pſych. empir.*). Quamobrem fieri non poteſt, ut absque ſufficiente attentione ea lex naturæ ad actionem, quæ normanda venit, applicetur, quæ applicari debet. Quodſi itaque attentio difficulter conſervetur ad actiones noſtras,

Digitized by Google

noſtras, occaſione agendi oblata; facile contingit, ut vel determinationes quasdam præſentes non animadvertamus, vel confuſe perceptas cum aliis confundamus, conſequenter ut notio actionis rite non determinetur. Unde porro liquet (*per demonſtrata*), in memoriam revocari legem naturæ, cui in præſenti locus non eſt, adeoque eam applicari, quæ applicari minime debebat, conſequenter ſi attentio ad actiones noſtras difficulter conſervatur, lex naturæ rite applicari nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero qui applicat ad actionem præſentem eam legem naturæ, quæ applicari minime debebat, is in ejus applicatione aberrat (§. 623. *Log.*). Quamobrem ſi attentio ad actiones noſtras difficulter conſervatur, in ejus applicatione facile aberratur. *Quod erat alterum.*

Propoſitionem præſentem eſſe veram in omni caſu, in quo aliqua propoſitio generalis ad præſens ſubjectum applicari debet, ex demonſtratione manifeſtum eſt. Neque enim hic legem naturæ aliter conſideramus, quam propoſitionem univerſalem, quæ in dato caſu applicanda. Quamobrem ejus veritas confirmatur experientia in quocunque veritatum genere. Immo comprobatur erroribus, quos committimus in meditando, dum attentionem ad res meditandas difficulter conſervamus. Etenim ſive veritates theoreticas, ſive practicas applicemus, actus applicationis unus idemque eſt. Ceterum quid ſibi velit difficultas conſervandi attentionem, non opus eſt ut explicemus. Nemo enim eſt, qui eandem non fuerit expertus, vel facile experiri poſſit. Sufficit autem hic notio hujus difficultatis confuſa, quamvis non difficile ſit venari diſtinctam, utpote quæ in caſu experimenti obvia eſt ei, qui notionem diſtinctam formare didicit (§. 674. *Log.*). Et erit alibi de ea dicendi locus.

§. 518.

Quoniam ſenſus attentionem impediunt (§. 238. *Quomodo*

ſenſus impediant rectam legis naturæ applicationem.

Pſych. empir.), adeoque in cauſa ſunt, ut difficulter conſervetur, ſi vero attentio ad actiones noſtras difficulter conſervatur, lex naturæ rite applicari nequit, & ejus applicatione facile aberratur (§. 417.); *ſenſus* quoque *impediunt, quo minus lex naturæ ad actiones committendas vel omittendas in dato caſu rite applicetur, atque in cauſa ſunt, ut in ejus applicatione facile aberretur.*

Supponitur hic agentem actiones ſuas ad legem naturalem componere velle, ac de ejus applicatione eſſe ſollicitum. Ex voto autem non ſuccedit examen, quod inſtituitur, quod ſenſus obſtant, quo minus eam attentionem afferre poſſis, quæ ad eam afferri debebat. Supponitur præterea examen inſtituentem noſſe principium, quo in actione dijudicanda opus eſt. Quoniam vero defectu attentionis ſufficientis notio actionis non rite determinatur, quæ rite determinari poterat, ſi ſufficiente uſus fuiſſet; aliud principium applicat, cui hic minime locus eſt, ſicque in ea applicatione legis naturæ labitur.

§. 519.

Cur ſenſus impediant, quo minus nexum actionis cum fine ultimo perſpicias.

Senſus impediunt, quo minus nexum actionis cum fine ultimo perſpicias. Cum enim leges naturales ſint principia ad perſpiciendum nexum actionis patrandæ cum perfectione ſui aliorumque, atque adeo fine ultimo actionum humanarum (§. 28.), in dato quolibet caſu neceſſaria (§. 79.), nexus actionis cum fine ultimo legis naturalis applicatione innoteſcit. Quoniam itaque ſenſus impediunt, quo minus lex naturæ ad actiones committendas vel omittendas in dato caſu rite applicetur, atque in cauſa ſunt, ut in ejus applicatione facile aberretur (§. 518.), immo ad erronea de actionibus committendis & omittendis judicia nos ſeducunt (§. 512.); iidem omnino impediunt, quo minus nexum actionis cum fine ultimo perſpicias.

Con-

Digitized by Google

Contingit hoc, etiamſi mentis aciem ad hunc gradum elevaveris, ut in dato quolibet caſu actionis cujuscunque cum fine ultimo nexum perſpicias (§. 80.), quatenus ſenſus impediunt attentionem, ſine qua acies iſta non prodeſt. Qui enim ea pollet, nexum perſpicere valet, ſi eadem utitur. Quodſi vero uſus impeditur, perinde omnino eſt, acſi eadem minime inſtructus eſſes. Non quæſtio eſt de eo, quid fieri poſſit, ſed de eo, quid fiat.

§. 520.

Cur ſenſus impediant, quo minus vita perfecta vivatur.

Senſus impediunt, quo minus vita perfecta vivatur. Qui enim vitam perfectam vivere vult, ejus actiones cum perfectione ſui aliorumque, atque adeo cum fine actionum humanarum ultimo (§. 28.), connecti debent (§. 69.), conſequenter neceſſe eſt, ut nexum iſtum perſpiciat. Sed ſenſus impediunt, quo minus nexum actionis cum fine ultimo perſpicias (§. 519.). Quamobrem impediunt, quo minus vita perfecta vivatur.

§. 521.

Cur ſenſus impediant vitam legi naturæ, rationi, naturæ humanæ, voluntati divinæ ac ſapientiæ convenientem, atque ordinatam.

Quoniam qui vitam perfectam vivit, vitam etiam vivit legi naturæ (§. 17.), naturæ ſuæ (§. 53.), rationi (§. 55.), & voluntati divinæ convenientem (§. 56.), atque ordinatam (§. 63.), & actiones ſuas ſapienter dirigit (§. 59.), ſenſus autem impediunt, quo minus vita perfecta vivatur (§. 520.); *ſenſus* quoque *impediunt, quo minus vivas vitam legi naturæ, naturæ tuæ, rationi & voluntati divinæ convenientem atque ordinatam, & quo minus actiones tuas ſapienter dirigas.*

Brevitatis gratia ex principiis generalibus inferimus, quæ ſingula ſigillatim ex principiis propriis demonſtrari poterant. Neque enim uno eodemque reſpectu vita dicitur perfecta, legi naturæ, naturæ ſuæ, rationi & voluntati divinæ conveniens, atque ordinata, & ſapienter directa. Cui adeo volupe fuerit, is demonſtrationes ex principiis propriis contexendas ipſemet tentet.

Digitized by Google

§. 522.

Cur ſenſus impediant culturam virtutis.

Similiter quoniam in actibus ſuis perfectionem ſui aliorumque directe intendere debet, qui vitam perfectam vivere ſtudet (§. 34.), & qui hoc facit, virtutem colit (§. 45.), ſenſus autem impediunt, quo minus vita perfecta vivatur (§. 520.); *ſenſus* quoque *impediunt, quo minus virtus colatur.*

§. 523.

Quomodo imaginatio nos ſeducat ad erronea de actionibus judicia.

Si ſenſus ſemel ad erroneum de actione judicium nos ſeduxerunt, imaginatio poſthac facilius ſeducit, tantoque facilius, quo ſæpius eandem actionem commiſimus. Etenim ſi ſenſus ſemel ad erroneum de actione judicium nos ſeduxerunt, oblata denuo occaſione eandem actionem committendi, judicii illius meminimus (§. *117. 174. 226. Pſych. empir.*), Cumque etiam meminerimus voluptatis, vel moleſtiæ ex actione perceptæ, ob quam eandem bonam, vel malam judicavimus; certi nobis videmur actionem eſſe bonam, vel malam (§. *567. Log.*), adeoque tanto facilius judicamus actionem eſſe bonam, vel malam. Quamobrem ubi ſenſus ſemel ad erroneum de actione judicium nos ſeduxerunt, imaginatio poſthac facilius ſeducit. *Quod erat unum.*

Verum enim vero ſi nobis rem tanquam bonam confuſe repræſentamus, ideam boni ingrediuntur voluptates quæcunque ex re iſta, vel cum eadem antea ſimul perceptæ (§. *593. Pſych. empir.*), & ſi nobis eam tanquam malam confuſæ repræſentamus, ideam mali ingrediuntur tædia quæcunque ex re iſta, vel cum eadem ſimul antea percepta (§. *594. Pſych. empir.*). Quamobrem quo ſæpius eandem actionem commiſimus, vel etiam ab aliis commiſſam obſervavimus, eo plures voluptates, vel plures mo-

moleſtiæ ideam boni, vel mali ingrediuntur, adeoque actioni, quæ judicatur bona, tanto major bonitas tribuitur, & viciſſim actioni, quæ judicatur mala, tanto major tribuitur mali gradus. Unde ad ferendum judicium erroneum tanto ſumus proniores, quo ſæpius eandem actionem commiſimus, conſequenter ubi ſenſus ad erroneum de actione judicium nos ſeduxerunt, imaginatio poſthac facilius ſeducit. *Quod erat alterum.*

Probe hic conſideranda ſunt, quæ de influxu imaginationis in ideam boni & mali confuſam oſtendimus (*§. 593. 594. Pſych. empir.*), & quæ de vi experientiæ domeſticæ ſuperius (§. 271. & ſeqq.) demonſtravimus, mutatis mutandis ad præſens negotium applicanda. Major imaginationis vis eſt, quam vulgo attenditur, utut eandem quotidie percipiant omnes. Plurimum tamen refert, ut eam intime perſpicias, ut fallaciam ejus, quod apparet, tanto clarius detegas. Commendamus igitur principiorum, quæ in demonſtrationibus adhibentur, generalium ad caſus particulares, quos ipſimet experti ſumus, vel in nobis, vel in aliis, applicationem. Etſi enim in diſciplinis, ubi veritatis theoriæ tantummodo habetur ratio, opus non ſit, repetitis vicibus in caſibus particularibus demonſtrari, quod in genere demonſtrari poteſt; ad praxin tamen mirifice conducit, ſi rationes ſingulares, cur quid bonum vel malum appareat, & cur continuo appareat majus, quam antea videbatur, diſtincte agnoſcis. Alia longe ratio eſt theoriæ, quæ in appetitum influit, quam ejus, quæ in aſſenſu terminatur. Hic in demonſtratione generali acquieſcere licet; aſt non ibi, ſi quidem appetitum in ordinem redigere ſerio velis,

§. 524.

Cur imaginatio nos facilius ſeducat

Quodſi ergo ſenſus nos ſemel ſeduxerunt ad actiones malas committendas, bonas vero omittendas, imaginatio poſthac ſeducet facilius, tantoque facilius, quo ſæpius eandem actionem itera-

ad male agendum. *ravimus.* Vi propoſitionis præcedentis (§. 523.) eodem modo id oſtenditur, quo ſupra oſtendimus, ſenſum nos ſeducere ad actiones malas committendas, bonas vero omittendas (§. 513.).

Inde eſt, quod propoſitum male agendi continuo evadat firmius, ſi in eodem ſubſiſtis, nec tempeſtive fallaciam boni vel mali apparentis detegas. Sane cum influxus imaginationis in ideam boni & mali & hac mediante in appetitum & averſationem vulgo non agnoſcatur; renitentia quædam oritur, ubi rationi aſſenſum præbere debes, quam ubi in te experiris. quid tamen & undenam ea ſit, minime agnoſcis, veritas manifeſta ſuſpecta evadit, ut in aſſenſu præbendo vel hæſites, vel quem modo præbuiſti, mox iterum revoces ac erroneum judicium vero præferas. Abunde igitur intelligitur, quam ſit neceſſarium ut in fallaciam notionum deceptricium omni ſtudio inquiramus.

§. 525.

Quomodo imaginatio impediat, ne propoſiti & legis naturæ meminerimus. *Si multa phantasmata in imaginatione ſibi invicem ſuccedunt, ne propoſiti noſtri ſimus memores, nec legis naturæ recordemur contingit.* Etenim ſi multa phantasmata in imaginatione ſibi invicem ſuccedunt, attentio difficulter conſervatur (§. *241. Pſych. empir.*). Enimvero defectu attentionis ad actiones noſtras contingit, ne propoſiti noſtri meminerimus, nec legis naturæ, ad quem actio exigenda, recordemur (§. 514.). Quamobrem ſi multa phantasmata in imaginatione ſibi invicem ſuccedunt, ne propoſiti noſtri ſimus memores, nec legis naturæ recordemur contingit.

Nimirum phantasmata vi imaginationis producta continuo in ſe trahunt attentionem, quam ad actionem afferre debebas, nec facile eſt eam inde retrahere, cum ſemper adſit ratio, cur non pro-

Digitized by Google

prodeant phantasmata (*§. 109. Pſych. empir.*), quæ attentionem ad ſe rapiunt.

§. 526.

Si multa phantasmata in imaginatione ſibi invicem ſuccedunt, imaginatio impedit, quo minus legem naturæ ad actiones committendas vel omittendas applicemus. Vi propoſitionis præcedentis colligitur eodem modo, quo ſupra evicimus, ſenſus impedire, quo minus legem naturæ ad actiones committendas, vel omittendas applicemus (§ 516.). *Quomodo imaginatio impediat, ne actiones ad legem naturæ exigamus.*

Obliviſcimur examinis actionis inſtituendi, cujus patrandæ occaſio offertur, atque adeo negligitur, cum de eo nequidem cogitemus.

§. 527.

Si multa phantasmata in imaginatione ſibi invicem continuo ſuccedunt, imaginatio impedit, quo minus lex naturæ ad actiones committendas vel omittendas in dato caſu rite applicetur; atque in cauſa eſt, cur in ejus applicatione facile aberretur. Etenim ſi multa phantasmata in imaginatione ſibi invicem ſuccedunt, attentio ad actionem præſentem difficulter conſervatur (§. *241. Pſych. empir.*). Aſt ſi ad eam attentio difficulter conſervatur, lex naturæ rite applicari nequit, & in ejus applicatione facile aberratur (§. 517.). Quamobrem ſi multa phantasmata ſibi invicem ſuccedunt, imaginatio impedit, quo minus lex naturæ ad actionem committendam, vel omittendam in dato caſu rite applicetur, atque in cauſa eſt, ut in ejus applicatione facile aberretur. *Quomodo imaginatio impediat rectam legis naturæ applicationem.*

§. 528.

Imaginatio impedit, quo minus actionis cum fine ultimo nexum perſpicias. Oſtenditur eodem prorſus modo vi propoſi- *Quomodo imaginatio*

Digitized by Google

impediat, ne actionis cum fine ultimo nexum perſpicias.

poſitionis præcedentis (§. 527.), & ſuperioris de ſeductione ad erronea judicia (§. 523.), quo ſupra demonſtravimus, ſenſus impedire, quo minus actionis cum fine ultimo nexum perſpicias (§. 519.).

Quodſi imaginatio impedit, quo minus actionem ad legem naturæ rite exigas, tanto facilius aurem præbes erroneo judicio, quod ſenſus atque imaginatio inſinuant. Ac ideo in probanda quoque veritate propoſitionis præſentis habenda eſt ſeductionis ad erroneum judicium ratio.

§. 529.

Quomodo imaginatio impediat, quo minus vitam legi naturæ conformem vivas, & virtutem colas.

Imaginatio impedit, quo minus vitam perfectam & legi naturæ, naturæ humanæ, rationi ac voluntati divinæ conformem vivas, quo minus vitam vivas ordinatam, actiones tuas ſapienter dirigas ac virtutem colas. Demonſtratur eodem prorſus modo, quo paulo ante idem de ſenſu oſtendimus (§. 520. 521. 522.).

Ex hactenus demonſtratis patet, non minus imaginationem, quam ſenſum duplici modo impedire, quo minus actiones noſtras ita dirigamus, quemadmodum debebamus, nimirum quatenus ad erronea de actionibus judicia nos ſeducunt, ut bonæ reputentur, quæ malæ ſunt, & in cenſum malarum referantur, quæ ſunt bonæ, & quatenus attentionem ab eo, quod agendum, avertunt. Hinc omnino deduximus, quæcunque de impedimentis demonſtravimus, quæ ſenſus atque imaginatio in directione actionum noſtrarum nobis creant. Unde ſi quis ea removere, vel obviam advertere voluerit, ad hæc duo potiſſimum reſpicere debet: id quod notaſſe plurimum prodeſt in omni praxi.

§. 530.

Influxus affectuum in attentionem.

Affectus omnium maxime attentionem trahunt in objectum, circa quod verſantur. Affectus enim cum inſigni voluptatis vel tædii gradu conjunguntur (§. 606. *Pſych. empir.*).

Digitized by Google

pir.). Quoniam igitur voluptatem iſtam vel tædium percipimus ex objecto, circa quod verſantur, quod per ſe patet, in ea autem re attentionem noſtram defigimus, & defixam in eadem retinemus, ex qua voluptatem percipimus (§. 371. *Pſych. rat.*), & præterea objecti illius, quod voluptatem iſtam inſignem vel tædium creat, nobis magis conſcii ſumus, quam ceterorum, quæ ſimul percipiuntur, quod nemo non in quovis affectu in ſeipſo experitur, conſequenter id ipſum ceteris percipitur clarius (§. 25. 235. *Pſych. empir.*), attentio autem in id dirigitur, quod clarius percipiatur (§. 367. *Pſych. rat.*); affectus omnium maxime attentionem in objectum, circa quod verſantur, trahunt.

Patet idem a poſteriori in quolibet affectuum genere & qualibet ejus ſpecie. Conſtat enim affectus præſertim vehementiores ita turbare animum, ut, dum iis commovetur animus, non ſis tibi conſcius niſi affectus præſentis ac objecti, circa quod verſatur, immo haud raro ne de hoc quidem diſtincta ſit cogitatio. Sola igitur experientia fretus nemo in dubium revocat, affectus omnem attentionem in ſe trahere & a ceteris, quæ vel ſenſu, vel vi imaginationis percipiuntur, avertere.

Occurrendum hic eſt objectioni, quam movere poterat in operibus noſtris philoſophicis verſatus. Oſtendimus (§. 372. *Pſych. rat.*), ſi ex re quadam tædium percipitur, ab ea attentionem averti; in demonſtratione autem propoſitionis præſentis ex eo, quod tædium percipitur ex objecto, circa quod affectus verſatur, infertur, affectum in ſe trahere attentionem. Videntur adeo hæc inter ſe pugnare. Tenendum itaque, in Pſychologia rationali, quemadmodum non minus demonſtratio, quam exemplum illuſtrationis gratia adductum loquitur, ſermonem eſſe de eo caſu, ubi tædium ceſſat, attentione ab objecto averſa, ita ut averſio attentionis ſpectetur tanquam medium evitandi tædium.

Aliter vero ſeſe res habet in affectibus moleſtis, in quibus tædium ſpectatur tanquam indeclinabile aut declinatu ſaltem difficile, quod tamen a nobis abeſſe mallemus. Hanc differentiam ſi perpendis, facile videbis, nullam adeſſe rationem in caſu priori, cur animum ad id, quod tædium creat, attendas; ſufficientem vero attentionis rationem adeſſe in poſteriori.

§. 531.

Quomodo attentionem impediant affectus.

Quoniam *affectus* omnium maxime *attentionem* trahunt in objectum, circa quod verſantur (§. 530.); eandem a *ceteris, quæ ſimul percipiuntur, avocant, vel impediunt, quo minus ad alia animum attendere poſſis.*

Omnium optime hoc experiri licet eo in caſu, ubi adſunt rationes, cur attentionem conſervare velimus, affectus autem impediunt, quo minus eam conſervare poſſimus.

§. 532.

Quomodo impediant attentionem ad actiones.

Quodſi ergo *actio, ad quam attentio afferenda, fuerit contraria ei, ad quam tendit affectus; vel ab eadem diverſa; hi impediunt attentionem ad eandem afferendam* (§. 531.).

Actiones, quæ hic conferuntur, tam poſitivæ, quam privativæ eſſe poſſunt, ita ut vel utraque ſit poſitiva, vel utraque privativa, vel denique altera poſitiva, altera vero privativa: id quod probe notandum, ne in applicatione præter rationem hæreas.

§. 533.

Quomodo affectus impediant memoriam propoſiti & recordationem legis naturalis.

Affectus impediunt, quo minus propoſiti noſtri ſimus memores, & quo minus legis naturæ recordemur. Vi principii præcedentis (§. 532.) eodem modo oſtenditur, quo paulo ante (§. 525.) evicimus, imaginationem impedire, quo minus propoſiti meminerimus, vel quo minus legis naturæ recordemur (§. 514.).

Quoniam affectus magis impediunt attentionem, quam imaginatio, nullo affectu præſente, quod ſupra ſuppoſuimus (§. 525.);

Digitized by Google

ubi de hac ſola verba facimus; propoſiti quoque memoria & legis naturæ recordatio affectuum impetu magis impeditur, quam ſola vi imaginationis: id quod ideo notandum, quia impedimentum majus difficilius tollitur, quam minus. Quam difficilis ſit pugna adverſus affectus, ut victoria cedat rationi, ſuo patebit loco, quando de iisdem compeſcendis agemus.

§. 534.

Quomodo affectus impediant applicationem legis naturæ & cognitionem nexus actionis cum fine ultimo.

Quodſi affectus in cauſa ſunt, ut attentio difficulter conſervetur ad actionem patrandam, impediunt, quo minus legem naturæ rite applices, & quo minus nexum actionis cum fine ultimo perſpicias. Demonſtratur eodem prorſus modo, quo ſupra idem oſtendimus de imaginatione (§. 527. 528.).

Hic caſus obtinet, quando de actione committenda vel omittenda deliberandum, ubi affectu quodam commovetur animus, veluti ſi gaudio effertur, vel triſtitia angitur, vel metu urgetur. Quamobrem ſi experimentum capere volueris, ad hos potiſſimum caſus animum attendere debes. In aliis enim caſibus, in quibus de actione ad legem naturæ componenda ne quidem cogitatur, nulla prorſus legis naturæ fit applicatio, atque adeo nec de nexu actionis cum fine ultimo ſollicitus es.

§. 535.

Affectuum tendentia ad agendum & non agendum.

Affectus tendunt ad agendum & non agendum. Sunt enim actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum nemo non ignoret, appetitionibus reſpondere actiones alias ſive internas, ſive externas poſitivas, & averſionibus actiones ſive internas, ſive externas negativas, cumque ab averſione, quæ oritur ex repræſentatione mali (§. 582. *Pſych. empir.*), pendeat appetitio mali declinandi, quemadmodum obvia experientia conſtat; quin affectus tendant ad agendum & non agendum dubitari nequit.

Digitized by Google

Quodſi hanc tendentiam affectuum ad agendum & non agendum experiri volueris, probe a ſe invicem diſtinguendi ſunt affectus jucundi a moleſtis, & utrique a mixtis. Jucundi in appetendo conſiſtunt (*§. 608. Pſych. empir.*), & ex confuſa boni repræſentatione oriuntur (*§. 589. 605. Pſych. empir.*), atque adeo tendunt ad bonum abſens conſequendum, & ad præſentis conſervationem ac fruitionem, id quod in caſu ſpeciali affectus uniuscujusque jucundi clarius eluceſcit. Affectus moleſti in averſando conſiſtunt (*§. 609. Pſych. empir.*), & ex confuſa mali repræſentatione oriuntur (*§. 590. 605. Pſych. empir.*), adeoque tendunt ad malum abſens avertendum, & ad liberationem a præſente: id quod denuo in caſu ſpeciali affectus cujuslibet moleſti clarius elucet. Quamobrem cum mixti ex jucundis & moleſtis conſtent (*§. 610. Pſych. empir.*); quid de hiſce ſit ſentiendum, ex dictis facile colligitur. Sed ſpecialiora ſuo loco reſervantur, ubi de emendatione voluntatis acturi ſumus in Philoſophia morali.

§. 536.

Quod affectus abripiant ad agendum & non agendum.

Quoniam affectus ad agendum & non agendum tendunt (§. 535.); *ſi nihil obſtet, quo minus agamus, vel non agamus, affectuum impetu ad agendum vel non agendum abripimur, aut, ſi deſit occaſio agendi, agendi vel non agendi propoſitum naſcitur* (§. *503. Part. I. Theol. nat.*).

Experientia veritatem propoſitionis præſentis adeo aperte loquitur, ut ad exempla provocare velle ſupervacaneum exiſtimemus (*§. 666. Log.*). Et nemo non novit, ſi actionem appetimus, eam ſtatim conſequi, niſi adſit ratio, quæ impedit, in contrarium. Similiter cuilibet ſatis ſuperque notum eſt, ſi actionem averſamur, ab ea nos abſtinere, niſi ratio fortior in contrarium agere recuſantem ad agendum veluti invitum determinet.

§. 537.

Quando affectuum im-

Quodſi ergo actio, ad quam tendit affectus, ſive poſitiva, ſive privativa fuerit, legi naturali contraria, affectuum impetu abri-

abripimur ad edendas actiones legi naturæ contrarias (§. 536.), conſequenter cum legem naturæ transgrediamur, ſi committimus actiones, quæ juxta eam omittendæ, vel eas omittimus, quæ vi ejusdem fuerant committendæ (§. 139. *Part. I. Phil. pract. univ.*), *ſi affectus tendunt ad actionem legi naturæ contrariam, eorum impetu ad legem naturæ transgrediendam abripimur.* *petu abripiamur ad legem naturæ transgrediendam.*

Propoſitio præſens probe perpendenda, ne quis ſecus de affectibus ſtatuat, quam fert veritas, eosque prorſus damnet, quaſi nullam in cuſtodia legis naturalis habere poſſint uſum, & per ſe rationi repugnent. Quam noxium enim ſit hoc præjudicium, tum ex ſequentibus, tum ex iis, quæ alibi demonſtrabuntur, conſtabit.

§. 538.

Quomodo affectus alia de cauſa orti impediant actionem legi naturæ convenientem.

Si data quacunque occaſione agendi affectus alia quacunque de cauſa oriuntur, quo minus bene & recte, ſeu legi naturæ convenienter agas, impediunt. Etenim ſi data occaſione agendi affectus alia quacunque de cauſa oriatur, attentio ad actionem impeditur (§. 531.), conſequenter is obſtat, quo minus legis naturæ recorderis (§. 514.), aut eam rite applices (§. 534.). Quamobrem facile contingit actionem aliter determinari, quam lex naturæ exigit, adeoque non bene & recte agi (§. 153. 189. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Patet itaque ſi data quacunque occaſione agendi affectus alia quacunque de cauſa oriuntur, eos impedire, quo minus bene & recte, ſeu legi naturæ convenienter agas.

Hoc affectibus cum ſenſu (§. 521) atque imaginatione commune eſt (§. 529): vis vero illa, qua affectus abripiunt agentem ad actiones legi naturæ contrarias (§. 537.), ipſis propria. Nimirum duo ſunt caſus, in quibus affectus impediunt, quo minus actionem legi naturali convenienter determines. In altero affe-

ctus ipſam actionem reſpicit, & ejus intuitu ſuſcitatur: in altero actioni patrandæ nihil commune eſt cum affectu. De caſu priori intelligenda propoſitio præcedens; de poſteriori præſens. Probe tamen unus ab altero diſtinguendus, cum non modo diverſi ſint, verum etiam hujus diverſitatis ratio habenda ſit in praxi.

§. 539.

Quod affectus impediant vitam perfectam.

Affectus impediunt, quo minus vitam perfectam vivas. Impediunt enim, quo minus legi naturæ convenienter vivas (§. 538.), immo ad legem naturæ transgrediendum agentem abripiunt (§ 537.). Enimvero ſi vitam perfectam vivere velis, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere debes, ſed actiones tuas omnes quoad minima eidem conformare teneris (§. 17.). Affectus adeo impediunt, quo minus vitam perfectam vivas.

Oſtendimus, quod etiam ſenſus (§. 520.) & imaginatio impediant, quo minus vita perfecta vivatur (§. 529). Enimvero ſi demonſtrationem propoſitionis præſentis cum demonſtratione ſuperiori conferre volueris; haud difficulter animadvertes, affectus multo magis impedire vitam perfectam, quam ſenſus atque imaginatio, præſertim ubi affectus agentem ad agendum impetu ſuo abripiunt.

§. 540.

Quomodo affectus impediant vitam naturæ humanæ, voluntati divinæ, ſapientiæ conformem atque ordinatam.

Affectus impediunt, quo minus vitam naturæ humanæ convenientem, voluntati divinæ conformem atque ordinatam vivas, & quo minus actiones tuas ſapienter dirigas. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo idem ſuperius de ſenſu oſtendimus (§. 521.).

Collegimus idem ſuperius ex identitate vitæ, quæ naturæ humanæ ac voluntati divinæ conformis atque ordinata eſt, quæque juxta regulas ſapientiæ dirigitur, cum vita perfecta. Quamobrem cum affectus magis impediant vitam perfectam, quam ſen-

ſenſus; nullum ſupereſſe poteſt dubium, quin etiam magis quam ſenſus impediant, quo minus vitam vivas naturæ humanæ convenientem, voluntati divinæ conformem atque ordinatam, & quo minus actiones tuas ſapienter dirigas. Nolumus eſſe prolixiores: alias haud difficile foret ſingulas hujus propoſitionis partes ex ipſa notione affectuum demonſtrare.

§. 541.

Affectus impediunt, quo minus virtus colatur, & ad vitia hominem abripiunt. Quod affectus impediant, quo minus virtus colatur, oſtenditur eodem modo, quo ſupra evicimus ſenſus hoc impedire (§. 522.). *Quomodo affectus virtutem impediant, ad vitia hominem trahant.*

Poſterius autem oſtenditur hoc modo. Affectus impetu ſuo nos abripiunt ad edendas actiones legi naturæ contrarias (§. 537.). Quamobrem cum vitii ſit actiones contraria ratione dirigere, quam lege naturali præſcribitur (§. *322. Part. I. Phil. pract. univ.*); affectus ad vitia hominem abripiunt.

§. 542.

Si bonum vel malum, ex cujus repræſentatione affectus oriuntur, videtur tale, ſed non eſt; affectus ad erronea de actionibus judicia nos ſeducunt. Cum enim affectus ex confuſa repræſentatione boni vel mali oriantur (§. *605. Pſych. empir.*), actiones, quæ iisdem conveniunt, habentur pro bonis, vel malis. Quodſi ergo contingit, bonum vel malum, ex cujus repræſentatione affectus oriuntur, tantummodo tale videri, non autem eſſe; actiones pro bonis habebuntur atque malis, quæ non ſunt. Quamobrem cum erret, qui affirmat, quod erat negandum, vel negat, quod erat affirmandum (§. *624. Log.*); affectus ad erronea de actionibus judicia nos ſeducunt. *Quando affectus ad erronea de actionibus judicia nos ſeducant.*

Ex.

Digitized by Google

Ex. gr. Ira cum vindictæ cupiditate conjungitur (§. 871. *Pſych. empir.*), adeoque actiones, quæ eandem explent, videntur bonæ. Experimur autem quotidie, quam ſint ad male agendum proni, qui ira commoti agunt, vel agere ſaltem decernunt. Supponit affectus erroneum de bono & malo judicium, cui ortum debet, quod a ſenſu atque imaginatione deducendum (§. 512. 513.). Ex hoc autem errore ſequuntur plures, quatenus affectus impetu abreptus eidem conformiter acturus actionem ex eo bonam vel malam judicat, quod eidem conformis ſit, rationem cur bona vel mala ſit quærens in eo, quomodo ſeſe habeat ad affectum. Ita dum ira commotus impellitur ad vindictæ cupiditatem explendam, actionem tantummodo conſiderat, quatenus ad eam explendam facit. Hinc noto notius eſt, quod affectibus dicamur impelli ad male agendum. Accuſantur affectus in judice injuſto, quod non ſecundum leges ferat ſententiam, & præpoſterus amor accuſatur in parente, qui in filios degeneres nimia utitur lenitate. Nemo igitur eſt, qui erronea de actionibus committendis vel omittendis judicia non referat ad affectus. Atque inde eſt, quod vulgo affectus promiſcue omnes ac nullo facto caſuum diſcrimine male audiant.

§. 543.

Dominium ſenſuum, imaginationis & affectuum quid ſit.

Senſus, imaginatio atque affectus dominari dicuntur, quando in determinandis actionibus, ſepoſita ratione, eorundem tantummodo habetur ratio. Unde *Dominium ſenſuum, imaginationis atque affectuum* conſiſtit in eorundem abuſu in determinandis actionibus liberis.

Habent ſenſus ſuum uſum in rerum cognitione, nec imaginationis auxilio carere poſſumus, ſiquidem operationibus intellectus defungi, & actiones noſtras rite determinare velimus. Immo nec affectus ſuo deſtituuntur uſu, quatenus in ordinem reducti cum ratione conſentiunt. Nemo hæc ignorare poteſt, qui ad Logicam & Pſychologiam perluſtrandam debitam attulit attentionem & eorum recordatur, qui

quæ de ardore agendi ſupra demonſtravimus. Influunt ſenſus & imaginatio in omnes omnino hominum actiones liberas, nec absque iis ulla earum ad actum perduci poteſt. Quamobrem negari haud quaquam poteſt, dari aliquem illorum uſum in actionibus determinandis. Et quem uſum habeant affectus, ex Philoſophia morali abunde conſtabit, ubi eundem expoſituri ſumus. Stante tamen hoc uſu aſſeverari nequit, ſenſus & imaginationem nobis datos ad actiones dijudicandas, utrum bonæ ſint, an malæ, nec affectus ideo datos, ut eorum impetum in agendo ſequamur. Obtinet hic uſus in brutis, qui præter ſenſum, imaginationem, memoriam atque appetitum ſenſitivum non alias habent facultates in actionum determinationem influentes. Aſt hominibus, quos ratio a brutis diſtinguit, ratio data ad ſtatuendum de bonitate & malitia ac rectitudine actionum, & ei convenienter determinanda eſt volitio vel nolitio. Unde abuſus eſt in hominibus, qui uſus fuerat in brutis. Et in hoc abuſu conſiſtit dominium ſenſuum, imaginationis atque affectuum, quod ipſis ab hominibus, brutorum quam hominum more agere volentibus, tribuitur, quaſi hiſce competat jus determinandi actiones. Ineſt huic notioni aliquid fictitii, ubi eam ex notione dominii deducere volueris tanquam ex principio (*§. 959. Part. I. Theol. nat.*): id quod tamen opus non eſt, cum denominationes ſint arbitrariæ. Habenda tamen fictionis hujus ratio eſt, ubi denominationem convenientem eſſe oſtendere volueris.

§. 544.

Servitus moralis eſt ſtatus hominis, quo ſenſuum, imaginationis & affectuum dominio ſubjectus eſt, ſeu in quo ſenſus, imaginatio atque affectus dominantur. Unde *moraliter* dicitur *ſervus ſui ipſius* (idiomate vernaculo ein Sclave von ſich ſelbſt), qui in determinandis actionibus ſuis, ſepoſita ratione, tantummodo rationem habet ſenſuum, imaginationis atque affectuum (§. 543.). *Servitus moralis quid ſit.*

Digitized by Google

Nimirum homo, quatenus facultatibus animæ inferioribus, quas cum brutis communes habet, ſenſu ſcilicet, imaginatione, memoria atque appetitu ſenſitivo, in quo affectus reſident, inſtructus eſt, fingitur inſtar perſonæ a ſeipſo diverſæ, & in hujus dominio eſſe ponitur, ita ut in actionibus ſuis determinandis ſequatur ejusdem judicium, & ejus nutus ſit ipſi loco propriæ voluntatis. Notionem adeo ſervitutis moralis illuſtrabunt, quæ ſuo loco de ſervitute perſonali demonſtrabuntur. Interea vero ſufficere poſſunt, quæ de ſervi notione (*§. 967. Part. I. Theol. nat.*), &, quæ eam ingrediuntur, de notione dominii dicta ſunt, cum de jure DEI in creaturas ageremus (*§. 954. & ſeqq. Part. I. Theol. nat*). Nimirum perſona illa fictitia conſideratur tanquam dominus, eique tribuitur jus diſponendi de actionibus hominis, & homo ſpectatur tanquam ſervus, qui actiones ſuas juxta illius nutum determinare tenetur. Patebit autem ſuo loco, ſi quidem ſervitutem perſonalem phyſicam cum morali conferre volueris, moralem phyſica eſſe multo pejorem, & ſervum moraliter talem magis miſerum eſſe ſervo, qui in ſervitute phyſica detinetur: id quod vulgo non agnoſcitur, cum proh dolor! plurimi mortalium felicitatem ex ſervitute morali metiantur.

§. 545.

Gradus ſervitutis moralis.

Quoniam in ſervitute morali ſeponitur ratio in determinandis actionibus, & ſenſu, imaginatione atque affectibus ſtatur (§. 544.); *quo magis ratio ſeponitur in actionibus determinandis, eo major* quoque *eſt ſervitus moralis.*

Quemadmodum ſervitutis phyſicæ dantur gradus, ita etiam gradus dantur ſervitutis moralis. Oriuntur autem gradus utrobique ex eodem fonte, eoque duplici. Etenim aut omnes omnino actiones liberæ ſubſunt dominio alterius, ita ut in ſervitute phyſica nullius generis dentur actiones, quæ ſervus non teneatur determinare juxta nutum domini, in morali autem omnes promiſcue actiones, qualescunque tandem fuerint, determinentur ope ſenſuum, imaginationis atque affectuum, nec in ullo actionum

num genere rationi concedatur ullus locus, & in eadem actione omnia tribuantur in ſervitute phyſica voluntati & judicio domini, nihil vero prorſus relinquitur arbitrio ſervi; in morali autem in eadem actione nullæ prorſus ſunt partes rationis, ſed ſenſus, imaginatio atque affectus omne ferunt punctum: aut quoad prius actiones quædam excipiuntur, quæ in ſervitute phyſica arbitrio ſervi relictæ ſunt, in morali ex præſcripto rationis determinantur; quoad poſterius quædam circa eandem actionem in phyſica ſervitute relinquuntur arbitrio ſervi, in morali ad rationis normam exiguntur. Hæc qui ad animum revocat, facile intelliget, quam multi dentur ſervitutis utriusque gradus, neque ipſi difficile fuerit in caſu dato de magnitudine ſervitutis ſtatuere. Ceterum quæ hic de gradibus ſervitutis moralis dicuntur, vulgo etiam agnoſcuntur: id quod patet, ſi judicia hominum de alienis actionibus expendere volueris, in quibus dijudicandis ſe acutos præſtant, qui in propriis cœcutiunt. Neque id mirum videri poteſt, cum gradus ſervitutis iſtius ſatis manifeſto in ſenſus incurrant, ut ad eos obſervandos non opus ſit niſi attentione.

§. 546.

Servitus moralis perfecta eſt, quando actiones omnes omni ex parte ſenſuum, imaginationis & memoriæ, appetitus ſenſitivi atque averſationis ſenſitivæ ope determinantur, nullo unquam facto rationis uſu. Aſt *imperfecta* eſt *ſervitus moralis*, ſi non in omnibus actionibus, nec iisdem omni ex parte determinandis ſenſuum tantummodo, imaginationis & affectuum habetur ratio, ſed rationi quoque ſeu facultatibus animæ ſuperioribus ſuæ relinquuntur partes. *Servitus moralis perfecta & imperfecta.*

Servitus moralis dicitur perfecta notioni perfectionis convenienter (*§. 503. Ontol.*). Neque vero mirum videri debet, perfectionem prædicari poſſe de re moraliter mala. Etenim ſervitus moralis in numero entium eſt, adeoque ſi tanquam ens

præciſa moralitate conſideratur, non minus perfectionem ſuam habet, quam ens aliud quodcunque. Denominatio quoque recepta eſt: etenim ſervitus perſonalis, ad cujus imitationem fingitur moralis, quemadmodum in jure realis, dividi ſolet in perfectam & imperfectam. Servitus imperfecta varios admittit gradus; perfecta vero gradus ſupremus eſt, ultra quem alius concipi nequit. Patent hæc per ea, quæ ad propoſitionem præcedentem modo annotavimus (*not. §. 545.*). Vix datur ſervitus perfecta niſi in homine, qui inter bruta educatus nullum unquam cum hominibus aliis commercium habuit, adeoque omni facultatum animæ ſuperiorum ac rationis uſu deſtituitur: qualia exempla alibi commemoravimus, cum de uſu ſermonis in amplificando rationis uſu ageremus (*§. 461. Pſych. rat.*).

§. 547.

Quando brutorum more vivatur.

In ſervitute perfecta homo vivit vitam more brutorum: in imperfecta pro diverſitate graduum nunc magis, nunc minus brutorum more vivitur. Etenim ſi ſervitus fuerit perfecta, in actionibus determinandis tantummodo utitur agens ſenſibus, imaginatione, memoria, appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva ac in iisdem reſidentibus affectibus, ceſſante omni uſu facultatum ſuperiorum, unde pendet uſus rationis (§. 546.). Bruta etiam utuntur ſenſu (§. *754. Pſych. rat.*), imaginatione & memoria (§. *755. 756. Pſych. rat.*), & appetitu ſenſitivo ac averſatione ſenſitiva (§. *757. 758. Pſych. rat.*), in actionibus ſuis determinandis nullo facto rationis uſu, qua carent (§. *762. Pſych. rat.*). Patet itaque in ſervitute morali perfecta homines non aliter actiones ſuas determinare, quam bruta. Quamobrem cum vita moralis ſit complexus illarum actionum, quæ ab appetitu & averſatione pendent (§. 7.); quin in ſervitute perfecta homo vivat vitam more brutorum dubitari haud quaquam poteſt. *Quod erat unum.*

Ser-

Digitized by Google

Servitus moralis imperfecta a perfecta nonniſi in eo differt, quod illa ſeſe extendat ad actiones in univerſum omnes, omnique ex parte, hæc vero ſaltem in nonnullis actionibus, nec ſemper omni ex parte obtineat (§. 546.). Quamobrem quoad quasdam actiones in ſervitute imperfecta brutorum inſtar vivitur pro diverſitate graduum ſervitutis (*per demonſtrata*). *Quod erat alterum.*

Partem primam propoſitionis præſentis illuſtrant exempla hominum inter urſos educatorum (*§. 461. Pſych. rat.*). Neque enim inter vitam urſorum & horum hominum ulla intercedit differentia. Quamobrem quo propius ad ſervitutem perfectam accedit imperfecta, eo propius quoque vita moralis ad vitam brutorum accedit. Hinc vero patet, quam ſit indigna homine ſervitus moralis: dedecet enim hominem vivere brutorum more. Patet porro, quam infenſi ſint virtuti, qui rationem damnant, & ejus uſum ab actionum determinatione excludunt. Revera enim non aliud agunt, quam quod hominem brutis aſſimilari velint. Sed de perverſo hoc præjudicio maximeque nocuo, quo hodie tenentur, qui pietatis ſingularis nomine ſuperbiunt, & virtutem in hypocriſin convertunt, dicemus alibi. Singularem nimirum quandam ſervitutis moralis ſpeciem introducunt, quæ incautis facile imponit. Eam cum non ferat Philoſophia noſtra, nemo mirari debet, quod tot convitiorum & calumniarum plauſtris eandem onerent atque indeſinenter vociferentur, Philoſophiam noſtram virtutem omnem evertere, illam ſcilicet, quæ hominem brutis aſſimilat.

§. 548.

In ſervitute morali non vivitur ſecundum rationem, ſeu vita rationi conformis. Etenim in ſervitute morali in actionibus determinandis ſeponitur ratio, ſolus admittitur ſenſuum, imaginationis, memoriæ & appetitus ſenſitivi atque averſationis ſenſitivæ uſus (§. 544.). Quamobrem *In ſervitute morali non vivi ſecundum rationem.*

non vivitur ſecundum rationem, nec niſi caſu contingit præter intentionem agentis, ut actio edatur rationi conveniens. Vita igitur in ſervitute morali rationi conformis non eſt.

Sane etſi contingat actionem eſſe talem, qualis per rationem determinatur; non tamen ideo committitur, quia rationi conformis, cum convenientiæ cum ratione nulla habeatur ratio, ſed actio non minus committeretur, quamvis e diametro rationi adverſaretur. Ad vitam vero rationi conformem requiritur, ut actionem ideo committas, quia eam rationi conformem agnoſcis, adeoque adeſſe debet intentio agendi ex præſcripto rationis (*§. 66. Part. I. Phil. pract. univ.*), & notitia convenientiæ actionis cum ratione. Si audaces fortuna juvat, ut fine quæſito potiantur, non ideo ſapienter ac prudenter egiſſe dicuntur. Quamobrem ſi non agenti, ſed caſui tribuendum, quod actio rationi non ſit contraria; dici nequit, quod ſecundum rationem egerit. Ita ſi quis egeno continuis precibus ipſum defatiganti, & in plateis inſectanti animo indignabundo dat nummum, ut a moleſtia liberetur, non dici poteſt egiſſe ſecundum rationem, etſi rationi conveniens ſit, ut pauperi det eleemoſynam: neque enim hoc facit, quia rationi conveniens, ſed impetu affectus hoc facit alio prorſus fine.

§. 549.

Servitus moralis vitæ legi naturali conformi adverſa.

In ſervitute morali non vivitur vita legi naturæ conformi. Etenim in ea non vivitur vita rationi conformis (§. 548.) Quamobrem cum vita rationi conformis & vita legi naturæ conveniens iisdem regulis contineatur (§. 57.); in ſervitute morali non vivitur vita legi naturæ conformis.

Oſtenditur etiam hoc modo. In ſervitute morali agens ſubjectus eſt dominio ſenſuum, imaginationis atque affectuum (§. 544.), adeoque in determinandis actionibus unice habetur ratio ſenſuum, imaginationis atque affectuum

ctuum (§. 543.). Enimvero non modo ſenſus (§. 521.), verum etiam imaginatio impedit, quo minus vitam legi naturali conformem vivas (§. 529.), & affectus ad edendas actiones legi naturæ contrarias, adeoque ad eam transgrediendum nos nunc abripiunt (§. 537.), nunc vero obſtant, quo minus eidem convenienter vivatur (§. 538.). Patet itaque in ſervitute morali non vivi vitam legi naturæ conformem.

Quodſi ſubinde caſu contingit, actionem quandam legi naturæ eſſe conformem; de ea eadem notanda ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem modo annotavimus (*not. §. 548.*).

§. 550.

Quando magis adverſetur.

Quoniam vita legi naturali conformis cum ſervitute morali minime conſiſtit (§. 549.); *quo major ſervitus moralis fuerit, eo longius a convenientia cum lege naturæ vita moralis recedit.*

Clarius hoc eluceſcit, ſi ad fontes graduum ſervitutis moralis animum advertere velis, quos modo aperuimus (*not. §. 545.*). Sed non opus eſſe exiſtimamus, ut hæc latius deducamus.

§. 551.

Servitus moralis virtuti inimica.

In ſervitute morali virtuti locus non eſt. In ea enim actiones determinantur ſola ſenſuum, imaginationis atque affectuum ope (§. 544.). Enimvero ſenſus (§. 522.), imaginatio (§. 529.) & affectus impediunt, quo minus virtus colatur (§. 541.), immo affectus ad vitia hominem abripiunt (§. *cit.*). Quamobrem in ſervitute morali virtuti locus non eſt.

Patet adeo, quam ſit abſurdum culturam virtutis in ſervitutis moralis quandam ſpeciem convertere, quemadmodum faciunt Neo-Phariſæi.

§. 552.

Digitized by Google

§. 552.

Felicitas cur cum ſervitute morali minime conſiſtat.

Qui in ſervitute morali degit, felix eſſe nequit. Etenim in ſervitute morali virtuti locus non eſt (§. 551.). Enimvero ſine virtute nemo felix eſſe poteſt (§. *400. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo in ſervitute morali qui degit, felix eſſe nequit.

Paradoxon hoc videbitur multis, cum in ſervitutem moralem homines ſeſe dedant, ut ſint felices: quippe tum demum felices ſeſe arbitrati, ſi ſuo vivant genio. Enimvero felicem eſſe & fortunatum eſſe miſere confundunt; quod præjudicium ſuſtulimus alibi (*not. §. 399. Part. I. Phil. pract. univ.*). Nec perpendunt, felicem eſſe, qui innocua fruitur voluptate (*§. 391. Part. I. Phil. pract. univ.*); felicem vero non eſſe, ſed tantummodo videri, qui nocua fruitur (*§. 392. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ne aqua hæreat circa propoſitionem præſentem, probe ponderandum eſt diſcrimen, quod inter voluptatem nocuam atque innocuam intercedit (*§. 383. 384. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ceterum mirifice prodeſt, ut notionibus iſtis inſtructus experientiam conſulas, & earum luce eandem colluſtres.

§. 553.

In ſervitute morali cur locum non habeat beatitudo.

Qui in ſervitute morali degit, beatus eſſe nequit. In ſervitute enim morali virtuti locus non eſt (§. 551.). Sed ſine virtute nemo beatus eſſe poteſt (§. *381. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui in ſervitute morali degit, beatus eſſe nequit.

Qui veritatem propoſitionis præſentis non capiunt, diſtincta beatitudinis ac virtutis deſtituuntur notione. Integram autem partem primam Philoſophiæ practicæ univerſalis probe perſpectam habere debet, ſiquidem plena lux ipſi affulgere debe-

§. 554.

Dominium

Dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus eſt

eſt vis reſiſtendi ſenſui, imaginationi atque affectibus, ne prævaleant adverſus rationem. *in ſenſus, imaginationem & affectus.*

Nimirum tum ſenſibus, imaginationi atque affectibus dominamur, ſi de eorum uſu ex præſcripto rationis, adeoque ſecundum liberam noſtram voluntatem & noluntatem diſponere valemus: id quod cum notione dominii conſentit (*§. 959. Part. I. Theol. nat.*). Utitur homo facultatibus animæ ſuperioribus, ut rectum faciat uſum inferiorum, & earundem præcaveat atque impediat abuſum.

§. 555.

Unde *Dominus ſuiipſius* eſt in ſenſu morali, qui ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem, eorumque uſum rationi convenienter determinat. *Dominus ſuiipſius quinam ſit.*

Illuſtrandæ huic definitioni inſerviunt, quæ de ſervo ſuiipſius dicta ſunt (§. 544.). Ex ſpeciali autem juris naturalis tractatione demum conſtabit, qualem ſe præſtare teneatur, qui dominus ſuiipſius eſt.

§. 556.

Qui dominus ſuiipſius eſt, ſollicite cavet, ne in determinandis actionibus ſuis latum unguem a lege naturali recedat. Qui enim dominus ſuiipſius eſt, ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtit, ne prævaleant adverſus rationem, eorumque uſum determinat (§. 555). Quamobrem cum ſenſus (§. 518.), imaginatio (§. 527.) & affectus impediant, quo minus legem naturæ rite applices (§. 534.), eidemque convenienter vivas (§. 521. 529. 538.), immo affectus impetu ſuo ad edendas actiones legi naturæ contrarias abripiant (§. 537.), contra præſcriptum rationis (§. 259. 260. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui dominus ſuiipſius eſt, ſollicite cavet, ne in determinandis actionibus ſuis latum unguem a lege naturali recedat. *Quænam ſollicitudo teneat dominum ſuiipſius.*

Digitized by Google

Arcta cuſtodia legis naturalis dominum ſuiipſius, quemadmodum ejus neglectus ſervum ſuiipſius probat. Veritatem hanc minime agnoſcunt, qui legem naturæ tanquam jugum homini impoſitum conſiderant, libertati inimicum.

§. 557.

Uſus & abuſus libertatis in quo conſiſtat.

Uſus libertatis conſiſtit in determinatione voluntatis ad actionem legi naturæ conformem; abuſus vero in determinatione ejusdem ad actionem legi naturæ contrariam. Etenim vi libertatis, qua anima in volendo & nolendo gaudet (§. *942. Pſych. empir*), ſemetipſam determinare poteſt (§. *932. Pſych. empir.*) ad actionem aliquam appetendam vel averſandam. Quoniam actiones tam externæ (§. *953. Pſych. empir.* & §. *567. Part. I. Theol. nat.*), quam internæ experientia teſte ſtatim conſequuntur, quamprimum agere volumus, minime autem conſequuntur, quando agere nolumus; actualitas tam actionis poſitivæ, quam privativæ a libertate animæ dependet (§. *56. 851. Ontol.*). Sunt autem actiones bonæ, quæ legi naturæ conveniunt; malæ ex adverſo, quæ eidem repugnant (§. *153. 244. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum uſus rei conſiſtat in dependentia actualitatis rei cujusdam alterius, quæ mala non eſt, ab eadem; abuſus vero in dependentia actualitatis rei cujusdam, quæ mala eſt, ab eadem (§. *646. Part. I. Theol. nat.*); uſus libertatis conſiſtit in determinatione voluntatis ad actionem legi naturæ conformem, abuſus vero in determinatione ejusdem ad actionem legi naturæ contrariam.

Voluntas determinatur ad actionem legi naturæ conformem, ſi volumus agere, quod lex naturæ præcipit, & non agere, quod prohibet: eadem determinatur ad actionem legi naturæ contrariam, ſi volumus agere, quod lege naturali prohibetur, & non agere, quod eadem præcipitur. Ceterum non minus actionibus privativis, quam poſitivis tribuitur actualitas. Etſi enim

enim actiones privativæ, cum in omiſſione actionis conſiſtant (*§. 24. Part. I. Phil. pract. univ*), ad actum perduci non poſſint; quatenus tamen poſſibile eſt eas committi, & impeditur, quo minus committantur, tanquam actu non commiſſæ ſpectantur. Nimirum etiam privativæ actiones concipiuntur per modum entis, ipſisque tribuitur actualitas, quatenus non perducuntur ad actum, quando ad eum perduci poterant.

§. 558.

Quoniam uſus libertatis in determinatione voluntatis ad actionem legi naturæ conformem; abuſus vero in determinatione ad eidem contrariam conſiſtit (§. 557.); *homo* vero tum vere liber dicendus eſt, quando libertate ſua utitur, non vero quando abutitur; *tum vere liber eſt, ſi voluntatem ſuam ad actiones legi naturæ conformes determinat, minime autem, ſi eandem determinat ad actiones eidem contrarias.* *Quando homo vere liber, quando non.*

Nimirum ſi homo libertate ſua utitur, in determinandis actionibus ſuis aliunde minime dependet; ſi vero abutitur, aliunde dependet, cum ratio adeſſe debeat, cur eas contra uſum libertatis determinet aliter, quam debebat. Independentia iſta quaſi anima libertatis eſt, adeoque ex adverſo dependentia libertatem minuit, nec integram relinquit Sane in agendo magis liber cenſetur, qui ab alterius voluntate minime dependet, quam qui ab eadem dependet. Unde & magis liber exiſtimandus, qui in determinanda voluntate non dependet ab appetitu ſenſitivo, quam qui ab eodem dependet. Clariora hæc ſunt, ubi ad animum revocaveris, quæ paulo ante (*not. §. 544*) de homine inſtar duplicis perſonæ conſiderando monuimus, ut ſcilicet perſona una cenſeatur inſtructa facultatibus animæ inferioribus, altera vero facultatibus ſuperioribus. Etenim tum appetitio ſenſitiva ſpectatur tanquam aliena voluntas, a qua in agendo homo dependet, ſi eidem primas defert. Fictionem hanc abſit ut improbes; utilitatis enim longe maximæ eſt. Ipſe Apoſtolus

Digitized by Google

eandem probat, dum hominem interiorem ab exteriori diſtinguit. Homo enim exterior ipſi eſt, qui facultatibus inferioribus inſtructus nonniſi abuſum ſuperiorum participat: interior autem, qui facultatibus ſuperioribus gaudet gratia divina ad gradum ſublimiorem evectis: id quod probe notari velim. Proderit enim ad mentem viri divini intimius inſpiciendam, & philoſophiam cum ſcriptura in concordiam reducendam.

§. 559.

Vere liber quinam ſit.

Qui dominus ſuiipſius eſt, vere liber eſt: qui ſervus ſuiipſius eſt, vere liber non eſt. Etenim qui dominus ſuiipſius eſt, ſollicite cavet, ne in determinandis actionibus ſuis latum unguem a lege naturali recedat (§. 556.). Sed homo tum vere liber eſt, ſi voluntatem ſuam ad actiones legi naturæ conformes determinat (§. 558.). Qui igitur dominus ſuiipſius eſt, vere liber eſt. *Quod erat unum.*

In ſervitute morali non vivitur vita legi naturali conformis (§. 549.), adeoque ſervus ſuiipſius voluntatem ſuam determinat ad actiones legi naturæ contrarias (§. 544.). Sed qui voluntatem ſuam ad actiones legi naturæ contrarias determinat, vere liber non eſt (§. 558.). Qui igitur ſervus ſuiipſius eſt, vere liber non eſt. *Quod erat alterum.*

Conveniunt hæc notionibus Apoſtoli, qui peccatis ſervire dicit eos, qui legem naturæ transgrediuntur, non quod coacti agant, quod agunt: neque enim voluntas & noluntas cogi poſſunt (*§. 927. Pſych. empir.*); ſed quatenus libertati, quæ in volendo & nolendo eſt (*§. 942. Pſych. empir.*), renunciant, dum ſolo appetitu ſenſitivo brutorum inſtar, quibus nulla in volendo & nolendo libertas eſt (*§. 763. Pſych. rat.*), ad agendum, & eorundem more ſola averſatione ſenſitiva ad non agendum feruntur, vel illa abutuntur, quatenus facultates ſuperiores ſerviunt inferioribus ad male & minus recte agendum. Hæc probe notanda ſunt, ne quis exiſtimet, ei, qui ſervus ſuiipſius eſt, actiones ſuas imputari minime poſſe, cum actiones homini imputentur,

qua-

Digitized by Google

quatenus liberæ ſunt (*§. 532. Part. I. Phil. pract. univ.*). Actiones homini imputantur in ſtatu ſervitutis, quatenus non facit eum libertatis uſum, quem facere poterat ac debebat, & quatenus libertate ſua abutitur, dum non recto uſu facultates ſuperiores ſeſe immiſcent facultatibus inferioribus. Aſſimilantur ſervi ſuiipſius ſervis perſonalibus, qui ſeſe ſponte ſua in ſervitutem dedunt.

§. 560.

Licentia vivendi eſt determinatio actionum ad libitum, ſeu prouti libet, nulla prorſus habita legis naturalis & divinæ ratione. *Licentia vivendi quid ſit.*

Licentia vivendi cum libertate vivendi vulgo confunditur, propterea quod libertati animæ in volendo & nolendo adverſum videtur agere ſecundum regulam, adeoque ſecundum legem (*§. 131. Part. I. Phil. pract. univ.*), quaſi coacta ſit actio, quæ ad legem tanquam ad normam exigenda, quia repugnat appetitui ſenſitivo, qui fertur in contrariam, vel averſationi ſenſitivæ, quæ eam reſpuit. Videtur enim agens agere debere, quod non vult, dum agere debet appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ contrarium.

§. 561.

Qui ſervus ſuiipſius eſt, libertatem in licentiam vivendi convertit. Qui enim ſervus ſuiipſius eſt, in determinandis actionibus ſuis ſepoſita ratione, adeoque lege naturali (§. 57.), ſenſuum, imaginationis atque affectuum tantummodo rationem habet (§. 544.), conſequenter actiones ſuas determinat, prout libet, nulla prorſus habita legis naturalis ratione. Enimvero in determinatione actionum ad libitum nulla prorſus habita legis naturalis ratione licentia vivendi conſiſtit (§. 560.). Quamobrem patet, ſervum ſuiipſius licenter vivere, cumque ſibi videatur libere vivere, dum agit, prouti libet, libertatem in licentiam vivendi convertit. *Quinam libertatem in licentiam vivendi convertant.*

Digitized by Google

Præjudicium, quo libertas vivendi cum vivendi licentia confunditur, admodum noxium eſt. Mala, quæ inde propullulant, quotidie experiuntur, qui in Academiis vivunt. Etenim ſtudioſi, qui libertatem vivendi ſtudioſum facere arbitrantur, eam in vivendi licentiam convertunt, dum ſibi vivere licere exiſtimant, prouti libet (§. 560), non aliam agnoſcentes actionum determinandarum regulam, quam pervulgatum illud: Quod lubet, licet. Hinc videas eos hac ſola de cauſa agere, quod maxime abſurdum, ſi ad rationis normam exigitur, quod actio iſtiusmodi licentiam vivendi manifeſto prodat. Et licentia vivendi atheiſmus practicus ſeſe commendat ſervis ſuiipſius, & ad theoreticum eos invitat.

§. 562.

Quando pars facultatis appetendi una vincat alteram, & quando nosmetipſos vincamus, quando vincamur.

In pugna partis facultatis ſuperioris & inferioris pars illa *vincere* dicitur alteram, quæ adverſus alteram prævalet in actu appetitionis & averſionis determinando. Et *ſeipſum vincere* dicitur, ſi pars ſuperior prævalet adverſus inferiorem, ſeu appetitus rationalis adverſus averſationem ſenſitivam, & averſatio rationalis adverſus appetitum ſenſitivum: *Vinci* autem dicimur, ſi pars inferior prævalet adverſus ſuperiorem, ſeu appetitus ſenſitivus adverſus averſationem rationalem, & averſatio ſenſitiva adverſus appetitum rationalem.

Termini hi dudum recepti fuerunt: id quod probat pervulgatum iſtud Poëtæ:

Fortior eſt qui ſe, quam quam qui fortiſſima vincit
Mœnia

Nimirum quia homo, quatenus habet facultates inferiores cum brutis communes, & ſuperiores ſibi proprias, conſideratur inſtar duarum perſonarum, quarum unam *hominem animalem*, alteram *hominem rationalem*, aut ſi mavis *ſpiritualem* dicere licet, aut ſtylo Apoſtoli illam *hominem exteriorem*, hanc vero *interiorem*, modo notes, in ſcriptura ſacra facultates ſuperiores conſiderari

ſiderari in gradu ſublimiori, ad quem gratia naturam perficiente evectæ ſunt; homo animalis pugnam committere fingitur cum rationali ſeu ſpirituali, & ille hunc vincit, ſi ipſius ſtatur ſententia, & ejus nutui obſequium præſtatur, hic autem illum vincit, ſi ſecundum rationem deciditur, & voluntati liberæ in decernendo & decretum exequendo ſatis fit. Dum vero homo ſpiritualis vincit animalem homo qua ſpiritualis ſeu rationalis vincit ſeipſum qua animalem; aſt ſi animalis vincit ſpiritualem, homo qua ſpiritualis vincitur a ſeipſo, qua animalis eſt. Jam cum homo qua rationalis differat a brutis, quæ animalem naturam cum ipſo communem habent; nemo non videt, quod naturæ humanæ conveniat, ut ſententia hominis rationalis ſtetur. Unde ſeipſum vincere dicitur, qui appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam ſubigit, ut rationali ſatisfiat; dicitur autem vinci, ſi contrarium accidit, quod naturæ humanæ repugnat. Quoniam appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva carnis nomine venit Apoſtolo, homo animalis dici quoque poterat carnalis, multo ſignificantius idiomate vernaculo der fleiſchlich geſinnte Menſch. Velim huc animum advertant tum Scripturæ ſacræ interpretes, tum qui Theologiam moralem condere volunt: hos enim loqui convenit cum Scriptoribus ſacris, illorum vero eſt per determinatas notiones dicta Scripturæ explicare.

§. 563.

Dominus ſuiipſius ſeipſum vincit, & contra. Etenim qui dominus ſuiipſius eſt, ſenſibus imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem (§. 555.). Quamobrem cum ſeipſum vincat agens, ſi pars ſuperior animæ prævalet adverſus inferiorem (§. 562.); dominus ſuiipſius ſeipſum vincit. *Quod erat unum.* *Quinam ſeipſum vincit.*

Ex adverſo ſi quis ſeipſum vincit, appetitus rationalis prævalet adverſus ſenſitivam averſationem, & averſatio ſenſitiva adverſus appetitum rationalem (§ 562.) conſequenter ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne

ne prævaleant adverſus rationem (§. 727. *Ontol.*). Quoniam itaque dominus ſuiipſius eſt, qui ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem (§. 555.); qui ſeipſum vincit, dominus ſuiipſius eſt. *Quod erat alterum.*

Dependentia appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ a ſenſibus atque imaginatione, & viciſſim dependentiam appetitus & averſationis rationalis a ratione ſatis manifeſtum eſſe arbitramur ex Pſychologia empirica, ut adeo opus eſſe minime duxerimus ejusdem uberiore explicatione demonſtrationem propoſitionis præſentis reddi prolixiorem.

§. 564.

Idem uberius explicatur.

Quoniam dominus ſuiipſius dominium in ſenſum, imaginationem atque affectum habet (§. 554. 555.), dominus autem ſuiipſius ſeipſum vincit (§. 563.); *qui dominium in ſenſum, imaginationem atque affectus habet, ſeipſum vincit.* Et eodem modo patet, quod *qui ſeipſum vincit, dominium in ſenſum, imaginationem atque affectus habeat.*

§. 565.

Quænam ſit poteſtas domino ſuiipſius in attentionem.

Qui dominus ſuiipſius eſt, ſeu dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, is, ad actionem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferre poteſt ac ſolet attentionem, eandemque inter vehementes objectorum in organa ſenſoria actiones, quamdiu neceſſe eſt, conſervare, & , ſi quod objectum aliud eam in ſe trahit, eandem ſtatim inde retrahere valet. Qui enim dominus ſuiipſius eſt, ſenſui, imaginationi atque affectui reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem (§ 555.), conſequenter actiones ſenſuum, imaginationis atque affectuum impedit (§. 727. *Ontol.*). Sed ſenſus impediunt attentionem, quam ad actionem præſentem afferre debemus (§. 238. *Pſych. empir.*), & ubi multa phantaſmata in imaginatione ſibi invicem ſuccedunt, attentio ad eandem diffi-

Digitized by Google

difficulter conſervatur (§. *241. Pſych. empir.*): affectus vero omnium maxime attentionem trahunt in objectum, circa quod verſantur (§. 530.), adeoque ab actione, ad quam animum attendi neceſſe eſt, avocant (§. 531. 532.). Quoniam itaque dominus ſuiipſius efficere valet, ne hoc fiat (§. *554. h.* & §. 727 *Ontol.*); ad actionem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferre poteſt ac ſolet attentionem, eandemque inter vehementes objectorum in organa ſenſoria actiones, quamdiu neceſſe eſt, conſervare, &, ſi quod objectum aliud eam in ſe trahit, eandem ſtatim inde retrahere valet.

Id agimus, ut oſtendatur, quomodo dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquiratur, ut de eorum uſu pro arbitrio noſtro, ex præſcripto rationis, diſponere poſſimus. Neceſſe igitur eſt, ut doceamus, quænam ad hoc dominium requirantur. Quoniam dominium iſtud conſiſtit in vi reſiſtendi ſenſui, imaginationi atque affectibus, ne adverſus rationem prævaleant (§. 554.); ideo neceſſe eſt, ut, qui dominus ſuiipſius eſt, impedimenta, quæ faceſſunt ſenſus, tollere valeat. Arduum in Moralibus problema eſt de modo acquirendi dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus. Danda igitur opera eſt, ut rite ſolvatur: quod ut fieri poſſit, quænam ad hoc requirantur, demonſtrandum.

§. 566.

Quid valeat dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus in actionibus juxta legem naturæ exigendis,

Dominus ſuiipſius, ſeu qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, impediri nequit, quo minus data agendi occaſione propoſiti ſui meminerit, legis naturæ, ad quam exigenda actio, recordetur, eandemque ad actionem applicare queat, vel rite applicet. Etenim qui dominus ſuiipſius eſt, qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, ad actionem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferre poteſt ac ſolet attentionem, eandem-

que inter vehementes objectorum in organa ſenſoria actiones, quamdiu neceſſe eſt, conſervare. &, ſi quod objectum aliud eam in ſe trahit, eandem ſtatim inde retrahere valet (§. 565.). Quamobrem cum defectu attentionis ad actiones noſtras contingat, ne propoſiti ſimus memores, nec legis naturæ, ad quam exigenda actio, recordemur (§. 514.), &, ubi ejusdem meminimus, ne eam rite applicemus (§. 517.); qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, ſeu dominus ſuiipſius eſt, data occaſione agendi impediri nequit, quo minus propoſiti ſui memor ſit, legisque naturæ, ad quam exigenda actio, recordetur, eandemque ad actionem applicare queat, vel rite applicet.

Qui dominus ſuiipſius eſt, is reſiſtere valet omni impedimento, quod attentioni objicitur (§. 565.), adeoque de actu attentionis diſponere poteſt pro arbitrio ſuo, conſequenter, cum in favorem rationis diſponit (§. 555.), quomodo jubet ratio. Quamobrem quæcunque attentionis defectui imputanda, ea ceſſant. Quam ardua vero ſint, quæ hinc pendent, & quam adeo neceſſarium ſit, ut attentio ſufficiens ad agendum afferatur, &, quantum neceſſe eſt, conſervetur, ex propoſitione præſente abunde patet. Ecquid enim juvat bonum propoſitum, niſi ejus memineris, quando meminiſſe debes? Quid juvat noſſe legem naturæ, niſi ejusdem recorderis? Quid juvat, legem naturæ continuo quaſi ob oculos verſari, niſi eam rite applicare valeas? Abunde igitur patet, quantum valeat poteſtas in attentionem.

§. 567.

Idem porro expenditur. *Dominus ſuiipſius, ſeu qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, ad erronea de actionibus ſuis judicia a ſenſu & imaginatione ſe ſeduci, & impetu affectuum ad legem naturæ transgrediendum ſe abripi minime patitur.* Qui enim dominus ſuiipſius eſt, ſenſui, imaginationi atque affectui reſi-

reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem (§. 555.), conſequenter actiones ſenſuum, imaginationis atque affectuum impedit (§. 727. *Ontol.*). Quamobrem ubi ſenſus (§. 512.) atque imaginatio eum ad erronea de actionibus committendis judicia ſeducere volunt (§. 523.), & affectus ad legem naturæ transgrediendum eum abripere tentant (§. 537.); nec ad illa ſe ſeduci, nec ad legis naturæ transgreſſionem ſe abripi patitur.

In dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus prævalet ratio, adeoque huic convenienter determinantur actiones. Quodſi excipias, fieri poſſe, ut quis per errorem judicet de actionibus, quod falſa ipſi ſint de lege naturali principia, conſequenter eo tendat, quo ſenſus, imaginatio & affectus eum trahunt, etiamſi rationem audire ſibi videatur; dubium hoc evaneſcet, ubi perpenderis, errores iſtos ad ſenſus, imaginationem atque affectus tandem referendos eſſe, ſi accurata diſcuſſione facta ad fontem ſuum reducantur, neque iſtum ſenſibus, imaginationi atque affectibus perfecte adhuc dominari, qui iisdem locum concedit.

§. 568.

Quomodo dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquiratur.

Si quis dominium in ſenſus, imaginationem atque affectum acquirere voluerit, 1) in ſe excitet ardorem legem naturalem ſervandi (§. 412.), eamque non transgrediendi (§. 414.); 2) ad hunc acuminis gradum mentis aciem elevet, ut in dato quolibet caſu actionis cujuscunque cum fine ultimo nexum perſpicere valeat (§. 80 85.); 3) notionem diſtinctam actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, acquirendi facultatem ſibi acquirat (§. 93); 4) attentionem inter vehementes objectorum actiones in organa ſenſoria conſervandi (§. 249. Pſych. empir.), & in actione data, quamdiu opus eſt, retinendi (§. 250. Pſych empir.), immo ad quamlibet actionem eandem afferendi potentiam ſibi comparet (§. 252. 253. Pſych. empir.); 5) conſuetudinem contrahat actionem patrandam

Digitized by Google

ad examen revocandi, ſeu de ejus nexu cum fine ultimo, vel convenientia cum lege naturali cogitandi. Etenim ſi ardore flagras nil quicquam faciendi, quod legi naturali adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme, propoſitum ſervandi legem naturæ eamque non transgrediendi ſubſiſtit, ſeu firmum eſt (§. 429.). Quamobrem ubi conſuetudinem contraxiſti actionem patrandam ad examen revocandi, ſeu de ejus convenientia cum lege naturali cogitandi, propoſiti hujus ſemper memor es (§. 433.). Quoniam itaque ad hunc acuminis gradum mentis aciem elevaſti, ut in dato quolibet caſu actionis cum fine ultimo nexum perſpicere valeas; cum finis ultimus actionum humanarum ſit perfectio ſui aliorumque (§. 28.), ad quam vi legis naturalis tendere debent (§. *167. 223. Part. I. Phil. pract. univ.*), leges naturales ad actionem datam applicandæ tibi in promptu ſunt. Et quia præterea notionem diſtinctam actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, acquirere potes, & attentionem omnem ad eandem afferre, nulloque modo impediendam tamdiu conſervare vales, quamdiu opus eſt; legem quoque naturæ ad actionem datam rite applicabis (§. *1223. 1224. Log.*). Quamobrem ſenſus atque imaginationem ad erronea de actionibus judicia te ſeducere non pateris, ad quæ hominem ſeducere ſolent (§. 512. 513.), nec attentionem ab actione patranda avertere poſſunt, quemadmodum alias faciunt (§. 515. 525.). Cum igitur noris, quid ſit agendum, & actionem iſtam committere velis, vel nolis; nulla quoque adeſt ratio, cur affectu ad legem naturæ transgrediendum te abripi patiaris, quemadmodum alias accidere ſolet (§. 537.), conſequenter te ad eam transgrediendum abripi minime pateris (§. *70. Ontol.*). Dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, qui

qui impediri nequit, quo minus ad actionem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferat attentionem, eandemque, quamdiu opus, in eadem retineat (§. 565.), nec impediri poteſt, quo minus propoſiti ſui memor legem naturæ rite applicet (§. 566.), nec ad erronea de actionibus ſuis judicia a ſenſu & imaginatione ſe ſeduci, nec impetu affectuum ad legem naturæ transgrediendum ſe abripi patitur (§. 567.). Quamobrem patet, ſi quis dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere velit, eum ea facere debere, quæ facienda diximus.

Quam difficile ſit dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere, abunde intelliget, qui non modo ex Pſychologia novit, quantæ ſit difficultatis in caſu quolibet attentionem non impeditam pro arbitrio ſuo conſervare, eandemque omnem ad actionem quamcunque afferre; verum etiam ex ſuperioribus intellexit, quot difficultatibus obnoxium ſit ſtudium, quod in acuendo intellectu dijudicandarum actionum gratia, in formandis notionibus actionum diſtinctis, occaſione agendi oblata, & in excitando ardore collocatur. Quamobrem cum absque hoc dominio nemo vincat ſeipſum (§. 564.); porro intelligitur, cur ſeipſum vincere adeo arduum atque difficile reputetur. Neque adeo mirum videri debet, cur dominium iſtud adeo rarum ſit, præſertim plenum atque univerſale, hoc eſt, perfectum.

§. 569.

Differentia dominii univerſalis & particularis.

Dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus dicitur *univerſale*, quod ad quodlibet actionis genus extenditur: *Particulare* autem, quod ultra unum vel alterum actionum genus non extenditur.

Varia actionum ſunt genera: neque omnibus placent eædem. Quamobrem accidit, ut in aliquo actionum genere ſatis cautos & circumſpectos ſe præbeant homines, & verum ab eo, quod apparet, accurate diſcernant, in aliis autem a ſenſibus, imagi-

Digitized by Google

natione atque affectibus toti pendeant. Atque ea de cauſa a dominio particulari ad univerſale non valet conſequentia. Hinc videas homines ex uno aliquo actionum genere de aliis ſtatuentes poſtea mirari, ubi experiuntur prorſus contrarium in aliis actionibus, & obſtupefactos exclamare, quod nunquam putaverint eos alteri eſſe mores. Immo nemo facile erit, qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus, quod in uno aliquo actionum genere facile experitur, in aliis idem non experiatur admodum difficile, immo inſuperabile, ita ut conqueratur, impoſſibile ſibi eſſe, ut ex ſervitute in libertatem ſeſe vindicet, utut ſerio ſibi proponat, quod ab actione iſta in poſterum deſiſtere velit. Dominium adeo particulare ab univerſali non una de cauſa diſtinguendum.

§. 570.

Differentia dominii pleni & minus pleni.

Dominium plenum dicitur, ſi quis omni ex parte ſenſui, imaginationi atque affectibus dominatur: *minus plenum* autem, ſi quis quadam ex parte iisdem dominatur, non tamen ex omni.

Quemadmodum dominium in genere varia involvit jura (*§. 955. & ſeqq. Part. I. Theol. nat.*); ita quoque illa facultas animæ, in qua dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus conſiſtit, per ea, quæ in anterioribus demonſtravimus, non ſimplex, ſed multiplex eſt. Et quemadmodum ibi jura nullo vinculo cohærent, ut a ſe invicem ſeparari pro arbitrio poſſint; ita quoque hæ differentes animæ facultates ſeparationem admittunt. Unde etiam neceſſe eſt ſingulas peculiaribus exercitiis acquiri. Ea de cauſa non modo utile, verum apprime neceſſarium eſt dominium plenum a minus pleno diſtingui.

§. 571.

Differentia dominii perfecti & imperfecti.

Dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus perfectum eſt, ſi fuerit plenum & univerſale: aſt *imperfectum* eſt, ſi fuerit particulare & minus plenum.

Domi-

Dominium perfectum inter ea referendum, ad quæ adſpirandum, ſed quæ conſequi vix ac ne vix quidem datur per humanam conditionem. Imperfectum dominium ob actionum multiplicia genera & diverſos facultatum animæ uſus, qui ad idem requiruntur, infinitis modis variat. Eſt autem plerumque nonniſi particulare & minus plenum.

§. 572.

Perpetuus conſenſus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali in dominio perfecto.

In dominio perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſemper prorſus conſentit. Etenim ad dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus requiritur ardor legem naturæ ſervandi, eamque non transgrediendi (§. 568.), conſequenter ardor committendi actiones legi naturæ convenientes (§ *138. Part. I. Phil. pract. univ.*). & non committendi eidem contrarias (§. *139. Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero in ardore actus voluntatis cupiditate, & actus noluntatis fuga vehemente ſtipatur (§. 218.), nec eidem locus eſt, niſi quod volumus, amemus, & quod nolumus, oderimus (§. 219.). Actiones igitur legi naturæ conformes cupit atque amat, eidem difformes fugit atque odit, qui ſenſibus, imaginationi atque affectibus dominatur. Conſtat præterea gloriam (§. 234. 236.) & acquieſcentiam in ſeipſo (§. 239.), immo in genere affectus jucundos, quibus pro circumſtantiis agentis locus eſt, ardorem agendi, quæ legi naturali conformia ſunt, intendere atque accendere (§. 243.), & ex adverſo pudorem (§. 237.), pœnitentiam (§. 241.) ac in genere affectus moleſtos, quibus pro circumſtantiis agentis locus eſt, ardorem non agendi, quæ legi naturali difformia ſunt, intendere atque accendere (§. 243.). Quamobrem cum affectus ſint actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. *603. Pſych. empir.*); appetitus ſenſitivus & rationalis ad idem objectum tendunt,

tendunt, & averſatio ſenſitiva atque rationalis in eodem objecto concurrunt. Jam vero appetitus ſenſitivus cum rationali conſentit, ſi uterque ad idem tendit objectum (§. *908. Pſych. empir.*), & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit, ſi utraque in eodem objecto concurrit (§. *915. Pſych. empir.*). Patet itaque ad dominium in ſenſus, imaginationem & affectus requiri conſenſum appetitus rationalis & ſenſitivi, itemque averſationis rationalis & ſenſitivæ. Dominium perfectum univerſale eſt atque plenum (§. 571.), adeoque ad omnes actiones, qualescunque tandem fuerint (§. 569.), omni ex parte extenditur (§. 570.). In dominio igitur perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſemper prorſus conſentit.

Ex conſenſu appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali omnium optime colligitur, quantum in dominio in ſenſum, imaginationem atque affectus conſequendo profecerimus, ne nobismetipſis imponentes videamur nobis, qui non ſumus, & ne videantur alii, qui non ſunt. Non tamen adeo facile eſt judicium ab omni prorſus errore exemtum. Etenim in conſenſu appetitus rationalis & ſenſitivi, itemque averſationis rationalis & ſenſitivæ ſupponitur actus appetitus rationalis & averſationis rationalis vero judicio intellectus de bonitate atque malitia actionis elicitus, ſecus enim cum actu appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ confunditur, ut perperam ad rationalem appetitum & averſationem referatur, qui potius, ubi judicium ad fontem erroris reduxeris, ad appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam referri debebat, utpote a confuſa boni & mali repræſentatione, unde error pendet (*§. 631. Log.*), ortus (*§. 580. 581. Pſych. empir.*). Supponitur adeo illa mentis acies, quam ad dominium requiri oſtendimus (§. 568.), in dato quocunque caſu citra errorem judicandi, utrum actio, cujus patrandæ occaſio offertur, legi naturæ conformis ſit, an eidem contrarietur: quod etſi omnium facillime ope ſyſtematis legum natu-

naturalium, quale adhuc deſiderari conſtat (§. 83. 84.), acquiratur, non tamen adeo facile acquiri poſſet, etiamſi ſyſtema iſtud jam in publicos uſus proſtaret. Qui vel in Matheſi verſatus, vel in legendis operibus noſtris philoſophicis induſtriam ſuam exercuit, ut norit, quid ſit, veritates in ſyſtemate demonſtratas animo comprehendere, aſſenſum absque ulla hæſitatione præbebit dictis. Difficultatem quoque teſtatur, quod lubrica ſint hominum de actionum bonitate & malitia judicia, ſi rigoroſo examini ſubjiciuntur, & quod præjudiciis excœcati ſenſibus, imaginationi atque affectibus dominari ſibi videntur, qui in miſera ſervitute morali detinentur. Exempla non e longinquo petenda ſunt, ubi noſtra ætas Phariſæos ab inferis reſuſcitavit, qui, etſi pietate pompoſa ſuperbientes alios præ ſe contemnant, affectibus tamen adeo in transverſum aguntur, ut veram virtutem moralem multis paraſangis poſt ſe relinquant, ſervitutem moralem a dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus minime diſcernentes.

§. 573.

In dominio perfecto nulla unquam datur pugna partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi. In dominio enim perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio cum rationali ſemper prorſus conſentit (§. 572.), conſequenter uterque appetitus idem ſemper appetit (§. *908. Pſych. empir.*), utraque averſatio idem averſatur (§ *915. Pſych empir.*). Quoniam ita nunquam pars una facultatis appetendi appetit, quod altera averſatur; diſſenſus autem in appetendo & averſando pugna eſt partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi (§. *917. Pſych. empir.*); in dominio perfecto nulla unquam datur pugna partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi.

Pugna inter partem ſuperiorem ac inferiorem facultatis appetendi ex dominio perfecto exulans.

Hinc colligitur, quando dominium non ſit perfectum, & quod ad metam, ad quam contendimus, nondum pervenerimus. Pugna facilius animadvertitur, quam conſenſus utriusque appetitus & averſationis, nec circa illam locum habet error, quem-

admodum in hoc æſtimando facillime committitur (*not.* §. *572.*). Ceterum propoſitionem præſentem convertere minime licet, cum etiam in ſervitute perfecta nulla detur pugna, in qua rationis nulla prorſus habetur ratio, adeoque nullus actus appetitus vel averſationis rationalis elicitur (§. 546.). Enimvero abſentia pugnæ in ſtatu ſervitutis perfectæ ab ejusdem abſentia in dominio perfecto haud obſcure diſtinguitur per actum appetitionis & averſationis rationalis, quem in iſto nullum eſſe diximus, in hoc autem abeſſe minime poſſe conſtat (§. 572.).

§. 574.

Conſenſus confuſæ & diſtinctæ boni ac mali repræſentationis in dominio perfecto.

Si dominium fuerit perfectum, quod diſtincte tanquam bonum quoad nos nobis repræſentamus, idem confuſe perceptum ſemper quoque bonum videtur, & contra. Etenim in dominio perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſemper prorſus conſentit (§. 572.). Enimvero appetitus rationalis & ſenſitivus tum inter ſe conſentiunt, ſi quid bonum quoad nos & confuſe, & diſtincte repræſentatur (§. *909. Pſych. empir.*), & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit, ſi quid nobis tanquam malum quoad nos & confuſe, & diſtincte repræſentamus (§. *916. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi dominium fuerit perfectum, quod diſtincte tanquam bonum quoad nos nobis repræſentamus, idem quoque confuſe perceptum ſemper bonum videtur, & contra quod diſtincte tanquam malum quoad nos nobis repræſentamus, idem quoque confuſe perceptum ſemper malum videtur.

In dominio perfecto nihil videtur, niſi quod eſt, ut adeo falſa ſui ſpecie neque bonum, neque malum agenti imponere poſſit unquam.

§. 575.

Conſenſus ſenſuum &

Senſus & imaginatio cum intellectu conſentire dicuntur *in repræſentando bono & malo,* ſi quod intellectus tanquam bonum,

num, vel malum nobis repræſentat, idem quoque ut tale exhibent ſenſus atque imaginatio. Ut adeo *conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu* conſiſtat in identitate diſtinctæ ac confuſæ repræſentationis boni atque mali.

imaginationis cum intellectu.

Nimirum intellectus eſt bonum ac malum diſtincte repræſentare (§. 275. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum omnis boni & mali repræſentatio vel diſtincta ſit, vel confuſa (§. 38. 39. *Pſych. empir.*), conſtet autem ex Pſychologia præter intellectum non dari aliam facultatem cognoſcendi quam ſenſum atque imaginationem; confuſa boni & mali repræſentatio ſenſui relinquitur.

§. 576.

Diſſenſus ſenſuum & imaginationis atque intellectus.

Senſus ex adverſo *& imaginatio ab intellectu diſſentire* dicuntur, *in bono & malo repræſentando*, ſi quod intellectus nobis repræſentat tanquam bonum, idem ſenſus atque imaginatio exhibent tanquam malum; & e contrario quod intellectus nobis repræſentat tanquam malum, idem ſenſenſus atque imaginatio exhibent tanquam bonum. Ut adeo *Diſſenſus ſenſuum & imaginationis atque intellectus* conſiſtat in diverſitate diſtinctæ ac confuſæ repræſentationis boni atque mali.

Repetenda hic ſunt, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus,

§. 577.

Conſenſus perpetuus ſenſuum & imaginationis cum intellectu in dominio perfecto.

In dominio perfecto perpetuus conſenſus eſt ſenſuum & imaginationis cum intellectu, nec ullus unquam inter haſce facultates datur diſſenſus. Etenim in dominio perfecto quod diſtincte tanquam bonum quoad nos nobis repræſentamus, idem confuſe perceptum ſemper quoque bonum videtur, & contra (§. 574.), conſequenter diſtincta atque confuſa boni & mali repræſentatio ſemper eadem, nunquam diverſa eſt (§. 181. 183. *Ontol.*). Sed in identitate diſtinctæ ac

 con-

confuſæ repræſentationis boni atque mali conſenſus (§. 575.), in diverſitate diſſenſus ſenſuum, imaginationis atque intellectus conſiſtit (§. 576.). Quamobrem in dominio perfecto perpetuus eſt conſenſus ſenſuum atque imaginationis cum intellectu, nullus autem unquam inter ſenſum & imaginationem atque intellectum diſſenſus.

Ut hæc probe intelligantur, conſideranda eſt dependentia facultatis appetitivæ a facultate cognoſcitiva, ex iis ſatis aperta, quæ de facultatibus animæ in Pſychologia expoſuimus.

§. 578.

Quando ſenſus & imaginatio cum intellectu conſentiant.

Si ſenſus & imaginatio repræſentant voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio agnoſcitur bonum, & tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus judicio agnoſcitur malum, cum intellectu conſentiunt, & contra. Etenim ſi ſenſus & imaginatio repræſentat voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio agnoſcitur bonum, id tanquam bonum nobis confuſe repræſentamus (§. 561. 593. *Pſych. empir.*), quod diſtincte bonum eſſe agnoſcitur, vel diſtincte tanquam bonum repræſentatur (§. 275. *Pſych. empir.*). Et viciſſim ſi ſenſus & imaginatio repræſentant tædia ex eo percipienda, quæ eodem intellectus judicio mala agnoſcuntur, tanquam mala nobis confuſe repræſentamus (§. 573. 594. *Pſych. empir.*), quæ diſtincte tanquam mala repræſentantur (§. 275. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ſenſus atque imaginatio cum intellectu conſentiunt, ſi, quod tanquam bonum vel malum diſtincte agnoſcitur, tanquam tale etiam confuſe repræſentetur (§. 575.); ſi ſenſus & imaginatio repræſentant voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio bonum agnoſcitur, & tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus judicio agnoſcitur malum, cum intellectu conſentiunt. *Quod erat unum.*

Ex

Ex adverſo ſi ſenſus & imaginatio cum intellectu conſentit, quod tanquam bonum vel malum diſtincte repræſentatur, adeoque intellectus judicio tale agnoſcitur (§. *275. Pſych. empir.*), tanquam bonum vel malum etiam confuſe repræſentatur (§. 575.). Quamobrem cum bonum confuſe repræſentetur per voluptatem, quæ ex eo percipitur, vi ſenſuum atque imaginationis (§. *561. 593. Pſych. empir.*), & malum confuſe repræſentetur per tædia, quæ ex eo percipiuntur, itidem vi ſenſuum atque imaginationis (§. *573. 594. Pſych. empir.*); ſi ſenſus atque imaginatio cum intellectu conſentiunt, voluptatem repræſentare debent ex eo percipiendam, quod intellectus judicio bonum agnoſcitur, & tædia percipienda ex eo, quod eodem judicio agnoſcitur malum. *Quod erat alterum.*

Qui in philoſophia noſtra verſatus eſt, ei abunde perſpectum eſſe debet, bonum quid judicari vel ex eo, quod ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendat, vel ex eo, quod voluptatem inde percipiamus innocuam, & ex adverſo malum quid judicari vel ex eo, quod ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendat, vel ex eo, quod tædia nobis creet. Priori modo ſi bonum repræſentatur, repræſentatio diſtincta eſt; poſteriori modo ſi repræſentatur, confuſa eſt repræſentatio, ab errore tamen immunis, ſi inter voluptatem nocuam & innocuam, quod intercedit diſcrimen, agnoſcitur, & hæc ab illa diſtinguitur. Non tamen opus eſt, ut ad harum differentiam animum advertamus, ubi jam conſtat, id, ex quo voluptatem percipi experimur, ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendere: tum enim verendum non eſt, ne nocua ſit voluptas. Similiter, ſi priori modo repræſentatur malum, diſtincta eſt repræſentatio; ſi vero poſteriori modo repræſentatur, confuſa eſt. Diſtincta repræſentatio ad intellectum; confuſa ad ſenſum & imaginationem, quatenus ſenſu antea percepta animo præſentia ſiſtit, ſpectat. Senſus adeo & imaginatio cum intellectu conſentiunt, ſi bonum quid vel ma-

Digitized by Google

lum repræſentetur tam diſtincte, quam confuſe. Qui principia pſychologica animo probe comprehendit, ei nihil difficultatis ſupereſſe poteſt.

§. 579.

Quando ſenſus & imaginatio ab intellectu diſſentiant.

Si ſenſus & imaginatio repræſentant tædium ex eo percipiendum, quod intellectus judicio agnoſcitur bonum, & voluptatem ex eo percipiendam, quod eodem judicio agnoſcitur malum, ſenſus atque imaginatio ab intellectu diſſentiunt, & contra. Ex notione diſſenſus ſenſuum, imaginationis atque intellectus eodem modo oſtenditur, quo in propoſitione præcedente ex notione conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu demonſtravimus.

Faciunt huc etiam, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Nemo vero non videt, modo principiorum noſtrorum non fuerit ignarus, voluptatem eſſe nocuam, quæ percipitur ex eo, quod intellectus judicio agnoſcitur malum.

§. 580.

Dependentia conſenſus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali a conſenſu ſenſuum & imaginationis cum intellectu.

Si ſenſus & imaginatio in repræſentando malo & bono cum intellectu conſentiunt, appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit, & contra. Etenim ſi ſenſus & imaginatio in repræſentando malo & bono cum intellectu conſentit, ſenſus & imaginatio repræſentant voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio agnoſcitur bonum, & tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus judicio agnoſcitur malum (§. 578.). Enimvero ſi qua ex re voluptatem percipimus, eam appetimus, quamdiu in notione boni confuſa acquieſcimus (§. *591. Pſych empir.*), atque actus appetitus ſenſitivi eſt appetitio, quæ hoc modo elicitur (§. *580. Pſych. empir.*). Et, ſi qua ex re tædium percipimus, eam averſamur, quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus (§. *592. Pſych. empir.*), atque actus aver-

averſationis ſenſitivæ averſio hoc modo elicitur (§. *582. Pſych. empir.*). Similiter, quamprimum nobis aliquid diſtincte, adeoque intellectus judicio (§. *275. Pſych. empir.*), repræſentamus tanquam bonum quoad nos, idem volumus (§. *891. Pſych. empir.*), atque hic actus volitionis eſt actus appetitus rationalis (§. *880. Pſych. empir.*), & quamprimum aliquid diſtincte, atque adeo intellectus judicio (§. *275. Pſych. empir.*), nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos, idem averſamur (§. *590. Pſych. empir.*), eſtque averſio actus averſationis rationalis (§. *881. Pſych. empir.*). Et quoniam repræſentatio boni & mali diſtincta cum repræſentatione confuſa coincidit (§. 575.), in confuſa cur acquieſcamus, ſufficiens ratio adeſt, nulla vero adeſt, cur confuſa nobis ſit ſuſpecta (§. *56. Ontol.*), conſequenter actus appetitus ſenſitivi & actus averſationis ſenſitivæ ſubſiſtit. Appetitus adeo rationalis & ſenſitivus ad idem tendunt objectum, & averſatio rationalis ac ſenſitiva in eodem objecto concurrunt. Quamobrem cum conſenſus appetitus ſenſitivi & rationalis in tendentia utriusque ad idem objectum (§. *908. Pſych. empir.*), & conſenſus averſationis rationalis & ſenſitivæ in concurſu in eodem objecto conſiſtat (§ *915. Pſych. empir.*); appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit, ſi ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu conſentiunt. *Quod erat unum.*

Quodſi appetitus ſenſitivus cum rationali conſentit, uterque ad idem objectum tendit (§. *908 Pſych. empir.*), & ſi averſatio rationalis & ſenſitiva conſentit, uterque in eodem objecto concurrit (§. *915. Pſych. empir.*). Quoniam itaque appetitus rationalis oritur ex diſtincta (§ *880. Pſych. empir.*), ſenſitivus autem ex confuſa boni repræſentatione

(§. *580.*

(§. *580. Pſych. empir.*); & averſatio rationalis ex diſtincta (§. *581. Pſych. empir.*), ſenſitiva autem ex confuſa mali repræſentatione (§. *582. Pſych. empir.*); quod diſtincte cognoſcitur bonum vel malum, idem etiam ut tale repræſentatur confuſe. Quamobrem cum in identitate diſtinctæ ac confuſæ boni & mali repræſentationis conſiſtat conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu (§. 575.); ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo conſentiunt cum intellectu, ſi appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentit. *Quod erat alterum.*

Patet adeo dependentia conſenſus appetitus ſenſitivi cum rationali & averſationis ſenſitivæ cum rationali a conſenſu ſenſuum & imaginationis in repræſentando bono & malo cum intellectu. Nimirum vi demonſtrationis propoſitionis præſentis ex conſenſu ſenſuum & imaginationis in repræſentando bono & malo cum intellectu intelligitur, cur appetitus ſenſitivus cum rationali & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentiat, conſequenter in conſenſu ſenſuum & imaginationis cum intellectu in repræſentando bono atque malo continetur ratio ſufficiens conſenſus appetitus ſenſitivi cum rationali & averſationis ſenſitivæ cum rationali (§. *56. Ontol.*), adeoque conſenſus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali totus a conſenſu ſenſuum & imaginationis cum intellectu in repræſentando bono atque malo dependet (§. *851. Ontol.*).

§. 581.

Quomodo appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reducantur.

Quoniam appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali conſentiunt, ubi ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu conſentiunt (§. 580); *appetitus ſenſitivus reducitur ad conſenſum cum rationali, & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali, ſi in priori caſu in repræſentando bono, in poſteriori autem in repræſentando malo ſenſus atque imaginatio reducuntur ad conſenſum cum intellectu* (§. *579. 581. Pſych. empir.*).

Ar-

Arduum adeo problema de reducendo appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reducitur ad alterum de reducendis ſenſibus atque imaginatione ad conſenſum cum intellectu in repræſentando bono & malo. Quamobrem ſi appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam ad conſenſum cum rationali reducere volueris, non alia re opus eſt, quam ut ſenſus & imaginationem ad conſenſum cum intellectu in repræſentando bono & malo reducas, ita, ut quod intellectus judicio agnoſcitur tanquam bonum & malum, idem etiam ſenſus atque imaginatio tanquam bonum & malum repræſentent.

§. 582.

Quomodo ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo ad conſenſum cum intellectu reducantur.

Si quæ de voluptate ex eo, quod intellectus judicio bonum agnoſcitur, percipienda, & quæ de tædiis ex eo, quod eodem intellectus judicio malum agnoſcitur, percipiendis demonſtrantur, exemplis & experientia domeſtica confirmantur, & fabulis inculcantur; ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu ad conſenſum reducitur. Etenim ſi quæ in diſciplinis demonſtrata cognovimus exemplis (§. 299.) & experientia domeſtica confirmantur (§. 300.), & quæ fabula docet, vi demonſtrationis vera eſſe cognoſcuntur, ſenſus atque imaginatio ad conſenſum cum intellectu reducitur (§. 317.), ut ſcilicet quod intellectus judicio habetur pro vero, idem etiam ſenſui atque imaginationi verum ſeſe probet (*not.* §. *299.*). Quamobrem ſi quæ de voluptate ex eo, quod intellectus judicio bonum agnoſcitur, percipienda, & de quæ tædiis ex eo, quod eodem intellectus judicio malum agnoſcitur, percipiendis demonſtrantur, exemplis & experientia domeſtica confirmantur, & fabulis inculcantur; ſenſus & imaginatio tibi repræſentant voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio bonum agnoſcitur, atque tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus ju-

dicio malum cognoſcitur, quemadmodum intellectus judicat voluptatem iſtam ex illo, tædia hæc ex hoc percipi. Enimvero ſi ſenſus & imaginatio repræſentat voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio agnoſcitur bonum, & tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus judicio agnoſcitur malum; ſenſus atque imaginatio in repræſentando bono & malo conſentiunt (§. 578.). Quamobrem ſi quæ de voluptate ex eo, quod intellectus judicio bonum agnoſcitur, percipienda, & quæ de tædiis ex eo, quod eodem intellectus judicio malum agnoſcitur, percipiendis demonſtrantur, exemplis & experientia domeſtica confirmantur, & fabulis inculcantur; ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu ad conſenſum reducitur.

Superius in genere oſtendimus, quomodo ſenſus atque imaginatio ad conſenſum cum intellectu reducantur quoad aſſenſum, quem veritati demonſtratæ præbemus (§. 299. 300. 377.), ut, ſi ſenſus atque imaginationem conſulas, eadem habeantur pro veris, quæ intellectus judicio vera habentur. Hic vero in ſpecie quæritur, quomodo, ſi ſenſus atque imaginationem conſulas, pro bonis vel malis habeantur, quæ intellectus judicio bona vel mala agnoſcuntur. Nimirum 1) ex notione boni & mali demonſtrandum eſt, actionem eſſe bonam vel malam, 2) demonſtrandum eſt, ex actione bona percipi voluptatem conſtantem, ex mala nonniſi nocuam, in tædia degenerantem, & tædia parientem, 3) exemplis & experientia domeſtica, quantum fieri poteſt, confirmandum, atque fabulis, ſi e re videtur, inculcandum, ex actione, quam bonam eſſe demonſtratur, percipi iſtam voluptatem, quam ex eadem percipi demonſtraſti; & viciſſim ex actione mala conſequi iſta tædia, quæ ex ea conſequi evicisti. Ita nimirum perfectus dabitur in repræſentando bono atque malo conſenſus, ut nihil prorſus neque ex parte intellectus, neque ex parte ſenſuum atque imaginationis deſiderari poſſit. Placuit ea,

Digitized by Google

ea, quæ in propoſitione præſente inculcantur, diſtinctius enumerare, ut ejus applicatio reddatur facilior, nec in ea facile aberretur. Liquet autem ex hiſce, quæ modo dicta ſunt, quam difficilis ſit conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu in repræſentando bono & malo, ſiquidem is perfectus atque univerſalis eſſe debet, ut ad omnes omnino actiones humanas extendatur, nec quicquam in eo deſideretur. Clarius hæc ex ſpeciali juris naturæ & philoſophiæ moralis tractatione perſpicere licebit, quamvis ei ſatis evidentia ſint, qui in anterioribus induſtriam ſuam deſiderari non fuit paſſus.

§. 583.

Quando conſenſus iſte nondum ſit perfectus.

Si exemplis atque experientia domeſtica, itemque fabulis docearis voluptatem ex eo, quod bonum eſſe demonſtratur, percipiendam, & tædia ex eo, quod malum eſſe demonſtratur, percipienda; ſenſus & imaginatio cum intellectu in repræſentando bono & malo conſentiunt, conſenſus tamen nondum perfectus eſt. Etenim ſi exemplis atque experientia domeſtica, itemque fabulis docearis voluptatem ex eo, quod bonum eſſe demonſtratur, percipiendam, & tædia ex eo, quod malum eſſe demonſtratur, percipienda; ſenſus atque imaginatio, quibus exemplorum & fabularum cognitio atque experientia, eorundemque in dato caſu memoria debetur, voluptatem & tædia iſta repræſentant: id quod facile admittitur, ubi notionem exemplorum, experientiæ domeſticæ atque fabularum, nec non ſenſus & imaginationis notiones diſtinctas habueris, & ad eas animum adverteris, ut prolixius demonſtrari non ſit opus. Quæ vero demonſtrantur de bonitate & malitia actionum ratiocinando (§. *551. & ſeqq. Log.*), adeoque a priori innoteſcunt (§. *434. Pſych. empir.*), conſequenter vi intellectus eruuntur (§. *438. Pſych. empir.*). Senſus adeo & imaginatio repræſentant voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio

Digitized by Google

agnoſcitur bonum, & tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus judicio cognoſcitur malum. Quamobrem cum ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu conſentiant, ſi repræſentant voluptatem ex eo percipiendam, quod intellectus judicio agnoſcitur verum, & tædia ex eo percipienda, quod eodem intellectus judicio agnoſcitur malum (§. 578.); ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo conſentiunt cum intellectu, ſi exemplis atque experientia domeſtica, itemque fabulis docearis voluptatem ex eo percipiendam, quod bonum eſſe demonſtratur, & tædia percipienda ex eo, quod malum eſſe demonſtratur. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen nondum demonſtratum fuit, voluptatem iſtam ex eo, quod bonum eſſe demonſtratur, percipi debere, & tædia ex eo, quod malum eſſe demonſtratur, perceptum iri (*per hypotheſin*); intellectus judicio nondum agnoſcitur, quod voluptas iſta iſtaque tædia percipienda ſint (*per demonſtrata*). Quamobrem in conſenſu ſenſuum & imaginationis cum intellectu in repræſentando bono atque malo adhuc quid deſideratur, nimirum ut hujus etiam beneficio agnoſcatur, voluptatem iſtam iſtaque tædia percipienda eſſe, quæ ſenſus & imaginatio tanquam percipienda repræſentant. Conſenſus adeo ſenſuum & imaginationis cum intellectu in repræſentando bono atque malo in hypotheſi præſentis propoſitionis perfectus non eſt.

Quodſi attenta mente propoſitionem præſentem cum præcedente conferre volueris, patebit quid diſcriminis inter conſenſum perfectum, de quo propoſitio præcedens accipienda, & inter imperfectum, de quo præſens agit, intercedat. Nimirum utrobique 1) vi demonſtrationis convincitur intellectus, hoc eſſe bonum, vel malum, ex ipſa notione boni atque mali, ut rationis ſtetur judicio in utroque repræſentando: 2) ope exemplorum

rum & fabularum, ac experientia inprimis domeſtica doceris voluptatem percipiendam ex eo, quod bonum eſſe a priori cognoſcis, & tædia percipienda ex eo, quod malum eſſe a priori cognoſcis, adeoque ſenſus & imaginatio tanquam bonum repræſentant per voluptatem ex eo percipiendam, quod a priori tale agnoſcitur, & tanquam malum per tædia ex eo percipienda, quod a priori tale agnoſcitur. Enimvero in conſenſu perfecto adeſt etiam demonſtratio, vi cujus a priori convinceris, quod voluptas iſta ex eo percipiatur, quod bonum eſſe a priori convictus es, & quod tædia iſta conſequantur ex eo, quod malum eſſe a priori convictus es, conſequenter intelligis, cur voluptas indivulſo nexu cohæreat cum eo, quod bonum eſſe certum eſt, & cur tædia ſeparari nequeant ab eo, quod malum eſſe certo conſtat. In conſenſu autem imperfecto deeſt iſtiusmodi demonſtratio. Nemo vero negaverit, aſſenſum, quem propoſitionibus de voluptate ac tædiis ex actionibus percipiendis præbemus, eſſe firmiorem magisque immotum, ubi nexus eorum cum actionibus etiam a priori intelligitur, quam ſi tantummodo a poſteriori agnoſcitur. Etſi adeo in conſenſu imperfecto ſubinde acquieſcendum ſit; opera tamen danda eſt, ut evadat perfectus, nec culpa noſtra imperfectus relinquatur.

§. 584.

Quando dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquiratur.

Dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus non acquiritur niſi continuo ac diuturno exercitio. Etenim dominium in ſenſus ſupponit promptitudinem excitandi ardorem legem naturæ ſervandi, nec eam transgrediendi, nexum actionis, data quacunque occaſione agendi, cum fine ultimo perſpiciendi, notionem ejus diſtinctam formandi, attentionem pro arbitrio conſervandi, eademque utendi, de convenientia denique actionis cum lege naturali, quoties agendum, cogitandi (§. 568.), adeoque plures habitus (§. 428. *Pſych. empir.*). Enimvero habitus non acquiritur niſi exercitio (§. 430. *Pſych. empir.*), & continuo uſu conſer-

vatur atque perficitur (§. *431. Pſych. empir.*), habitusque difficiles diuturno exercitio opus habere experimur quotidie. Dominium itaque in ſenſus, imaginationem atque affectus non acquiritur niſi continuo ac diuturno exercitio.

Habitus, qui ad dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus requiruntur, non eſſe acquiſitu faciles, & a priori agnoſcitur, ſi perpenduntur, quæ ſuperius de ardore legem naturalem ſervandi, eamque non transgrediendi (§. 412. 414.), de mentis acie ad hunc acuminis gradum elevanda, ut in dato quolibet caſu actionis cujuscunque cum fine ultimo nexum perſpicere valeat (§. 80. 85.), de acquirenda actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, notione diſtincta (§. 93.), de attentione inter vehementes objectorum actiones in organa ſenſoria conſervanda (§. *249. Pſych. empir.*), & in actione data, quamdiu opus eſt, retinenda (§. *250. Pſych. empir.*), immo ad quamlibet actionem eadem afferenda (§. *252. 253. Pſych. empir.*), de conſuetudine contrahenda actionem patrandam ad examen revocandi (§. 437.), demonſtrata ſunt; & a poſteriori unusquisque in ſeipſo experiri valet, ſiquidem periculum facere voluerit. *Confucius* a decimo ſexto ætatis anno totum ſe dedit ſtudio perfectæ vitæ, & pro ea, quæ ipſi erat, ingenuitate, diſcipulis ſuis candide aperuit, quantum ſingulis decenniis profeciſſet, neo ferre poterat, ut major videretur, quam erat: ſeptuageſimo autem demum ætatis anno ſe id conſecutum profeſſus eſt, ut appetitus ſenſitivus cum rationali conſentiret, quemadmodum me annotaſſe memini ad Orationem de Sinarum Philoſophia practica. Exemplum igitur *Confucii* abunde docet, continuo nonniſi atque diuturno exercitio dominium in ſenſus, imaginationem & affectus acquiri, cum nonniſi in dominio perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ſemper prorſus conſentiant (§. 572.). Nos vulgo exercitia iſta, quæ ad hoc dominium acquirendum neceſſaria ſunt, prorſus negligimus, & quotusquisque eſt, qui vel unquam de iisdem cogitat. Quid ergo mirum, ſi dominium iſtud tam parca manu inter nos ſit diſtributum, immo ſi plurimi ſint, qui conſenſum

ſenſum

Digitized by Google

ſenſum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali in numerum idearum Platonicarum referunt, quibus otioſa philoſophorum ingenia ludunt?

§. 585.

Dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus continuo uſu conſervatur. Conſtat ex demonſtratione propoſitionis præcedentis, ad dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus requiri plures habitus, quos ſingulos acquiſitu non faciles experimur. Enimvero habitus acquiſitus continuo uſu conſervatur (§. *431. Pſych. empir.*), & diu intermiſſo ejus uſu amittitur (§. *432. Pſych. empir.*). Quamobrem nec dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus conſervari poteſt, niſi continuo uſu. *Quomodo conſervetur.*

Equidem quotidie ſeſe offert occaſio dominio iſto utendi, cum quotidie ſeſe offerat agendi occaſio, nec unquam a ſenſu, imaginatione atque affectibus liberi ſimus ad agendum, quod legi naturali contrarium eſt, nos allicientibus; non tamen ideo exiſtimandum eſt, quaſi nulla adhibenda ſit opera, ut eodem utaris, ubi idem acquiſiveris. Haud raro enim eveniunt, quæ agentem in ancipiti conſtituunt, ut circumſtantiæ ſingulares facile ipſi perſuadeant dandum hac vice aliquid ſenſibus, imaginationi atque affectibus: quod quam ſit periculoſum & habitui conſervando adverſum, vix eſt qui ignorat, ubi actionum humanarum non nudum ſpectatorem agit, ſed eas attento ac circumſpecto animo trutina penſat. Accedit, quod habitus ad dominium iſtud arduum requiſiti haud raro inclinationes naturales ſibi experiantur adverſas: id quod quemadmodum acquiſitionem, ita etiam conſervationem & ejus uſum reddit difficilem, præſertim ubi circumſtantiæ ſingulares uſui contrariæ favent inclinationibus naturalibus. Sed hæc patebunt ſuo loco, & ſua ſponte animadvertentur ab eo, qui actiones humanas experientia circumſpecta uſus in Pſychologiæ trutina ſuſpendit, vi nimirum principiorum pſychologicorum inquirens in earum, quæ obſervat, rationes:

tiones: quod ſtudium mirifice proficuum cum ad augendum acumen, tum ad praxin moralem nunquam ſatis inculcari poteſt, juvabitur autem demonſtrationibus in philoſophia morali ſuo tempore dandis.

§. 586.

Modus ex ſervitute morali in libertatem ſe vindicandi.

Qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirit, ex ſervitute morali in libertatem ſe vindicat. Etenim qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirit, ſeu dominus ſuiipſius evadit, is ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem, eorumque uſum rationi convenientem determinat (§. 554. 555.), conſequenter dominio ſenſuum, imaginationis atque affectuum ſe ſubjici minime patitur (§. 543.). Quoniam itaque in ſervitute morali ſenſuum, imaginationis atque affectuum dominio ſubjicimur (§. 544.), dum vero dominium in ſenſum, imaginationem atque affectum acquirimus, vere liberi evadimus (§. 559.); qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirit, ex ſervitute morali in libertatem ſe vindicat.

Difficile admodum eſt dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere (*not.* §. 584.). Quamobrem cum absque hoc dominio ex ſervitute morali in libertatem nos vindicare minime valeamus *vi præſentis*; quam ſit difficile ex ſervitute morali in libertatem ſe vindicare facile patet. Cumque in ſervitute morali non ſit virtuti locus (§. 551.), hinc porro intelligitur, non adeo facile eſſe, quemadmodum multi ſibi perſuadent, virtute infucata & nulla labe affecta potiri.

§. 587.

Damnum neglectus vindica-

Qui ex ſervitute morali ſe non vindicat, felicitate ſua ſemetipſum privat. Qui enim ex ſervitute morali ſe non vindicat, in eadem permanet. Enimvero qui in ſervitu-

te

Digitized by Google

te morali degit, adeoque quamdiu quis in eadem permanet, felix eſſe nequit (§. 552.). Felicitate igitur ſua ſemet ipſum privat, qui ex ſervitute morali ſe non vindicat. *tionis ſui-ipſius in libertatem ex ſervitute morali.*

Placet hominibus ſervitus, quod tum ſe felices eſſe exiſtimant, ſi ſenſui grata appetunt, & affectibus, quibus corripiuntur, ſatisfaciunt. Ac ideo in ſervitute perſiſtere, quam ſe ex eadem in libertatem vindicare malunt. Quamobrem plurimum refert noſſe, quod ex ſervitute morali ſe in libertatem non vindicare idem ſit ac felicitate ſua ſe privare. Quamobrem ut veritatis hujus convincaris, non ſufficit animum advertere ad brevem, quæ hic datur, demonſtrationem; ſed principia quoque, in quæ reſolvitur (§ *991. Log.*), probe perpendenda (§ *992. Log.*), & exemplis (§ 269.) atque experientia, præſertim domeſtica (§. 272.), immo fabulis etiam confirmanda (§. 315.), ut viva naſcatur cognitio (§ 273.), quæ ſola certa eſt (§. 246. 247.), & in voluntatem ac noluntatem influit (§. 244.).

§. 588.

Privatio felicitatis ſuæ eſt motivum fugiendi ſervitutem moralem. Quoniam enim homines omnes per naturam ſuam felicitatem appetunt (§. 324.), id appetere nequeunt, quod eos felicitate privat, ſed cum jacturam felicitatis in numero malorum ponant (§ *565. 637. Pſych. empir.*), idem potius averſantur (§. *590. Pſych. empir.*). Ex eo igitur, quod in ſervitute morali felicitate nosmetipſos privemus, intelligitur, cur eandem fugiamus, conſequenter hæc ratio ſufficiens eſt eam fugiendi (§. *56. Ontol.*). Quamobrem cum ratio ſufficiens, cur fugiamus ſervitutem moralem, ſit motivum eam fugiendi (§. *887. Pſych empir.*); evidens eſt, privationem felicitatis ſuæ eſſe motivum fugiendi ſervitutem moralem. *Motivum fugiendi ſervitutem moralem.*

Vides adeo cognitionem propoſitionis præcedentis fieri debere motivum voluntatis: quod cum fieri nequeat, niſi viva

ſit (§. 244.), abunde liquet, cur ad præcedentem propoſitionem inculcaverimus, quomodo ad ejus cognitionem vivam perveniatur, etſi ſatis pateat ei, qui in anterioribus animo comprehendendis induſtriam ſuam deſiderari paſſus non eſt. Non enim ſupervacaneum cenſendum eſt, quod utile. Utile autem omnino eſt, agentem admoneri eorum, quorum non facile recordatur.

§. 589.

Infelicitas in ſervitute morali detenti.

Qui in ſervitute morali degit, ſeipſum infelicem reddit. In ſervitute morali non vivitur vita legi naturæ conformis (§. 549.), adeoque in vitia ruit (§. 322. *Part. I. Phil. pract. univ.* & §. 195. 430. *Pſych. empir.*), qui in eadem degit. Sed vitium hominem infelicem reddit (§. 406. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui in ſervitute morali degit, ſeipſum infelicem reddit.

Nimirum voluntati ipſius tribuendum, quod in vitia pronus ruat, conſequenter eidem quoque imputandum, quod infelix reddatur.

§. 590.

Motivum vitandæ ſervitutis moralis.

Infelicitas eſt motivum vitandi ſervitutem moralem. Oſtenditur eodem prorſus modo vi propoſitionis præcedentis, quo ante demonſtravimus, felicitatis privationem eſſe motivum fugiendi ſervitutem moralem (§. 588.).

Ut motivum hoc ſit efficax, eadem tenenda ſunt, quæ ibidem inculcavimus (*not. §. cit.*). In praxi utrumque motivum conjungendum: perpendendum nimirum eſt, tum quamnam boni jacturam faciamus, quæ in privatione felicitatis conſiſtit, tum in quodnam malum nos præcipitemus, quod eſt infelicitas.

§. 591.

Fons impedimentorum

Homo impediri nequit, quo minus vitam legi naturali conformem vivat, niſi a ſenſu, imaginatione atque affectibus. Etenim

Digitized by Google

Etenim lex naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 152. *Part. I. Phil. pract. univ.*) & ad perfectionem aliorum ſtatusque eorundem tendunt (§. 222. 223. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter actiones legi naturæ conformes per ſe appetibiles ſunt (§. 104. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque tales ſunt, ut diſtincte cognitæ appetantur, ſeu ut eas velimus, quam primum diſtincte cognoſcimus, quales ſint (§. 94. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ex adverſo lex naturæ nos obligat ad omittendas actiones, quæ ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 152. *Part. I. Phil. pract univ.*) & ad imperfectionem aliorum ſtatusque ipſorum tendunt: id quod ex obligatione ad ſtudium perfectionem aliorum promovendi facile colligitur (§. 222. 223. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Sunt igitur actiones legi naturæ contrariæ per ſe averſabiles (§. 107. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque tales, ut eas nolimus, quamprimum diſtincte cognoſcimus, quales ſint (§. 95. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamprimum adeo diſtincte, adeoque beneficio intellectus (§. 275. *Pſych. empir.*), actionum cum lege naturæ convenientiam cognoſcimus, motus in corpore iisdem reſpondentes ſtatim conſequuntur (§. 953. *Pſych. empir.*), & ex adverſo ceſſant, quamprimum earundem cum lege naturæ diſconvenientiam cognoſcimus (§ *cit.*). Quodſi ergo ſequi non debent, neceſſe eſt, ut volitio mutetur in averſionem, & ubi ob actum nolitionis ceſſant, neceſſe eſt ut is mutetur in appetitionem, ſiquidem conſequi debent. Quamobrem cum non appetamus, niſi quod nobis repræſentamus tanquam bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), nec averſemur, niſi quod nobis repræſentamus tanquam malum (§. 907. *Pſych. empir.*); neceſſe eſt, ut actiones, quas beneficio intellectus legi *vitæ legi naturali conformis.*

 natu-

naturæ convenientes agnoſcimus, nobis repræſentemus tanquam malas, & viciſſim eas, quas beneficio intellectus legi naturæ contrarias agnoſcimus, nobis repræſentemus tanquam bonas. Quoniam itaque ſenſus (§. 512.) atque imaginatio (§. 523.), nec non affectus ad erronea de actionibus judicia nos ſeducunt (§. 542.), & præterea tum ſenſus (§. 516. 518.), tum imaginatio (§. 526. 527.) impediunt, quo minus legem naturæ ad actionem dijudicandam applicemus, aut quo minus eam rite applicemus, præter ſenſum & imaginationem autem non datur facultas cognoſcendi quam intellectus, nec præter appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam, in qua affectus reſident (§. 603. *Pſych. empir.*), facultas appetitiva alia, quam voluntas & noluntas; ideo patet hominem impediri non poſſe, quo minus actiones legi naturæ convenientes committat, eidemque contrarias omittat, conſequenter quo minus vitam legi naturali conformem vivat (§. 7.), quam a ſenſibus, imaginatione atque affectibus.

Brevius ita oſtenditur. Senſus (§. 521.), imaginatio (§. 529.) atque affectus impediunt, quo minus vitam legi naturali conformem vivamus (§. 540.): Quamobrem cum præter ſenſum, imaginationem atque appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam, cujus actus ſunt affectus (§. 603. *Pſych. empir.*), in anima nil detur, quod impedire poſſit, quo minus vitam vivere velimus, quam beneficio intellectus legi naturæ conformem agnoſcimus, quemadmodum ex Pſychologia abunde conſtat; homo quoque impediri nequit, quo minus vitam legi naturæ conformem vivat, niſi a ſenſibus, imaginatione atque affectibus.

Nimirum dantur in anima facultates inferiores ſenſus, imaginatio, memoria & appetitus ſenſitivus atque averſatio ſenſitiva, quæ ab iſtis pendent, ac facultates ſuperiores intellectus & appetitus

Digitized by Google

titus atque averſatio rationalis, ſive voluntas & noluntas ab eodem dependens. Legem naturæ cognoſcimus, & ad actiones data occaſione agendi applicamus beneficio intellectus, & ejus judicio, quod diſcurſivum eſt, convenienter determinatur volitio vivendi vitam legi naturæ conformem. Quamobrem ſi ea impediri debet, neceſſe eſt, ut impediatur a ſenſu & imaginatione, actum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ contrarium elicientibus, vel ab affectibus hominem in transverſum agentibus, ut agat quæ legi naturæ contrariantur. Quodſi ergo naturam animæ tantummodo a poſteriori perſpectam habes ex Pſychologia empirica, haud ægre admiſeris non aliunde quam a ſenſu, imaginatione atque affectibus impedimenta objici poſſe, quo minus vitam agas legi naturæ conformem. Quodſi ad abuſum intellectus provoces, is tandem, ſi omnia rite penſitaveris, reſolvitur in ea, quæ ſenſui atque imaginationi, nec non affectibus imputanda.

§. 592.

Quandonam impedimenta vitæ legi naturali conformis removere valeamus.

Si dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habemus, impedimenta vitæ legi naturali conformis omnia removere valemus, nec in dominio perfecto ab ullo nobis metuendum eſt. Etenim ſi dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habemus, ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valemus, ne prævaleant adverſus rationem (§. 554.). Quoniam itaque impedimenta vitæ legi naturali conformis aliunde objici nequeunt, quam a ſenſibus, imaginatione atque affectibus (§. 591.); qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habet, omnia utique impedimenta vitæ legi naturali conformis removere valet. *Quod erat unum.*

In dominio perfecto appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſemper prorſus conſentiunt (§. 572.), conſequenter appetitus uterque ad idem objectum tendit (§. *908. Pſych. empir.*), & averſatio utraque in eodem obje-

ꝺto concurrit (§. *915. Pſych. empir.*), & quod diſtincte tanquam bonum quoad nos nobis repræſentamus, id confuſe perceptum ſemper quoque bonum videtur (§. 574.). Quamobrem verendum non eſt, ut ſenſus, imaginatio atque affectus nos impediant, quo minus vitam legi naturæ conformem vivamus, quemadmodum alias facere ſolent (§. 521. 529. 537. 538). Quoniam itaque homo impediri nequit, quo minus vitam legi naturæ conformem vivat, niſi a ſenſu, imaginatione atque affectu (§. 591.); in dominio perfecto a nullo impedimento nobis quicquam metuendum eſt. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo impedimenta vitæ legi naturali conformis removere idem eſſe ac dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus uti, & impedimenta iſta detegere idem eſſe ac inquirere, quomodo ſenſus, imaginatio atque affectus contrarientur intellectui, &, qui inde pendet, appetitui rationali ſeu voluntati liberæ, tum etiam averſationi rationali, ſeu noluntati. Hæc probe notanda ſunt, ut conſtet, quomodo in philoſophia morali detegantur impedimenta, & quomodo removeantur: id quod docere Philoſophiæ practicæ univerſalis eſt (*§. 11. Part. I. Phil. pract. univ.*). Philoſophia practica univerſalis hactenus deſerta & neglecta jacuit, ita ut nequidem ejus nomen auditum fuerit in Scholis philoſophorum. Et quamvis ejus aliquod ſpecimen jam A. 1703. dederimus, & ejus uſum inculcaverimus, nemo tamen hactenus fuit, qui animum huc adverteret. Unde mirari non debemus, quod nec philoſophia moralis ad eam formam hactenus fuerit perducta, quam habere debet, ſiquidem uſui eſſe debet in praxi, & id adjumentum afferre tenetur, quod in dirigendis actionibus liberis ab ea expectandum. Quantum vero proſint principia generalia, quæ in hac altera Philoſophiæ practicæ univerſalis parte ſtabiliuntur, ipſo opere docebimus, ubi Philoſophiam moralem trademus. Ceterum eadem hæc principia proderunt Theologis in Theologia morali excolenda, Oratoribus ſacris mirifice profutura. Etſi enim in actionum legitima determinatione

Digitized by Google

terminatione omnia tribuenda ſint gratiæ divinæ, ita ut nullus ſit actus ad easdem requiſitus, qui inde non pendeat; conſtat tamen facultates, quæ homini naturales ſunt, gratia ad ſublimiorem gradum elevari, earundemque uſum non tolli, ſed perfici, ita ut potentes reddamur in iis, quæ viribus naturalibus efficere minime valemus.

§. 593.

Quomodo ad vitam legi naturæ conformem vivendam adducamur.

Si quis vitam legi naturali conformem vivere, vel alterum ad eam vivendam adducere voluerit, 1) excitandus eſt ardor vitam legi naturali conformem vivendi (§. 412. 414.), *2) mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut data quacunque occaſione agendi nexum actionis cum fine ultimo, ſeu convenientiam & disconvenientiam cum lege naturali perſpicere poſſit tum ope ſyſtematis legum naturalium* (§. 85.), *tum abſque eodem* (§. 80.), *3) dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum.* Etenim ſi vitam legi naturali conformem vivere debes, neceſſe eſt ut eam vivere velis, ut intelligas, quomodo eadem vivatur, ut denique omnia impedimenta, quæ afferri poſſunt, removere valeas. Enimvero ſi ardorem vivendi vitam legi naturali conformem in te excitas, eandem vivere vis atque cupis (§. 218.), atque ad eandem vivendam promptiſſimus es (§. 223.). Quodſi ergo data quacunque occaſione agendi judicare vales, utrum actio legi naturæ conveniat, an contrarietur, quomodo vita legi naturæ conformis vivatur intelligis (§. 7.). Si denique dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus habes, impedimenta vitæ legi naturali conformis omnia removere vales, nec, ubi perfectum fuerit dominium, ab ullo unquam tibi eſt metuendum (§. 592.). Quamobrem ſi vitam legi naturali conformem vivere volueris, excitandus eſt ardor eam vivendi, mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut in dato quocunque caſu actionis convenientiam

aut

aut diſconvenientiam conſpicere poſſit, & dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum.

Elucet hinc, nos in antecedentibus omnia tradidiſſe, quæ ad intelligendum modum, quo ad vitam legi naturali conformem vivendam adducimur, requiruntur. Equidem nonniſi tria eo fine præcipiuntur in propoſitione præſente; ſed quam ardua ſit eorum executio ex anterioribus abunde intelligitur. Quicquid enim hactenus tradidimus, ad hunc unice ſcopum collineat. Facile dicitur & intelligitur, ſi vitam honeſtam vivere debes, neceſſe eſſe ut eam vivere velis, ut noris, quanam actiones ad eam requirantur, & ut impedimenta removere valeas. Sed non adeo facile eſt docere, quomodo flectatur voluntas ad actiones legi naturæ convenientes committendas, & noluntas ad actiones eidem contrarias omittendas; quomodo intellectus efficiatur aptus ad convenientiam & diſconvenientiam actionum cum lege naturali accurate dijudicandam in dato quolibet caſu, quomodo denique potentia removendi qualibet impedimenta acquiratur. Hæc tamen docere, ut ſufficienter intelligantur, multo adhuc facilius eſt, quam voluntatem actu determinare in dato quolibet caſu ad committendum actionem legi naturali convenientem, & noluntatem ad non committendam eidem contrariam, convenientiam & diſconvenientiam actionis cujuslibet cum lege naturali actu dijudicare, & impedimentum quodvis actu tollere. Facilius enim eſt docere, quæ fieri debent, quam facere. Non ſunt homini niſi facultates cognoſcendi, ſenſus & imaginatio atque intellectus, & facultates appetendi, appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva atque voluntas & noluntas, neque adeo ad actionem internam, cui convenit externa, concurrere poſſunt niſi intellectus cum ſenſu atque imaginatione, & voluntas cum appetitu ſenſitivo, & noluntas cum averſatione ſenſitiva, & qui agere vult quod rectum eſt, rectum facere debet omnium harum facultatum uſum. Sed quinam ſit rectus earundem uſus, non adeo facile intelligitur, multo autem adhuc difficilius eſt, ut eundem facias. Generalia tradidimus in Philoſophiæ practicæ univerſali parte utraque, tum priori, quæ theoriam docet, tum poſteriori,

quæ

Digitized by Google

quæ praxin inculcat. Etſi autem principia generalia ad omnes omnino caſus, qui accidere poſſunt, extendantur; eorundem tamen applicatio nondum in ejus poteſtate eſt, qui eadem animo comprehendit, utut demonſtrationes aperte loquantur, quanta induſtria in Metaphyſicis verſatus eſſe debeat, qui ea rite comprehendere voluerit. Hæc igitur docenda eſt in Philoſophia practica ſpeciali, cujus quam ampla ſit theoria ex iis conſtabit, quæ in poſterum de jure naturæ ac Gentium, itemque de philoſophia morali atque civili non uno volumine demonſtrabuntur. Ceterum propoſitio præſens ſummatim docet, quænam in philoſophia morali de ſingulis actionum generibus ſint demonſtranda, & quæ in anterioribus tradidimus, monſtrant modum ad cognitionem eorum perveniendi. Quamobrem ſi quis in iis, quæ de actionibus humanis in ſpecie cum quoad theoriam, tum quoad praxin demonſtrabuntur, ad hæc generalia principia reſpicere voluerit, non exiguos ſentiet in arte inveniendi profectus.

§. 594.

Quomodo vita perfecta, ordinata, rationi, voluntati divinæ & naturæ humanæ conveniens vivatur, & ſapienter dirigantur actiones.

Quoniam vita perfecta, adeoque & ordinata (§. 63.) & ſapiens actionum directio (§. 59.), vita item rationi, voluntati divinæ & naturæ humanæ conveniens cum vita legi naturæ conformi iisdem regulis continetur (§. 57.); ad vitam perfectam & ordinatam, ſapientem actionum directionem, vitam rationi, voluntati divinæ & naturæ humanæ convenientem eodem modo pervenitur, quem vivendæ vitæ legi naturæ conformis gratia præcepimus. Quamobrem *ſi vitam perfectam, ordinatam, ac rationi, voluntati divinæ & naturæ humanæ convenientem vivere atque ſimul actiones omnes ſapienter dirigere volueris, excitandus eſt ardor vivendi vitam legi naturæ conformem, mentis acies ad hunc gradum elevanda, ut actionum cum lege naturali convenientiam & diſconvenientiam perſpicere valeas, & dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum* (§. 593.).

Equidem quæ vitæ legi naturali conformis vivendæ gratia præcipiuntur, facile ſigillatim ad vitam perfectam, ordinatam & rationi, voluntati divinæ ac naturæ humanæ conformem ſapientemque actionum directionem applicari poterant; ſed hiſce ambagibus non eſt opus, modo vi eorum, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtrata ſunt, omnem legis naturalis amplitudinem, vulgo non agnitam, animo comprehenderis. Etſi autem non inutile ſit, ut vita perfecta & ordinata etiam qua talis ſpectetur, & ex ejus notione deducatur, quomodo ad eam vivendam adducaris, vel etiam alterum adducas; anteriorum tamen gnarus hoc per ſe præſtabit. Ita ex. gr. ardor vitæ perfectæ vel etiam ordinatæ quomodo ſit excitandus, ex iis colliges, quæ de vita perfecta & ordinata demonſtrata fuere. Et ubi de dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendo agitur, in ſpecie conſiderandum, quænam vitæ perfectæ qua perfectæ & ordinatæ qua ordinatæ a ſenſu, imaginatione atque affectu objiciantur obſtacula, quomodo eadem tollenda.

§. 595.

Quomodo ad virtutem perveniatur.

Similiter quia virtus eſt habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§ 321. *Part. I. Phil. pract. univ.*); vitium vero easdem dirigendi contraria ratione, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & virtus acquiritur (§. 327. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſervatur atque perficitur continuo committendo actiones legi naturæ conformes (§. 324. *Part. I. Phil. pract. univ.*): *ſi ea facias, quæ vitæ legi naturali conformis vivendæ gratia præcipiuntur* (§. 594.), *quin virtutem acquiſiturus ſis dubitandum non eſt.*

Non igitur opus eſt, ut de modo perveniendi ad virtutem alia præcipiantur.

§. 596.

Quomodo ſummum

Quoniam denique cuſtodia naturalis legis ſummum bonum (§. 376. *Part. I. Phil. pract. univ.*) & felicitatem con-

Digitized by Google

conſequimur (§. *396. Part. I. Phil. pract. univ.*), ſine ea autem *bonum &*
nec ſummum bonum (§. *378. Part. I. Phil. pract. univ.*), nec *felicitatem*
felicitatem conſequi poſſumus (§. *398. Part. I. Phil. pract. univ.*); *conſequa-*
ſi ſummum bonum & felicitatem conſequi volueris, ea facere tene- mur.
ris, quæ facienda, ut legi naturali conformem agas vitam, præ-
cepimus (§. 594.).

Corollarium hoc addendum omnino erat, ne videamur neglexiſſe, quod tamen in hoc capite docendum inprimis erat, quippe quod inſcribitur de modo conſequendi ſummum bonum & felicitatem terreſtrem. Ceterum propoſitio præſens inferri etiam poterat ex eo, quod, qui ſummum bonum conſequi vult, ei unice curæ cordique eſſe debeat, ut omnes actiones ſuas quoad minima legi naturæ conformet (§. 216.).

CAPUT III.

DE

CUSTODIA CONSCIENTIÆ ET CULPA VITANDA.

§. 597.

Qui *conſcientiam cuſtodire vult, is cavere ſibi debet, ne ſit A quibus-*
erronea, dubia & ſerva. Etenim qui conſcientiam *nam ſibi ca-*
cuſtodire vult, is omnem animi ſollicitudinem *vere debeat*
adhibere debet, ut ea ſit recta, certa atque libe- *conſcientiam*
ra (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum recta *cuſtoditurus.*
non ſit, quæ erronea eſt (§. *419. Part. I. Phil. pract. univ.*), nec certa, quæ dubia (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*),

 neque

neque libera, quæ ſerva (§. *426. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui conſcientiam cuſtodire vult, is cavere ſibi debet, ne ſit erronea, dubia & ſerva.

Nimirum conſcientia recta non ponitur niſi cum excluſione erroneæ, nec certa, niſi cum excluſione dubiæ, nec libera niſi cum excluſione ſervæ, & vice verſa. Quamobrem cum cuſtodia conſcientiæ rectam, certam & liberam ponat; erroneam, dubiam & ſervam utique excludit. Equidem cum poſita conſcientia recta, certa & libera, excludatur erronea, dubia & ſerva, cura de erronea, dubia & ſerva videtur ſuperflua, ubi omni animi ſollicitudine id agimus, ut ſit recta, certa & libera; ea tamen eſt hominum conditio, ut haud raro nonniſi errore detecto ad veritatem liquidam, non niſi ſuperatis dubiis ad certitudinem perveniatur, & cum conſcientia ſerva diu pugnandum ſit, antequam libera vincat. Accidit hoc, etiamſi theoriam exactam legum naturalium ſupponas, qualem tamen adhuc deſiderari conſtat, quemadmodum ex eo facile colligitur, quod de actu conſcientiæ diſtincte explicando demonſtravimus (*431. Part. I. Phil. pract. univ.*). Cura igitur de conſcientia recta, certa & libera auxilium ab ea expectat, quam erroneæ, dubiæ & ſervæ vitandæ adhibemus. Clarius idem eluceſcet ex ſequentibus.

§. 598.

Quænam requirantur, ut conſcientia ſit recta.

Si conſcientia recta eſſe debet, notitia legis naturalis, ſive divinæ, aut poſitivæ vera de eo genere actionum, quarum patrandarum occaſio offertur, & facultas acquirendi notionem diſtinctam actionis in dato caſu ſupponitur. Etenim actus conſcientiæ in dato quolibet caſu explicabilis eſt per ſyllogiſmum, cujus minor eſt actio patranda, vel patrata, maior lex naturalis, ſive divina, aut poſitiva, concluſio judicium de actionis bonitate vel malitia morali & obligatione ad eandem committendam vel omittendam (§. *431. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem

Digitized by Google

mobrem cum conſcientia tum ſit recta, ſi judicium iſtud fuerit verum (§. 419. *Part. I. Phil. pract. univ.*), concluſio autem vera interatur, ſi utraque ſyllogiſmi præmiſſa vera ſit (§. 537. *Log*); neceſſe eſt, ut & veram legis applicandæ notitiam habeas, & notio actionis, ad quam applicanda venit, ſit rite determinata. Patet itaque, ſi conſcientia recta eſſe debet, notitiam legis naturalis, ſive divinæ, aut poſitivæ veram de eo genere actionum, quarum patrandarum occaſio offertur, & facultatem acquirendi notionem diſtinctam actionis in dato caſu ſupponi.

Exemplum de Joſepho ad adulterium committendum invitato, quo actus conſcientiæ per ſyllogiſmum explicabilitatem illuſtravimus (*not.* §. 421. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ad præſentem quoque propoſitionem illuſtrandam facit. Quoniam cuſtodia conſcientiæ maximi momenti eſt, ſuperfluum exiſtimandum non eſt, quod probe perpendenda eſſe inculcemus, tum quæ de definitione ac diviſione conſcientiæ dicta ſunt (§. 417. *& ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*), tum quæ de notitia legis præſertim naturalis a conſcientia præſuppoſita, & de actu, in quo conſiſtit conſcientia, demonſtrata fuerunt (§. 429. *& ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 599.

Quænam facienda conſcientiam cuſtodituro quoad curam rectitudinis.

Quoniam notitia vera legum naturalium ex ſyſtemate haurienda (§. 84. *b.* & §. 544. *Log.*), & facultas, aut, ſi mavis habitus formandi actionis notionem diſtinctam in dato caſu, nonniſi exercitio, quod ſupra certis regulis adſtrinximus (§. 93.), comparatur (§. 430. *Pſych. empir.*); *ſi conſcientiam cuſtodire volueris, tum ex ſyſtemate legum naturalium ſufficientem earundem notitiam haurire, tum in formandis actionum obviarum notionibus diſtinctis omnem operam collocare teneris* (§. 93.).

Digitized by Google

Ipſa lex naturæ nos obligat ad ſervandam legem divinam, ſi qua datur naturali, quæ etiam divina eſt (§. *277. Part. I. Phil. pract. univ.*), contradiſtincta, & legem civilem eidem minime repugnantem, quemadmodum in ſyſtemate legum naturalium demonſtrandum. Quamobrem ſi ſufficientem ex hoc ſyſtemate legum naturalium notitiam tibi compares, utramque obligationem ignorare haud quaquam potes. Quæ vero Deus præcipit præter ea, quæ ſunt legis naturalis, haurienda ſunt ex Scriptura ſacra, & ea explicare ac in ſyſtema redigere eorum eſt, qui Theologiæ moralis ſyſtema condunt. Legum civilium notitia vel ex libris, in quibus expoſitæ leguntur, vel ex ore eorum, quibus cognitæ atque perſpectæ ſunt, hauriuntur. In cuſtodienda conſcientia ratio habenda eſt legum civilium, quatenus contra obligationem naturalem agit, qui contra legem civilem naturali non contrariam agit. Quamobrem nihil difficultatis faceſſere debet pervulgatum iſtud, leges civiles non obligare in conſcientia: quod quo ſenſu admitti poſſit tanquam verum docebimus ſuo loco. Ceterum hinc elucet, quam neceſſarium ſit, ſiquidem conſcientiam cuſtodire debeamus, ut ſyſtema legum naturalium condatur, quod nomen ſuum tueri poſſit. Quænam vero notitia ex eodem haurienda ſit ſufficiens, unusquisque facile judicabit, qui novit, quænam actiones ad ipſum pertineant.

§. 600.

Quænam porro requirantur quoad certitudinem.

Si conſcientiam cuſtodire volueris, vi demonſtrationis convincendus es, legem naturæ, quam applicas, eſſe veram, & notionem actionis, ad quam eandem applicas, eſſe rite determinatam. Etenim ſi conſcientiam cuſtodire volueris, curæ tibi eſſe debet, ut ſit certa (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero conſcientia certa acquiritur vi demonſtrationis (§. *459. Part. I. Phil. pract. univ.*) & conſiſtit in judicio de actionis bonitate vel malitia morali & obligatione ad eamdem committendam vel omittendam, quod

quod infertur per ſyllogismum, cuius propoſitio major eſt lex naturæ, ſive divina, aut poſitiva, minor autem actio patranda, vel patrata (§. *431. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi conſcientiam cuſtodire volueris, vi demonſtrationis convincendus es, legem naturæ, quam applicas, eſſe veram, & notionem, ad quam eam applicas, eſſe rite determinatam.

Nimirum ſi conſcientia certa eſſe debet, convictus eſſe debes de veritate judicii, quod actio, quæ nunc committenda, ſit bona, adeoque committenda, vel quæ nunc omittenda, ſit mala, adeoque omittenda (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*). Inferri itaque debet hoc judicium ſyllogismo demonſtrativo (§. *990. Log.*). In eo igitur utraque præmiſſa debet eſſe demonſtrata (§. *498. Log.*), ut certus ſis, utramque eſſe veram (§. *990. Log.*), alias certus non futurus de veritate ipſius judicii, quæ concluſionis locum tuetur (§. *537. Log.*). Quamobrem & demonſtrandum eſt, propoſitionem iſtam, vi cujus judicas, actionem eſſe bonam, adeoque committendam, vel malam, adeoque omittendam, eſſe legem naturalem, ſeu divinam, & notionem actionis, de qua quæritur, utrum nunc committenda, & omittenda ſit, eſſe rite determinatam, ut certus ſis eam ſub lege naturali, quam applicas, contineri. Dubium oriri poterat circa determinationem notionis actionis, num hic demonſtratione ſit opus. Videntur enim circumſtantiæ non minus, quarum in determinanda notione actionis habenda eſt ratio (§. 95.), quam determinationes eidem intrinſecæ (§. 94) ſola obſervatione innoteſcere, ut demonſtratione nulla hic ſit opus. Atat non modo in circumſtantiis & determinationibus intrinſecis detegendis frequens eſt ratiocinationis uſus; verum etiam oſtendendum, harum circumſtantiarum in agendo habendam eſſe rationem. Omnis autem ratiocinatio legem demonſtrationis ſervare debet, ſiquidem quoad certitudinem in notione determinata actionis nihil deſiderari debet. Qui adeo propoſitionem præſentem ad praxin transferet, propria experientia edoctus dubium

dubium nullum eſſe agnoſcet, modo demonſtrationis indolem ſatis perſpexerit.

§. 601.

Quando conſcientia recta non ſit certa

Qui ex ſyſtemate leges naturales, quas ad actiones rite determinatas applicat, ſibi perſpectas reddit, demonſtrationes tamen inſuper habet; ejus conſcientia vera quidem eſt, ſed non certa. Etenim cum in ſyſtemate leges naturales demonſtrentur (§. 84.), adeoque veræ ſint (§. 544. *Log.*); ſi quis ex eodem ſibi eas perſpectas reddit, & ad actionem in dato caſu applicat, ejus de actione judicium verum eſt (§. 990 *Log.*), adeoque conſcientia ejus recta eſt (§. 419. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen demonſtrationes inſuper habet, de veritate legum naturalium convictus non eſt (990. *Log.*), adeoque nec certus eſſe poteſt, eſſe legem naturæ veram, quam tanquam veram ſumit (§. 982. *Log.*), conſequenter nec certus eſt, ſuum de actione, de qua quæritur utrum bona ſit, an mala, utrum committenda, an omittenda, judicium eſſe verum. Ejus adeo conſcientia certa non eſt (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Patet itaque ejus conſcientiam, qui ex ſyſtemate leges naturales, quas ad actiones rite determinatas applicat, demonſtrationes tamen inſuper habet, rectam quidem eſſe, ſed non certam.

Elucet adeo neceſſitas ſyſtematis legum naturalium, quod nomen ſuum tuetur, in cuſtodienda conſcientia, & ſtudii indefeſſi in eodem perlegendo collocandi. Apparet etiam, cuſtodiam conſcientiæ perfectam non eſſe adeo facilem, quam vulgo putatur. Ceterum cum in Philoſophia tantummodo doceamus, quomodo viribus naturalibus certa conſcientia ſit obtinenda, ut conſcientiam noſtram cuſtodiamus; ea extendenda non ſunt ad actiones regenitorum, in quibus gratia naturæ defectum ſupplens vicem demonſtrationis ſubit. Sed hæc diſtinctius exponenda relinquimus iis, qui differentiam

tiam inter naturam & gratiam diſtincte explicaturi ſunt. In Philoſophia docemus, quid fieri deberet, ſiquidem ſolis naturæ viribus obligationi legis naturalis ſatisfaciendum eſſet. Quid horum fieri poſſit, quid non, experientia docebit. Theologi vero eſt docere, quomodo gratia naturæ defectum ſuppleat. Hæc ideo monemus, ne quis exiſtimet, nos naturæ vires in nimium extendere, ut gratiæ nihil relinquatur. Neque enim ideo contendimus, ea omnia a nobis fieri poſſe, quæ fieri debere demonſtramus, ſiquidem ſolis naturæ viribus fidendum eſſet; ſed ut defectus harum virium diſtincte agnoſcantur, & quid natura amplius præſtet gratia intelligatur. Proſunt adeo hæc principia ad excellentiam religionis chriſtianæ demonſtrandam.

§. 602.

Si quis conſcientiam custodire voluerit, ab omnibus ſcrupulis eam liberare debet. Qui enim conſcientiam cuſtodire vult ei curæ eſſe debet, ut conſcientia ſit certa (§ 519. *Part. I. in Phil. pract. univ.*), conſequenter animum convincere tenetur de veritate judicii ſive theoretici, ſive practici, quod fert de actione in dato caſu (§. 420 *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque certus ſit neceſſe eſt actionem eſſe bonam, adeoque committendam, quam bonam & committendam judicat, vel eſſe malam, adeoque omittendam, quam malam & omittendam judicat (§. 982. 564. 506. *Log.*). Ferendum igitur non eſt, ne ob rationes in contrariam contradictionis partem occurrentes adhuc verendum ſit, ne actio ſit mala, quam committendam eſſe judicat, vel bona, quam judicat omittendam. Quamobrem cum rationes iſtæ ſint ſcrupuli conſcientiæ (§. 421. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ſi quis conſcientiam cuſtodire voluerit, ab omnibus ſcrupulis eam liberare debet.

Scrupuli conſcientiæ in cuſtodia conſcientiæ arcendi.

Quamdiu ſcrupulis conſcientiæ urgetur animus, rationes adhuc proſtant, ob quas verendum, ne judicium tuum de actione latum ſit falſum (§. 421. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeo-

adeoque nondum agnoſcis, eſſe ipſum verum, conſequenter tibi certum non eſt (*§. 564. Log.*). Nondum igitur convictus es de veritate eiusdem (*§. 982. Log.*) conſequenter conſcientia nondum certa (*§. 420. Part. I. Phil. pract. univ.*). Conſcientia itaque certa nullos fert ſcrupulos. Quambobrem conſcientiam cuſtoditurus ab iis animum liberare tenetur (*§. 59. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo ſcrupulis conſcientiæ locum concedis, nec de iisdem tollendis cogitas, te conſcientiam minime cuſtodire, quemadmodum par erat, patet. Equidem fieri poteſt, ut omnem moveas lapidem ad ſcrupulos conſcientiæ animæ eximendos, ſed nullo tamen ſucceſſu. Tum vero non tua culpa hoc accidit, nec tibi in cuſtodienda conſcientia culpa ulla imputari poterit. Sufficit itaque, te nullius culpæ tibi conſcium eſſe.

§. 603.

Modus removendi ſcrupulos conſcientiæ.

Si conſcientia efficitur certa, ſcrupuli conſcientiæ una tolluntur. Si enim conſcientia efficitur certa, convictus es de veritate judicii, quod de actione committenda vel omittenda a te fertur (*§. 420. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter hoc judicium tibi certum eſt (§. 982. *Lg.*), atque adeo agnoſcis eſſe verum (§. 564. *Log.*). Quamobrem quæcunque ſeſe offerant rationes in partem contrariam contradictionis, non tamen ob eas vereris, ne falſum ſit judicium tuum. Scrupuli igitur conſcientiæ nulli ſunt (§. *421. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem patet, ſcrupulos conſcientiæ una tolli, ſi conſcientia efficitur certa.

Eadem igitur demonſtratione, cujus vi acquiritur conſcientia certa (*§. 459. Part. I. Phil. pract. univ.*), tolluntur etiam ſcrupuli conſcientiæ (*§. 460. Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui vim demonſtrationis percepit, non ignorabit, adverſus demonſtrationem nullam eſſe vim objectionum, etiamſi eas removere nondum poſſit. Etenim cum certiſſimum tibi ſit, demonſtrationem minime fallere, & ejus vi convictus, quod demon-

Digitized by Google

demonſtratum eſt tanquam verum admittis; eo ipſo etiam certus es, rationes in contrarium proſtantes eſſe tantummodo apparentes, adeoque oſtendi poſſe, easdem non obſtare veritati, etſi hoc oſtendere nondum valeas.

§. 604.

Si ſcrupuli conſcientiæ ſeorſim tolluntur, conſcientia efficitur tanto certior. Etenim ſcrupuli conſcientiæ ſunt rationes in contrariam contradictionis partem occurrentes, ob quas veremur, ne actio a nobis patrata vel patranda ſit mala (§. *421. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ubi ſeorſim tolluntur, verendum non eſt, ne noſtrum de actione judicium forte ſit falſum, quin potius agnoſcis, eos non obſtare, quo minus ſit verum. Quoniam itaque non modo noſti, judicium tuum eſſe verum, verum etiam intelligis, quæ in contrarium afferri poſſunt, nullius eſſe momenti; quin tanto certior ſis, verum eſſe tuum de actione judicium dubitandum non eſt. Quodſi ergo ſcrupuli conſcientiæ ſeorſim tolluntur, conſcientia tanto certior efficitur (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*). *Cur ſeorſim tollendi.*

Scrupuli conſcientiæ æquipollent objectionibus. Quemadmodum itaque cerior eſt propoſitionis cujuscunque veritas, ſi ea non modo demonſtrari, verum etiam objectionum nullitas oſtendi poſſit; ita quoque certitudo conſcientiæ firmior evadit, ſcrupulis conſcientiæ enervatis peculiari opera. In veritatibus moralibus, in quibus appetitus ſenſitivus contra evidentiam rationis nititur, aliter ſeſe res habet, quam in geometricis, ubi is non influit in determinandum aſſenſum, niſi forſan ex accidente deficiente evidentiæ ſenſu.

§. 605.

Si conſcientiam a ſervitute liberare volueris, dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum. Etenim *Quomodo conſcien-*

tia a ſervitute liberetur.

cum conſcientia ſerva ſit, quando appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem trahimur, vel affectuum impetu in eandem abripimur, dum judicium de actione committenda, vel omittenda, fertur (§. *426. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſi conſcientiam ſervam eſſe nolis, ſenſui, imaginationi atque affectibus reſiſtendum, ne prævaleant adverſus rationem. Quoniam itaque in hac reſiſtentia dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus conſiſtit (§. 554.); ſi conſcientiam a ſervitute liberare volueris, dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum.

Quoniam dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquiſitu difficile (*not.* §. *584.*); ideo patet, cur difficile ſit a ſervitute liberare conſcientiam.

§. 606.

Quanam ad conſcientiæ cuſtodiam requirantur, ut ſit libera.

Quoniam ad cuſtodiam conſcientiæ quoque pertinet cura de libertate ejusdem (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*), & qui eam cuſtodire vult, ſibi cavere debet, ne ſit ſerva (§. 597), a ſervitute autem ea liberari nequit, niſi dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquiras (§. 605.); *ſi conſcientiam cuſtodire volueris, dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendum.*

Patet adeo, curam, qua cavetur, ne ſerva ſit conſcientia, ejus cuſtodiam reddere perdifficilem.

§. 607.

Quandonam conſcientia ſit ſerva, quando libera.

In ſervitute morali conſcientia ſerva eſt; qui vero dominus ſui ipſius eſt, libera fruitur. Etenim in ſervitute morali agens ſenſuum, imaginationis & affectuum dominio ſubjectus eſt (§. 544), adeoque in determinandis actionibus, ſepoſita ratione, ſenſuum tantummodo, imagina-

tionis

tionis atque affectuum habetur ratio (§. 543.). Quando itaque de actione committenda, vel omittenda ferendum judicium, appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem trahitur, vel affectuum impetu in eandem abripitur (§. 512. 523. 542. 537.). In ſervitute itaque morali conſcientia ſerva eſt (§. *426. Part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Qui dominus ſui ipſius eſt, ſenſibus, imaginationi atque affectibus reſiſtere valet, ne prævaleant adverſus rationem (§. 555.), & ad erronea de actionibus ſuis judicia a ſenſu & imaginatione ſe ſeduci, affectuumque impetu ad legem naturæ transgrediendam ſe abripi minime patitur (§. 567.), appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva cum rationali (§. 572.) & ſenſibus ac imaginatione cum intellectu conſentientibus (§. 577.). Quamobrem cum libera ſit conſcientia, ſi appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem minime trahimur, nec affectuum impetu in eandem abripimur (§. *426. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui dominus ſui ipſius eſt, conſcientia fruitur libera. *Quod erat alterum.*

Conſideramus hic potiſſimum conſcientiam, quomodo ſeſe habet, occaſione agendi oblata. Conſtat enim homines, qui meliora edocti deteriora ſequuntur, extra hunc ſtatum ſenſuum, imaginationis atque affectuum dominio non eſſe ſubiectos, adeoque liberam experiri conſcientiam. Hæc notaſſe, uſum multiplicem habet in praxi morali.

§. 608.

Qui ex ſyſtemate legum naturalium ſufficientem earundem notitiam hauſit, & actionis in dato caſu notionem diſtinctam cuſtodiam ſibi format, vi demonſtrationis autem animum convincit, legem conſcientia, quam applicat, eſſe veram, & notionem actionis, quam eandem applicat, veram eſſe, ac praterea ab omnibus ſcru- *Quænam ad naturæ, ad requirantur.*

 pulis

pulis conſcientiam liberat, ſenſibusque, imaginationi & affectibus dominatur, conſcientiam ſuam cuſtodit. Etenim qui notitiam legum naturalium ex ſyſtemate haurit, & actionis, ad quam in dato caſu lex naturæ aliqua applicanda, notionem diſtinctam ſibi format, curam conſcientiæ gerit, ut ſit recta (§. 598.). Qui porro vi demonſtrationis animum convincit, legem naturæ, quam applicat, eſſe veram, & notionem actionis, ad quam eandem applicat, eſſe veram; is certus eſt de veritate judicii, quod de actione committenda vel omittenda fert (§. *982. Log.*), adeoque conſcientiæ curam gerit, ut ſit certa (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*), & peculiari opera ſublatis ſcrupulis, eam efficit certiorem (§. 604.). Qui denique ſenſibus, imaginationi atque affectibus dominatur, libera fruitur conſcientia (§. 607.). Quamobrem cum cuſtodiatur conſcientia, ſi curam ejus gerimus, ut ſit recta, certa atque libera (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui ea facit, quæ in hypotheſi propoſitionis præſentis ſumuntur, is conſcientiam ſuam cuſtodit.

Videmus adeo, quam multa atque ardua requirantur ad cuſtodiam conſcientiæ, de quibus parum cogitant, qui in defendendis actionibus ſuis ad conſcientiam provocare ſolent. Hinc cetera omnia pendent, quæ de cuſtodia conſcientiæ tenenda ſunt. Quodſi iis ſatisfiat, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur, cetera ſua ſponte conſequuntur. Etenim vi definitionis ad cuſtodiam conſcientiæ non requiritur, niſi ut ea ſit recta, certa ac libera. Quamobrem qui hanc curam gerit, ut rectam, certam atque liberam habeat conſcientiam, is eidem ſatisfacit.

§. 609.

Quinam ſecundum conſcienti-

Qui ſecundum conſcientiam rectam & certam ſemper agit, conſcientiam ſuam cuſtodit, & contra. Etenim qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eius judicium de

Digitized by Google

de actione committenda non modo verum eſt (§. 419. *Part. I. Phil. pract. univ.*), verum etiam de veritate ejusdem convictus eſt (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec dum judicium de actione committenda, vel omittenda fertur, appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem ſe trahi, vel affectuum impetu in eandem abripi patitur, conſequenter libera fruitur conſcientia (§. 426. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo ſemper ſecundum rectam & certam agit, adeoque ſecundum dubiam agere non vult (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec ſervæ locum facit (§. 426. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ſufficientem curam gerit, ut recta, certa ac libera ſit conſcientia. Quamobrem cum conſcientiam cuſtodiat, cui hæc cura eſt, ut ea ſit recta, certa atque libera (§. 519. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui ſecundum conſcientiam rectam & certam ſemper agit, conſcientiam ſuam cuſtodit. *Quod erat unum.*

am rectam & certam agant.

Ex adverſo, qui conſcientiam ſuam cuſtodit, is eam gerit curam, ut ea ſit recta, certa atque libera (§. 519. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut ſuum de actione committenda vel omittenda judicium non modo ſit verum (§. 419 *Part. I. Phil. pract. univ.*), verum etiam ut convictus ſit de veritate ejusdem (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem ſe trahi, vel affectuum impetu in eandem ſe abripi patiatur (§. 426. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum per judicium de actionis bonitate vel malitia determinetur voluntas & noluntas (§. 891. 590. & §. 881. *Pſych. empir.*), nec ullum adſit impedimentum, quo minus iſtud in agendo ſequamur (§. 592.); qui conſcientiam ſuam cuſtodit, ſecundum rectam & certam ſemper agit. *Quod erat alterum.*

Ni-

Nimirum omni conſcientiæ cuſtodia nil quicquam aliud intenditur, quam ut ſecundum conſcientiam rectam & certam agamus, nec ab hoc propoſito nos ullo modo abduci patiamur.

§. 610.

Obligatio ad conſcientiam cuſtodiendam.

Homo obligatur, ut conſcientiam ſuam cuſtodiat. Obligatur enim agere ſecundum conſcientiam rectam (§. 522. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ne per errorem habeat erroneam pro recta, etiam ſecundum certam (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eandem cuſtodit (§. 609.). Patet itaque hominem obligari, ut conſcientiam ſuam cuſtodiat.

Cuſtodiæ igitur hujus neglectus obligationi naturali adverſus, in numerum actionum privativarum legi naturæ ac divinæ contrariarum referendus, adeoque peccatum eſt (§. 440. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 611.

An conſcientioſum eſſe & conſcientiam cuſtodire ſint connexa.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, conſcientioſus eſt, ſed non ſtatim conſcientiam ſuam cuſtodit, qui conſcientioſus eſt. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, eidem curæ eſt ut recta ſit, certa atque libera conſcientia (§. 519. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut ſuum de actione committenda vel omittenda judicium ſit verum (§. 419. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & ut veritatis ſit convictus (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*); nec, dum fert judicium, appetitu ſenſitivo vel averſatione ſenſitiva in contrariam partem trahatur, vel affectuum impetu in eandem abripiatur (§. 426. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quin igitur ſeria ipſi ſit voluntas nunquam contra conſcientiam agendi, dubitandum non eſt. Enimvero qui contra conſcientiam agere nun-

Digitized by Google

nunquam vult, conſcientioſus eſt (§. *437. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui conſcientiam ſuam cuſtodit, conſcientioſus eſt. *Quod erat unum.*

Qui conſcientioſus eſt, contra conſcientiam agere nunquam vult (§. *437. Part. I. Phil. pract. univ.*); ſed non ideo ſufficientem adhibet curam, ut recta, certa & libera ſit conſcientia (§. 608.). Quamobrem cum is demum conſcientiam ſuam cuſtodiat, qui hanc curam gerit (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*); non ſtatim conſcientiam ſuam cuſtodit, qui conſcientioſus eſt. *Quod erat alterum.*

Propoſitio hæc probe notanda eſt. Dantur enim, qui pro uno eodemque habent conſcientiam cuſtodire & conſcientioſum eſſe, cuſtodiam conſcientiæ cum voluntate non agendi contra conſcientiam confundentes. Cuſtodia conſcientiæ hanc voluntatem ſupponit, ac inde eſt, quod conſcientioſus eſſe debeat, qui conſcientiam ſuam cuſtodit. Voluntas non agendi contra conſcientiam cuſtodiam conſcientiæ exigit, ſed non omnes hoc intelligunt, nec apertum eſt omnibus, quænam ad cuſtodiam conſcientiæ requirantur; immo non deſunt, qui ſibi perſuadent aliisque perſuadere conantur tot tantisque ambagibus non eſſe opus, per quas conſcientiam cuſtodienti incedendum eſſe demonſtravimus (§. 608.). Maximi autem momenti eſt veritatem propoſitionis præſentis agnoſci. Si quis enim exiſtimat ſe conſcientiam ſuam cuſtodire, modo ſecundum eandem agat, is ſecundum conſcientiam erroneam agere nullus dubitat, ita ut recte ſeſe agere arbitretur, modo ſecundum conſcientiam agat. Unde naſcitur pertinacia in male agendi propoſito & plurima dantur damna. Experientia domeſtica mihi ſuggerit exempla luculenta; ſed ea commemorare nolo, qui alienæ famæ ſtudere ſoleo, quantum ſine detrimento veritatis ac famæ propriæ fieri poteſt.

§. 612.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, cum conſcientia non *Accuſatio*

conſcientiæ a cuſtodia ejus aliena. *accuſat, ſeu ei verendum non eſt, ne eundem accuſet.* Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, nonniſi ſecundum rectam & certam agit (§. 609). Sed qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia non accuſat (473. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eum conſcientia non accuſat, conſequenter ipſi verendum non eſt, ne ſe accuſet.

Cuſtodia igitur conſcientiæ adverſus accuſationes ejusdem nos tuetur.

§. 613.

Excuſatio cum eadem connexa. *Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eum conſcientia excuſat.* Etenim qui conſcientiam ſuam cuſtodit, nonniſi ſecundum rectam & certam agit (§. 609). Enimvero qui ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, eum conſcientia excuſat (§ 464. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eum conſcientia excuſat.

Videmus adeo arctum dari nexum inter cuſtodiam conſcientiæ & excuſationem ejus. Quamobrem qui vult, ut conſcientia ſua ipſum ſemper excuſet, eandem omni animi ſollicitudine cuſtodiat opus eſt.

§. 614.

Morſibus conſcientiæ nullus in cuſtodia ejus locus. *Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eidem morſus conſcientiæ metuendi ſunt nulli.* Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, nonniſi ſecundum rectam & certam agit (§ 609). Verum enim vero qui nonniſi ſecundum conſcientiam rectam & certam agit, ei morſus conſcientiæ metuendi ſunt nulli (§. 497. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eidem morſus conſcientiæ metuendi ſunt nulli.

Patet adeo in cuſtodia conſcientiæ locum nullum relinqui morſibus conſcientiæ. Qui ergo eos evitare voluerit, in

Digitized by Google

in conſcientia ſua cuſtodienda ſe negligentem præſtare minime debet.

§. 615.

Si conſcientia cuſtoditur, tranquilla eſt, nec inquieta reddi poteſt. Si enim conſcientia cuſtoditur, homo non agit niſi ſecundum rectam & certam (§. 609.). Quodſi vero ſecundum rectam & certam agit, eius conſcientia tranquilla eſt (§. 511. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nec unquam inquieta reddi poteſt (§. 512. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi conſcientia cuſtoditur, tranquilla eſt, nec inquieta reddi poteſt. *Qualis ſit conſcientia, ſi cuſtoditur.*

Ecce fructum inſignem cuſtodiæ conſcientiæ, qui eam ſatis ſuperque commendat.

§. 616.

Qui conſcientioſus eſſe vult, conſcientiam cuſtodire tenetur. Etenim qui conſcientioſus eſſe vult, ſecundum conſcientiam rectam agere tenetur (§. 524. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ipſi curæ eſſe debet, ut ſecundum rectam & certam agat, ne, dum ſibi videtur agere ſecundum rectam, ſecundum erroneam agat (§. 420. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & ne appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva in transverſum agatur, vel affectuum impetu abripiatur, ut ſit libera (§. 426. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque conſcientiam ſuam cuſtodit, cui curæ eſt, ut conſcientia ſit recta, certa & libera (§. 519. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui conſcientioſus eſſe vult, conſcientiam ſuam cuſtodire tenetur. *Cur conſcientioſus conſcientiam cuſtodire debeat.*

Vulgo hoc non agnoſcitur. Quoniam enim cuſtodia conſcientiæ cum voluntate ſecundum conſcientiam agendi confunditur (*not.* §. 611.); ſatis ſuperque ſe conſcientiam ſuam cuſtodire ſibi perſuadent, modo ſuum de actionibus commit-

Digitized by Google

tendis, vel omittendis judicium ſequantur, parum ſolliciti, utrum recta ſit, nec ne, & multo minus inquirentes, num de veritate ejusdem convictum teneant animum. Homo conſcientioſus eſſe debet, conſequenter ſeria ipſi, ſeu conſtans & perpetua eſſe debet voluntas ſecundum conſcientiam agendi (§ 437. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ſed ſecundum rectam, niſi ſibimetipſi contrarius eſſe velit (*not.* §. 524. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Etenim niſi id agat, ut recta & certa ſit conſcientia, perinde omnino eſt, ſive ſecundum conſcientiam, ſive contra eandem agat, actiones ſuas per rationes extrinſecas determinans, quemadmodum facere ſolent, qui nullam conſcientiæ rationem habent.

§. 617.

Morſibus conſcientiæ mederi, quid ſit.

Morſibus conſcientiæ mederi dicimur, ſi animum a tædiis atque affectibus moleſtis, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur, liberamus.

Morſus conſcientiæ conſiderantur inſtar ſymptomatum morbi, quo anima laborat. Quemadmodum itaque morbi ſymptomatis medemur, ſi ea tollimus, ita quoque morſibus conſcientiæ medemur, ubi tolluntur. Quamobrem cum morſus conſcientiæ in tædiis atque affectibus moleſtis conſiſtant, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur (§. 488. *Part. I. Phil. pract. univ.*); morſibus conſcientiæ medemur, ſi animum a tædiis atque affectibus moleſtis, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur, liberamus. Convenienter admodum eosdem ſub ſchemate ſymptomatum morbi repræſentari, haud difficile nobis foret oſtendere per ea, quæ de notione naturalis & præternaturalis in arte Medica, *in Horis ſubſeciv. A. 1730. Trim. æſt. num. IV.* de notione ſanitatis, *in Hor. A. 1729. Trim. æſt. num. IV.* de notione morbi, *in Hor. ej. anni Trim. autum. num. IV.* & de notione ſymptomatis, *in Hor. A. 1731. Trim. vern. num. IV.* prolixius expoſita ſunt, ſiquidem nobis prolixioribus eſſe liceret. Nec hoc fieret inutiliter: reductio enim morſuum conſcientiæ ad ſymptomata morbi non modo inter artificia heuriſtica referri

Digitized by Google

ri meretur (§. 472. *Pſych. empir.*); verum etiam omnem de morſibus conſcientiæ doctrinam mirifice illuſtrat, ubi ſimul virtutem ad ſanitatem & vitium ad morbum reduxeris. Sed talia apertius docenda ſunt in Arte inveniendi.

§. 618.

Morſus conſcientiæ lenire, quid ſit. *Morſus conſcientiæ lenire* dicimur, ſi tædia, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur, minuimus, & affectus moleſtos eadem de cauſa ſubortos compeſcimus.

Non inconvenienter morſus conſcientiæ comparantur cum dolore, quem ex vulnere corpori inflicto vel alio quodam morbo interno percipimus, exquiſito. Quemadmodum itaque dolorem lenimus, ſi efficimus, ut minus, quam antea, ſentiatur; ita etiam lenire dicimur morſus conſcientiæ, ſi id conſequi ſtudemus, ut tædia, in quibus conſiſtunt, minora fiant, nec affectus ad eos referendi animum adeo valde moleſtent. Conveniunt hæc reductioni morſuum conſcientiæ ad ſymptomata morbi, quam modo diximus: in horum enim numero eſſe dolores, qui ex vulneribus vel morbo aliquo interno percipiuntur, abunde conſtat.

§. 619.

Quid fieri debeat, ſi morſibus conſcientiæ medendum. *Si morſibus conſcientiæ medendum, efficiendum ne conſcientia nos amplius accuſet.* Etenim morſus conſcientiæ conſcientiam conſequentem accuſantem comitantur (§. 488. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque tamdiu durant, quamdiu conſcientia nos accuſat. Quodſi ergo a tædiis & affectibus moleſtis, in quibus conſiſtunt (§. *cit.*), liberari debemus; id omnino efficiendum, ne conſcientia nos amplius accuſet. Quamobrem cum morſibus conſcientiæ medeamur, ſi animum a tædiis atque affectibus moleſtis, quæ conſcientiam conſequentem comitantur, liberamus (§. 617.); ſi morſibus conſcientiæ medendum, efficiendum omnino eſt, ne conſcientia nos amplius accuſet.

Digitized by Google

Ad quæſtionem maxime arduam deducimur, quomodo morſibus conſcientiæ ſit medendum. Accurata igitur diſcuſſione opus eſt, ut evidenter appareat, parum auxilii expectandum eſſe a natura, & quantum ex adverſo afferat gratia: id quod uſui eſt in excellentia religionis chriſtianæ demonſtranda. Velim igitur, ſingula, quæ proponuntur, probe expendantur.

§. 620.

Quonam remedio opus ſit ad medendum morſibus conſcientiæ.

Si male a nobis facta infecta fieri, vel eorum memoria prorſus abboleri poſſet; morſibus conſcientiæ hoc ipſo mederemur. Etenim ſi male a nobis facta infecta fieri, vel eorum memoria prorſus aboleri poſſet; fieri non amplius poſſet, ut, quam bonam, & ideo committendam judicaveramus, actionem, nunc malam & omittendam fuiſſe judicemus, & quam malam, ac ideo omittendam judicaveramus, eam nunc bonam ac ideo committendam fuiſſe judicemus. Quamobrem cum conſcientia nos accuſet, ſi, quam bonam, & ideo committendam judicaveramus, actionem, nunc malam & omittendam fuiſſe judicemus, & quam malam ac ideo omittendam judicaveramus, eam nunc bonam & committendam fuiſſe judicemus (§. 472. *Part. I Phil. pract. univ.*); ſi male a nobis facta infecta fieri, vel eorum memoria prorſus aboleri poſſet, hoc ipſo efficeretur, ne conſcientia nos amplius accuſaret. Enimvero ſi effici poſſet, ne conſcientia nos amplius accuſaret, morſibus conſcientiæ mederemur (§. 619.). Mederemur itaque iiſdem, ſi male a nobis facta infecta fieri, vel eorum memoria prorſus aboleri poſſet.

Nemo exiſtimet, propoſitionem præſentem nullius eſſe utilitatis: neque enim ſolum ex ſequentibus elucefcet, quinam ſit eius in praxi uſus, verum etiam eadem opus eſt, ubi oſtendendum, quomodo gratia perficiat naturam.

§. 621.

§. 621.

Quoniam factum infectum fieri nequit, & memoria præteritorum ne quidem diuturnitate temporis ſemper aboletur; *impoſſibile videtur, ut morſibus conſcientiæ medeamur, & vix ac ne vix quidem diuturnitate temporis ceſſant* (§. 620). *Difficultas medendi morſibus conſcientiæ.*

Quodſi ergo ſolis naturæ viribus fidendum, de remedio morſuum conſcientiæ deſperandum videtur. Quod vero naturæ viribus ſuperius eſt, gratiam non ſuperat. Religio enim chriſtiana docet medium, quo peccator in eum reſtituitur ſtatum, ut, quæ male fecit, non feciſſe cenſeatur, ſicque factum pro infecto habeatur. Ecce igitur tibi remedium morſuum conſcientiæ, quale ignorat ratio: id quod notaſſe prodeſt ad excellentiam religionis chriſtianæ demonſtrandam. Quodſi objicias, hoc remedio non tolli mala temporaria, in quæ nos male faciendo præcipites dedimus, & quæ cauſantur tædia, quibus angitur animus, conſequentur morſus conſcientiæ (§ *488. Part. I. Phil. pract. univ.*); difficultas non aliunde eſt, quam quod ignores, quantum valeat gratia, affectus iis contrarios ſuſcitans, qui in morſuum conſcientiæ numero ſunt (§. *cit.*), adeoque eosdem ſupprimens, conſequenter tanto magis cetera quæcunque tædia abolens. Sed noſtrum non eſt de his dicere diſertius, quæ docere Theologorum eſt. Sufficit excitaſſe attentionem, ut uſus principiorum philoſophiæ in maxime arduis Theologiæ capitibus intimius perſpiciatur.

§. 622.

Tædia affectusque moleſti, quibus torquetur animus, ob ea, quæ fecimus, nil proſunt, niſi ut hominem reddant infelicem. Etenim in tædiis affectibusque moleſtis, quibus torquetur animus ob ea, quæ fecimus, morſus conſcientiæ conſiſtunt (§. *488. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ea hominem infelicem reddunt (§. *493. Part. I. Phil. pract.* *Morſus conſcientiæ fovere cur ſit inutile.*

pract. univ.). Quamobrem cum ea, quæ fecimus, non fiant infecta, quod tædiis iſtis affectibusque moleſtis torqueatur animus; ſi iisdem indulgemus, nihil efficitur, quam ut infelices ſimus & in infelicitate perſiſtamus. Tædia igitur iſta affectusque moleſti, quibus torquetur animus, nil proſunt, niſi ut hominem reddant infelicem.

Nimirum infelicitas in perceptione horum tædiorum conſiſtit (*§. 637. Pſych. empir.*), quæ quo magis ſentiuntur, eo infelicior homo eſt, & quo diutius durant, eo diutius continuatur infelicitas. Quodſi ergo animum ad mala, in quæ te præcipitem dediſti male agendo, tantummodo advertens, hoc unice averſeris, quod feceris, & malles non feciſſe; tædia, quibus animus torquetur, foves, nec ex infelicitate evadis, ſed in ea potius detineris. Nemo eſt, qui non hoc agnoſcat, ubi vel levi attentione utitur, ita ut propoſitio præſens notionibus communibus annumeretur, & exemplo *Euclidis* axiomatum numero adſcribi poſſit. Vides enim vulgo provocari ad propoſitionem præſentem, ubi alios dehortamur, ut miſſa faciant tædia ob ea, quæ mutari non amplius integrum eſt.

§. 623.

Quomodo morſus conſcientiæ leniantur.

Quodſi probe perpendamus, tædia & affectus moleſtos, quibus torquetur animus ob ea, quæ fecimus, nil prodeſſe, niſi ut reddamur infelices, &, ſiquidem circumſtantiæ ferunt, de malefactis poſthac emendandis cogitemus; morſus conſcientiæ leniuntur. Etenim ſi probe perpendimus tædia & affectus moleſtos, quibus torquetur animus ob ea, quæ fecimus, nil prodeſſe, niſi ut reddamur infelices, cum infelicitatem per naturam noſtram averſemur (§. 325.), non modo animum ab iis avertere ſtudemus (*§. 372. Pſych. rat.*), ſed & attentionem ab iisdem in ſe trahunt operationes intellectus, ut ea minus percipian-

piantur (§. *237. 235. Pſych. empir.*), atque noluntas determinatur ad ea miſſa facienda (§. *882. Pſych. empir.*). Et ubi de malefactis poſthac emendandis, ſiquidem circumſtantiæ ferunt, cogitamus, ex prævisione futurorum naſcitur voluptas (§. *558. Pſych. empir.*), pro diverſitate graduum tædia iſta vel ſuperans vel ſaltem imminuens (§. *511. 518. Pſych. empir.* & §. *28. Ontol.*), ut iſta minus ſentiantur. Quamobrem cum morſus conſcientiæ leniantur, ſi tædia iſta diminuuntur, ut minus ſentiantur (§. 618); evidens omnino eſt, morſus conſcientiæ leniri, ſi probe perpendamus tædia & affectus moleſtos, quibus torquetur animus ob ea, quæ fecimus, nil prodeſſe, niſi ut reddamur infelices, &, ſiquidem circumſtantiæ ferunt, de malefactis poſthac emendandis cogitemus.

Non alia ſunt adverſus morſus conſcientiæ remedia, quæ a philoſophia expectanda, quam quæ hic commendamus. Abunde hoc liquet, ſiquidem eos inſtar ſymptomatum morbi conſiderare volueris (*not.* §. *617*). Accuſatio conſcientiæ morbo aſſimilatur, cuius cauſa eſt memoria malefactorum, per quæ in mala nos præcipites dedimus, ſive actiones poſitivæ fuerint, ſive privativæ, ſymptomati vero tædia & affectus moleſti, quæ memoria malefactorum & repræſentatione malorum, in quæ nos præcipites dedimus & per quæ actiones tanquam malæ nunc exhibentur, quas antea ob voluptatem apparentem judicaveramus bonas, excitantur. Morbo medemur, ſi tollitur cauſa morbi, quemadmodum evicimus (§. 619. 620.): quod ſi non prorſus impoſſibile, difficillimum tamen eſt ac nimis lente procedit (§. 621.). Symptomata curantur, ſi morſus conſcientiæ leniuntur, quemadmodum præſens loquitur propoſitio. Ceterum quæ leniendorum morſuum conſcientiæ hic commendantur remedia, multo efficaciora evadunt, ſi naturæ ſuppetias ferat gratia: id quod denuo Theologis demonſtrandum relinquimus, præſertim cum paucis doceri nequeant, quæ de his docenda veniunt.

niunt. Id autem notandum eſt, quod cura ſymptomatum, gratia ſuperveniente, abeat in curam ipſius morbi; quod cum paucis doceri non poſſit, non alio fine monemus, quam ut eorum attentionem excitemus, qui principiis theologicis ſatis ſunt inſtructi. Neque enim negari poteſt, ad talia, etſi cognitu admodum ſalutaria, & ad præſtantiam religionis chriſtianæ evincendam mirifice facientia, hactenus animum non adverti, propterea quod eam methodum ad tradendam Theologiam nondum adhibuerint autores, qua nos philoſophari cœpimus, nec uſum facere potuerint notionum philoſophicarum fœcundarum, quas a philoſophis hucusque neglectas philoſophia noſtra offert. Nulli vero dubitamus fore, ut ſemina, quæ ſpargimus, in aliorum hortis efflorescant. Quæ autem hic leniendis conſcientiæ morſibus præſcribuntur remedia, ipſo etiam uſu jam comprobata ſunt. Loquitur tamen experientia, quam plerumque ſint invalida, niſi gratia roborentur. Et ubi naturalis aliqua eſſe debet efficacia, ſingularem præſupponit diſpoſitionem animi, quemadmodum ſimili de cauſa non eadem remedia proſunt eodem morbo afflictis. Sed hæc ſuo tempore eluceſcent, ubi in philoſophia morali ad ſpecialia deſcendemus, quæ in philoſophia practica univerſali locum habere nequeunt, cum multa præſupponant ibidem demum demonſtranda. Affectus moleſti complures ſunt, qui inter morſus conſcientiæ numerantur (§. 482. 485. 489. & ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.), qui quomodo compeſcantur, in philoſophia morali inquirendum. Patienter cum ferenda ſint mala, in quæ nos præcipitavimus; huc etiam faciunt, quæ de patientia ſuo loco demonſtrabuntur. Hæc ideo monenda eſſe duximus, ne quis acutior ſibi perſuadeat, nos multa omiſiſſe, quæ adhuc dici poterant, limites non perpendentes, quos philoſophia practica univerſalis ſibi præfixos habet.

§. 624.

Cur ſumma cura

Maxima homini cura eſſe debet morſus conſcientiæ evitandi. Etenim impoſſibile videtur, ut morſibus conſcien-

ſcientiæ medeamur, & vix ac ne vix quidem diuturnitate temporis ceſſant (§. 621.), immo eos leniendi remedia difficilia ſunt, nec ſemper efficacia (§. 623.). Quamobrem cum nemo non fateatur, tanto magis ſibi cavendum eſſe a malo, quanto difficilius ab eodem liberamur; maxima quoque homini cura eſſe debet morſus conſcientiæ evitandi. *evitandi morſus conſcientiæ eſſe debeat.*

Quoniam ei morſus conſcientiæ metuendi ſunt nulli, qui conſcientiam ſuam cuſtodit (§. 614.); dum ſupra oſtendimus, quomodo conſcientia cuſtodiatur (§. 608.), hoc ipſo etiam docuimus, quomodo morſus conſcientiæ evitentur. Etſi autem paulo ante monuimus (*not.* §. *621.*), religionem chriſtianam ſuppeditare remedium adverſus morſus conſcientiæ efficaciſſimum; hinc tamen minime inferre licet, homini chriſtiano abjiciendam eſſe curam evitandi morſus conſcientiæ, aut ſaltem non tantam in eo requiri, quam in homine, qui in ſolis naturæ viribus præſidium omne collocare tenetur. Cum enim periculoſiſſimum morbi graviſſimi ſymptoma cenſeri debeant morſus conſcientiæ (*not.* §. *617.*); ecquis adeo veſanus & a ratione omni alienus erit, ut morbum, cujus periculoſiſſima ſunt ſymptomata, evitandi curam nullam, aut ſaltem non multam eſſe debere credat, propterea quod noverit proſtare ſpecificum quoddam adverſus iſtum remedium? Omittimus ea, quæ Theologus reſpondebit.

§. 625.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eum conſcientia nunquam damnat, ſed ſemper abſolvit. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, ſecundum conſcientiam rectam & certam ſemper agit (§. 609.). Sed qui ſecundum conſcientiam rectam & certam ſemper agit, eum conſcientia nunquam damnat, ſed ſemper abſolvit (§. *517. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo qui conſcientiam ſuam cuſtodit, eum conſcientia nunquam damnat, ſed ſemper abſolvit. *Medium damnationem conſcientiæ evitandi, & motivum cuſtodiæ conſcientiæ.*

 Quod

Digitized by Google

Quod medium evitandi damnationem conſcientiæ ſit ſimul medium hoc obtinendi, ut nos abſolvat, tam ex collatione definitionum (§. *504. Part. I. Phil. pract. univ.*), quam ex iis patet, quæ ad ſignificatum hujus damnationis atque abſolutionis rectius intelligendum annotavimus (§. *517. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ceterum ſi probe ad animum revocamus, cuſtodienti conſcientiam non eſſe metuendam damnationem, ſed certum potius eſſe, quod eum conſcientia ſemper ſit abſolutura, motivum cuſtodiæ conſcientiæ habemus. Præſens adeo propoſitio continet & medium id conſequendi, ut conſcientia nos abſolvat, & remedium adverſus damnationem conſcientiæ & motivum vitandi neglectus ejusdem. Hæc ideo monemus, ut excitemus lectoris attentionem ad ea, quæ demonſtrantur. Etenim quæ mediorum, remediorum & motivorum tam actionum poſitivarum, quam privativarum loco ſunt, ea demonſtramus; quod vero ſint media, remedia & motiva, ut demonſtremus, ſuperfluum exiſtimamus. Cui enim ſunt terminorum iſtorum generalium notiones diſtinctæ, is ipſemet facile judicabit, quænam in mediorum, quænam in remediorum & quænam in motivorum numerum ſint referenda. Monitum hoc generale ad philoſophiam quoque moralem ſpectat.

§. 626.

Remedium adverſus ſomnum conſcientiæ. *Si quis ardore flagrat vitam legi naturali conformem vivendi, & data qualibet occaſione agendi de actionis cum lege naturæ convenientia cogitandi conſuetudinem contrahit, is conſcientiam ſuam dormitare non ſinit.* Etenim qui data qualibet occaſione agendi de actionis cum lege naturæ convenientia cogitare conſuevit, is antequam agit, inquirit, utrum actio ſit bona, nec ne, utrum committenda, an omittenda (§. *244 153. Part. I. Phil. pract. univ.*). Et quoniam ardore flagrat vitam legi naturali conformem vivendi, ab hoc propoſito non facile ſe dimoveri patitur (§. 224.), & vitam legi naturali conformem fortius appetit (§. 223),

Digitized by Google

(§. 223.), conſequenter non modo in convenientiam & disconvenientiam actionis patrandæ ſollicite inquirit, verum etiam ut certior ſit, ſe vitam legi naturæ conformem vivere, actionem perpetratam, ſi quidem opus fuerit, denuo ad examen revocat, utrum recte commiſſa, an omiſſa fuerit. Quamobrem cum conſcientia dormitet, ſi neque, antequam quicquam agimus, ſollicite inquiramus, utrum actio ſit bona, nec ne, utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata de actionibus præteritis disquirimus, utrum recte commiſſæ, an omiſſæ fuerint (§. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui ardore flagrat vitam legi naturali conformem vivendi, & data qualibet occaſione de actionis cum lege naturæ convenientia cogitandi conſuetudinem contrahit, conſcientiam ſuam dormitare non ſinit.

Ecce adeo remedium adverſus ſomnum conſcientiæ, qui ei tribuitur, cujus conſcientia dormitat (§. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*). Remedium hoc quod in poteſtate ſit, conſtat ex ſuperioribus (§. 412. 437.).

§. 627.

Quoniam qui dominium in ſenſus imaginationem atque affectus acquirere voluerit, in ſe excitare debet ardorem legem naturalem ſervandi, eamque non transgrediendi, ſeu vitam eidem conformem vivendi, & conſuetudinem contrahere tenetur actionem patrandam ad examen revocandi, utrum ſcilicet bona ſit, an mala, utrum committenda, an omittenda (§. 568.); *qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere ſtudet, conſcientiam ſuam dormitare non ſinit.* *Connexio dominii moralis cum evitatione ſomni conſcientiæ.*

Videmus adeo remedium adverſus ſomnum conſcientiæ in medio acquirendi dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus una contineri, ut adeo ab eo, qui dominium hoc ac-

quirere alacriter ſtudet, ſomnus conſcientiæ evitetur, etiamſi de eo nulla animum ſubeat cogitatio.

§. 628.

Quinam a ſomno conſcientiæ liber ſit.

Quia qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirit, eadem opera ſomnum conſcientiæ evitat (§. *præc.* & §. 499. *Part. I. Phil. pract. univ.*); *dominus ſui ipſius in ſomnum conſcientiæ non incidit, ſed ab eo liber eſt* (§. 554. 555.).

Non inutile eſt in moralibus probe perpendi, quænam iisdem mediis conſequamur, & quænam eadem admittant motiva: ita enim praxis redditur facilior, ut alios uſus jam taceamus.

§. 629.

Somni conſcientiæ cum ſervitute morali connexio.

In ſervitute morali conſcientia dormitat. Etenim in ſervitute morali in determinandis actionibus ratio tantummodo habetur ſenſuum, imaginationis atque affectuum (§. 544.). adeoque agens non inquirit, utrum actiones, quas perpetrat vel perpetravit, legi naturali ſint conformes, nec ne, conſequenter utrum ſint moraliter bonæ, ac ideo committendæ, an vero moraliter malæ, ac ideo omittendæ (§. 244. 153. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Dormitat conſcientia, ſi neque, antequam quicquam agimus, ſollicite inquirimus, utrum actio ſit bona, nec ne, utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata disquirimus, utrum recte fuerit commiſſa, an omiſſa (§. 499. *Part. I. Phil. pract. univ.*). In ſervitute adeo morali conſcientia dormitat.

Videmus, itaque, qualis ſit ſtatus conſcientiæ in ſervitute morali, oppoſitus nimirum ei, qui in dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus locum habet.

§. 630.

Quamdiu

Quamdiu conſcientia dormitat, homo in ſervitute morali

Digitized by Google

rali detinetur. Etenim quamdiu conſcientia dormitat, neque, antequam quicquam agimus, ſollicite inquirimus, utrum actio bona ſit, an mala; utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata disquirimus, utrum ea recte fuerit commiſſa, an omiſſa (§ 499 *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter in determinandis actionibus noſtris nullam rationem habemus legis naturalis (§. 244. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque rationem ſeponimus (§. 259. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem in determinandis iisdem tantummodo rationem habere poſſumus ſenſuum, imaginationis atque affectuum. Atat qui in determinandis actionibus ſuis, ſepoſita ratione, tantummodo ſenſuum, imaginationis atque affectuum rationem habet, ſervus ſui ipſius eſt, ſeu in ſervitute morali detinetur (§. 544.). Patet itaque hominem tamdiu in ſervitute morali detineri, quamdiu conſcientia dormitat. *ſervituti moralis detineret.*

Non aliæ homini ſunt facultates, niſi ſuperiores & inferiores. Quodſi ergo nullus eſt facultatum ſuperiorum in determinandis actionibus uſus; neceſſe eſt ut tantummodo facultates inferiores in earundem determinationem influant. Rationi convenienter determinantur actiones per facultates ſuperiores. Illa igitur ſepoſita, non relinquitur locus niſi ſenſibus, imaginationi atque affectibus. Actus conſcientiæ non elicitur, niſi uſu rationis (§. 452. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ut bruta careant conſcientia, quia carent ratione (§. 453. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem non eſt, quod miremur, in ſervitute morali nullum elici conſcientiæ actum, adeoque dormitare conſcientiam, ita ut in ſervitute morali detineatur is, cujus conſcientia dormitat, *vi præſentis*, & viciſſim ejus conſcientia dormitet, qui in ſervitute morali detinetur, *vi præcedentis* (§. 629.).

§. 631.

Initium vindicationis ſui in libertatem ex ſervitute morali.

Quoniam *homo* tamdiu in ſervitute morali detinetur, quamdiu conſcientia dormitat (§. 630.), *ſi ex ſervitute morali in libertatem ſe vindicare debet, neceſſe eſt ut ſomnus conſcientiæ excutiatur*, conſequenter ut actus conſcientiæ ſaltem conſequentis eliciatur (§. 499. *Part. I. Phil. pract. univ.*). *Atque* adeo *conſcientia evigilat* (§. 501. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

Videmus itaque, quomodo inchoetur vindicatio ſui in libertatem ex ſervitute morali, nimirum, ſi conſcientia, quæ dormitat, evigilat. Antequam enim hoc fiat, impoſſibile eſt, ut ſui libertatis vindicandæ gratia dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere ſtudeat (§. 586.). Dormitante conſcientia, vivitur in diem, nec ulla animum ſubit de ſtatu mutando cogitatio: immo ridetur, qui de eo verba facit, ſaltem verba ejus non admittuntur ad animum: narratur ſurdis fabula. Patent hæc non minus a priori per principia noſtra, quam a poſteriori obvia proh dolor! experientia confirmantur.

§. 632.

Modus efficiendi, ut conſcientia alterius dormitans evigilet.

Si efficere volueris, ut conſcientia alterius, quæ dormitat, evigilet; eidem repræſentare debes mala, ex actionibus neceſſario vel jam conſecuta, vel adhuc conſecutura, immo in poſterum ſecuturorum, ſi actiones easdem committere, vel omittere pergat, convincere teneris. Conſcientia enim evigilat, ſi is, cujus conſcientia dormitat, experitur mala ex actione neceſſario conſecuta (§. 502. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi ipſi repræſentas mala, quæ ex actionibus ipſius jam neceſſario conſecuta, ut ad ea eorundemque cum actionibus ſuis nexum animum attendat; perinde eſt ac ſi mala iſta nunc demum experiretur (§. 664. *Log.*). Et ſi ipſum convincas malo-

Digitized by Google

malorum ex iisdem poſthac conſecutorum, ut de eorum conſecutione certus ſit (§. *982. Log.*), adeoque ea prævidens quaſi coram intueatur, denuo perinde eſt, ac ſi eadem experiretur (§. *664. Log.*). Conſcientia igitur ejus evigilabit. Quamobrem ſi efficere volueris, ut conſcientia alterius, quæ dormitat, evigilet; eidem repræſentare debes mala ex actionibus ejus neceſſario conſecuta, & adhuc conſecuturorum, immo in poſterum ſecuturorum, ſi actiones easdem committere vel omittere pergat, convincere teneris.

Equidem eodem modo, quo ſomnum conſcientiæ alteri excutimus, effici quoque poterat, ut propria conſcientia evigilet: quoniam tamen in ipſo ſomno conſcientiæ nulla continetur ratio propoſiti eum excutiendi, quemadmodum ex ejus definitione vi notionis rationis (§. *56. Ontol.*) facile colligitur (§. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*), neceſſe eſt, ut caſu quodam inopinato offeratur ratio, quæ conſuetudinem agendi nobis ſuſpectam reddat: præſupponuntur etiam rationes, cur propoſitum iſtud ſit ſatis firmum, ne ab eodem ſtatim deſiſtas, nec tædia, quæ creat conſcientia evigilans, te determinent ad conſcientiam denuo ſopiendam (§. *503. Part. I. Phil. pract. univ.*), & ſic ad ſomnum conſuetum redeatur (*not.* §. *cit.* & §. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 633.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere vult, ſeu non vult committere actionem, niſi quam certo novit legi naturali conformem, nec vult omittere actionem, niſi quam certo novit eidem adverſam. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, ſecundum conſcientiam rectam & certam ſemper agit (§. 609.). Quamobrem conſcientia ejus non modo rationi conformis eſt (§ *457. Part. I. Phil. pract. univ.*); verum etiam ipſe, convictus eſt, eam eſſe

Propoſitum ſervandi legem naturæ in cuſtodia conſcientiæ.

rationi conformem (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*). Non igitur committere vult niſi actiones, quæ ſunt rationi, adeoque legi naturali conformes, nec omittere actiones, niſi quæ ſunt rationi, adeoque legi naturali adverſæ (§. *456. Part. I. Phil. pract. univ.*). Et quoniam convictus eſt de conformitate actionum, earundemque repugnantia cum lege naturali (*per demonſtrata*); non vult committere actionem, niſi quam novit certo eidem conformem, nec omittere actionem, niſi quam certo novit eidem adverſam (§. *982. Log.*), adeoque ne latum quidem unguem recedere vult a lege naturali.

Arctiſſima cuſtodia legis naturalis adeo arcto vinculo cum cuſtodia conſcientiæ eſt connexa, ut, quamprimum vel minima in illa negligentia notatur, nec in hac te præbeas ſatis diligentem. Defectus cuſtodiæ legis naturalis in cuſtodiam conſcientiæ redundat omnis. Et quantum is imputandus venit, tantundem etiam imputabitur, qui in cuſtodiam conſcientiæ redundat.

§. 634.

Quinam conſcientiam cuſtodiat.

Qui nullam unquam committere vult actionem, niſi quam certo novit legi naturali conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam; conſcientiam ſuam cuſtodit. Etenim qui nullam unquam committere vult actionem, niſi quam certo novit legi naturali conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam, ei omnino curæ eſt, ut non modo ſuum de actione judicium ſit verum, verum etiam ut certus ſit, idem eſſe verum (§. *564. Log.*), conſequenter ut de veritate ejus ſit convictus (§. *982. Log.*), adeoque curæ ipſi eſt, ut conſcientia ſit recta (§. *419. Part. I. Phil. pract. univ.*), & certa (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter & libera (§. *426. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hac cura conſcientiæ cuſtodia ab-

abſolvitur (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui nullam unquam committere vult actionem, niſi quam certo novit legi naturæ conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam, conſcientiam ſuam cuſtodit.

§. 635.

Qui virtute præditus eſt, conſcientiam ſuam cuſtodit, & qui eam cuſtodit, virtutem colit, ſeu eidem deditus eſt. Etenim qui virtute præditus eſt, ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. *328 Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter nunquam committere vult niſi actiones, quas legi naturæ conformes certo novit, nec omittere niſi actiones, quas eidem adverſas certo novit, neque ab hoc propoſito ullo modo ſeſe dimoveri patitur (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*). Enimvero qui nunquam vult committere actionem, niſi quam certo novit legi naturæ conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam, conſcientiam ſuam cuſtodit (§. 634.). Quamobrem qui virtute præditus eſt, conſcientiam ſuam cuſtodit. *Quod erat unum.*

Cuſtodiæ conſcientiæ cum virtute indivulſus nexus.

Ex adverſo, qui conſcientiam ſuam cuſtodit, nullam unquam committere vult actionem, niſi quam legi naturæ conformem certo novit, nec ullam unquam omittere, niſi quam certo novit eidem adverſam (§. 633.), conſequenter actiones ſuas legi naturali conformiter dirigit. Quoniam igitur hoc virtutis eſt (§. *321. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui conſcientiam ſuam cuſtodit, virtuti deditus eſt, ſeu eam colit. *Quod erat alterum.*

Cuſtodia igitur conſcientiæ a virtute ſeparari nequit, nec virtus ab illa ſejungi poteſt.

Digitized by Google

§. 636.

Cura rectitudinis actionum ad cuſtodiam conſcientiæ requiſita.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ei omnimoda actionum rectitudo curæ eſſe debet. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ne latum quidem unguem a lege naturali recedere tenetur (§. 633.). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actionum liberarum rectitudinem (§. 189. *Part. I. Phil. pract. univ.*); omnimoda actionum rectitudo ei curæ eſſe debet.

Sollicita rectitudinis actionum cura quam maxime requiritur ad cuſtodiam conſcientiæ, ſiquidem tranquilla & ab omni inquietudine libera frui volueris. Defectu enim rectitudinis plurima dantur damna, ut adeo ſemper habeas, quod tibi imputes (§. 643. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ad hanc imputationem ubi animum advertis, tædiis atque affectibus moleſtis opplebitur animus.

§. 637.

Culpæ evitatio ad cuſtodiam conſcientiæ requiſita.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, culpam omnem evitare tenetur. Etenim qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ei omnimoda actionum rectitudo curæ eſſe debet (§. 636.), conſequenter omni animi ſollicitudine ſibi cavere tenetur, ne actio ulla ex parte a rectitudine deficiat, ubi penes ſe ſtetiſſet evitare defectum, modo voluiſſet, adeoque ne adſit ullus defectus a rectitudine vincibilis (§. 692. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque defectus rectitudinis actionis vincibilis omnis culpa quædam eſt (§. 696. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, culpam omnem evitare tenetur.

Patet adeo ratio, cur hic de vitanda culpa agatur, ubi cuſtodiam conſcientiæ exponimus.

§. 638.

Fructus

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, ab omni ſenſu culpæ va-

vacuum habet animum, ſeu nullius culpæ ſibi conſcius eſt. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, omni animi ſollicitudine id agit, ut culpam omnem evitet (§. 637.). Quamobrem culpæ nullius ſibi conſcius eſt, adeoque ab omni ejus ſenſu liberum ſeu vacuum habet animum. *Cuſtodiæ conſcientiæ.*

Ecce tibi inſignem cuſtodiæ conſcientiæ fructum, qui ſolus eam nobis commendare valet, modo expertus fueris, quid hoc ſit nullius ſibi culpæ conſcium eſſe. Abunde hoc patebit ſuo tempore in philoſophia morali, ubi dulcedinem hujus fructus & inſignem efficaciam in caſibus arduis inculcaturi ſumus.

§. 639.

Quoniam culpa in genere ſic dicta, quæ culpæ omnis nomine venit (§. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), tam culpam commiſſionis, quam culpam omiſſionis comprehendit (§. 720. *Part. I. Phil. pract. univ.*), qui vero conſcientiam ſuam cuſtodit, ab omni culpa vacuum habet animum (§. 638.); *qui conſcientiam ſuam cuſtodit, non minus a culpa omiſſionis, quam a culpa commiſſionis vacuum habere debet animum.* *Culpa & omiſſionis & commiſſionis cuſtodiæ conſcientiæ contraria.*

Nimirum qui cuſtodire voluerit conſcientiam, non minorem curam gerere debet, ne quid culpa ſua omittat, quam ne quid eadem committat. Quemadmodum conſcientia non minus rationem habet actionum omittendarum, quam committendarum (§. 418. 419. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ita quoque in ejus cuſtodia non minus ratio rectitudinis habenda eſt in actionibus privativis, quæ omittuntur, quam in poſitivis, quæ committuntur (§. 24. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 640.

Similiter quia culpa in genere ſic dicta, ſeu culpa omnis vel dolus eſt, vel culpa in ſpecie ſic dicta (§. 696. 701. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), qui vero conſcientiam ſuam *Quantum extendatur ſtudium vitandæ*

culpæ in cuſtodia conſcientiæ. ſuam cuſtodire vult, culpam omnem evitare tenetur (§. 637.) & nullius culpæ ſibi conſcius eſſe debet (§. 638.); *qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, is non modo ſibi cavere debet a dolo, verum etiam a qualibet culpa in ſpecie ſic dicta.*

Videmus adeo, quam late pateat ſtudium vitandæ culpæ, ſiquidem conſcientiam ſatis cuſtodire volueris. Vulgo hoc non advertitur, propterea quod doctrina de culpa in ſpecie ſic dicta in philoſophia practica hactenus neglecta, nec in Juriſprudentia pro dignitate expenſa. Unde videas ea, quæ ad culpam in ſpecie ſic dictam referenda, vel prorſus non curari, vel ad ea referri, quæ infirmitati humanæ veniunt tribuenda, adeoque toleranda ſunt. Culpa in ſpecie ſic dicta multis modis committitur, quemadmodum abunde intelligitur ex iis, quæ de diverſis ejus ſpeciebus dicta ſunt in parte priori Philoſophiæ practicæ univerſalis. Quamobrem cuſtodiæ conſcientiæ magnam partem facit ſtudium culpæ vitandæ.

§. 641.

Origo culpæ. *Culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficiſcitur.* Etenim defectus rectitudinis actionis quicunque vincibilis non uſui facultatum tribuendus (§. 744. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero defectus rectitudinis actionis vincibilis culpa eſt (§. 696. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficiſcitur.

Vides adeo, quam neceſſarium ſit, ut intelligamus, quemnam facultatum uſum facere poſſimus, ne actio a rectitudine deficiat. Quoniam enim ad actionum rectitudinem, ſeu recte agendum obligamur (§. 189. *Part. I. Phil. pract. univ.*); quin etiam obligemur ad eum facultatum noſtrarum uſum faciendum, qui ad recte agendum requiritur, dubitandum non eſt. Quinam vero ſit hic uſus, tum demonſtrabitur, quando officia hominis erga ſeipſum expoſituri ſumus. Quænam animæ ſint facultates in Pſychologia empirica explicavimus, & in rationali addidimus, quænam ad eas intimius inſpi-

Digitized by Google

ſpiciendas proſunt. Facultates corporis, quæ diverſæ facultatis locomotivæ ſpecies ſunt (§. *66. Part. I. Phil. pract. univ.*), expendemus, ubi officia hominis erga corpus ſuum trademus. Nemo igitur in Philoſophia practica univerſali notionem originis culpæ adæquatam expectet. Traduntur hic nonniſi generalia: quæ vero ſub iisdem continentur ſpecialia, ſpeciali tractationi reſervantur.

§. 642.

Medium generale culpam evitandi.

Quoniam culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficitur (§. 641.), *qui culpam evitare vult, omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, &, ut facere poſſit, omnem dare debet operam.*

Facultates equidem homini naturales ſunt; non tamen earum uſus eidem connaſcitur, ſed demum acquiritur. Obvia hoc conſtat experientia, & exemplum inprimis hominis inter urſos educati manifeſto idem prodit (§. *461. Pſych. rat.*). Quodſi ergo non uſus facultatum tibi imputari non debet; neceſſe eſt, ut in eo acquirendo non paſſus fueris deſiderari diligentiam tuam. Ac ideo omnem dare debes operam, ut earum uſus ſit in poteſtate tua. De eo parum cogitant homines: unde ſe a culpa liberos eſſe exiſtimant, cum eadem minime vacant. Acutiores tamen ſunt in cenſendis aliis, ubi in non uſu facultatum exaggerando haud raro modum excedunt.

§. 643.

Cura de uſu facultatum noſtrarum ad cuſtodiam conſcientiæ requiſita.

Quia conſcientiam cuſtoditurus culpam omnem evitare tenetur (§. 637), qui vero eam evitare vult, omnem facere debet facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, &, ut facere poſſit, omnem det operam neceſſe eſt (§. 642.); *Qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, &, ut facere poſſit, omnem dare operam.*

Du-

quirere alacriter ſtudet, ſomnus conſcientiæ evitetur, etiamſi de eo nulla animum ſubeat cogitatio.

§. 628.

Quinam a ſomno conſcientiæ liber ſit.

Quia qui dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirit, eadem opera ſomnum conſcientiæ evitat (§. *præc.* & §. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*); *dominus ſui ipſius in ſomnum conſcientiæ non incidit, ſed ab eo liber eſt* (§. 554. 555.).

Non inutile eſt in moralibus probe perpendi, quænam iisdem mediis conſequamur, & quænam eadem admittant motiva: ita enim praxis redditur facilior, ut alios uſus jam taceamus.

§. 629.

Somni conſcientiæ cum ſervitute morali connexio.

In ſervitute morali conſcientia dormitat. Etenim in ſervitute morali in determinandis actionibus ratio tantummodo habetur ſenſuum, imaginationis atque affectuum (§. 544.). adeoque agens non inquirit, utrum actiones, quas perpetrat vel perpetravit, legi naturali ſint conformes, nec ne, conſequenter utrum ſint moraliter bonæ, ac ideo committendæ, an vero moraliter malæ, ac ideo omittendæ (§. 244. 153. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Dormitat conſcientia, ſi neque, antequam quicquam agimus, ſollicite inquirimus, utrum actio ſit bona, nec ne, utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata disquirimus, utrum recte fuerit commiſſa, an omiſſa (§. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*). In ſervitute adeo morali conſcientia dormitat.

Videmus, itaque, qualis ſit ſtatus conſcientiæ in ſervitute morali, oppoſitus nimirum ei, qui in dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus locum habet.

§. 630.

Quamdiu

Quamdiu conſcientia dormitat, homo in ſervitute morali

rali detinetur. Etenim quamdiu conſcientia dormitat, neque, antequam quicquam agimus, ſollicite inquirimus, utrum actio bona ſit, an mala; utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata disquirimus, utrum ea recte fuerit commiſſa, an omiſſa (§ 499 *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter in determinandis actionibus noſtris nullam rationem habemus legis naturalis (§. 244. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque rationem ſeponimus (§. 259. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem in determinandis iisdem tantummodo rationem habere poſſumus ſenſuum, imaginationis atque affectuum. Atat qui in determinandis actionibus ſuis, ſepoſita ratione, tantummodo ſenſuum, imaginationis atque affectuum rationem habet, ſervus ſui ipſius eſt, ſeu in ſervitute morali detinetur (§. 544.). Patet itaque hominem tamdiu in ſervitute morali detineri, quamdiu conſcientia dormitat. *ſervituti moralis durat.*

Non aliæ homini ſunt facultates, niſi ſuperiores & inferiores. Quodſi ergo nullus eſt facultatum ſuperiorum in determinandis actionibus uſus; neceſſe eſt ut tantummodo facultates inferiores in earundem determinationem influant. Rationi convenienter determinantur actiones per facultates ſuperiores. Illa igitur ſepoſita, non relinquitur locus niſi ſenſibus, imaginationi atque affectibus. Actus conſcientiæ non elicitur, niſi uſu rationis (§. 452. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ut bruta careant conſcientia, quia carent ratione (§ 453. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem non eſt, quod miremur, in ſervitute morali nullum elici conſcientiæ actum, adeoque dormitare conſcientiam, ita ut in ſervitute morali detineatur is, cujus conſcientia dormitat, *vi præſentis*, & viciſſim ejus conſcientia dormitet, qui in ſervitute morali detinetur, *vi praecedentis* (§. 629.).

§. 631.

Initium vindicationis ſui in libertatem ex ſervitute morali.

Quoniam *homo* tamdiu in ſervitute morali detinetur, quamdiu conſcientia dormitat (§. 630.), *ſi ex ſervitute morali in libertatem ſe vindicare debet, neceſſe eſt ut ſomnus conſcientiæ excutiatur*, conſequenter ut actus conſcientiæ ſaltem conſequentis eliciatur (§. 499. *Part. I. Phil. pract. univ.*). *Atque* adeo *conſcientia evigilat* (§. 501. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

Videmus itaque, quomodo inchoetur vindicatio ſui in libertatem ex ſervitute morali, nimirum, ſi conſcientia, quæ dormitat, evigilat. Antequam enim hoc fiat, impoſſibile eſt, ut ſui libertatis vindicandæ gratia dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere ſtudeat (§. 586.). Dormitante conſcientia, vivitur in diem, nec ulla animum ſubit de ſtatu mutando cogitatio: immo ridetur, qui de eo verba facit, ſaltem verba ejus non admittuntur ad animum: narratur ſurdis fabula. Patent hæc non minus a priori per principia noſtra, quam a poſteriori obvia proh dolor! experientia confirmantur.

§. 632.

Modus efficiendi, ut conſcientia alterius dormitans evigilet.

Si efficere volueris, ut conſcientia alterius, quæ dormitat, evigilet; eidem repræſentare debes mala, ex actionibus neceſſario vel jam conſecuta, vel adhuc conſecutura, immo in poſterum ſecuturorum, ſi actiones easdem committere, vel omittere pergat, convincere teneris. Conſcientia enim evigilat, ſi is, cujus conſcientia dormitat, experitur mala ex actione neceſſario conſecuta (§. 502. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi ipſi repræſentas mala, quæ ex actionibus ipſius jam neceſſario conſecuta, ut ad ea eorundemque cum actionibus ſuis nexum animum attendat; perinde eſt ac ſi mala iſta nunc demum experiretur (§. 664. *Log.*). Et ſi ipſum convincas malo-

Digitized by Google

malorum ex iisdem poſthac conſecutorum, ut de eorum conſecutione certus ſit (§. *982. Log.*); adeoque ea prævidens quaſi coram intueatur, denuo perinde eſt, ac ſi eadem experiretur (§. *664. Log.*). Conſcientia igitur ejus evigilabit. Quamobrem ſi efficere volueris, ut conſcientia alterius, quæ dormitat, evigilet; eidem repræſentare debes mala ex actionibus ejus neceſſario conſecuta, & adhuc conſecuturorum, immo in poſterum ſecuturorum, ſi actiones easdem committere vel omittere pergat, convincere teneris.

Equidem eodem modo, quo ſomnum conſcientiæ alteri excutimus, effici quoque poterat, ut propria conſcientia evigilet: quoniam tamen in ipſo ſomno conſcientiæ nulla continetur ratio propoſiti eum excutiendi, quemadmodum ex ejus definitione vi notionis rationis (§. *56. Ontol.*) facile colligitur (§. *499. Part. I. Phil. pract. univ.*), neceſſe eſt, ut caſu quodam inopinato offeratur ratio, quæ conſuetudinem agendi nobis ſuſpectam reddat: præſupponuntur etiam rationes, cur propoſitum iſtud ſit ſatis firmum, ne ab eodem ſtatim deſiſtas, nec tædia, quæ creat conſcientia evigilans, te determinent ad conſcientiam denuo ſopiendam (§. *503. Part. I. Phil. pract. univ.*), & ſic ad ſomnum conſuetum redeatur (*not. §. cit. & §. 499. Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 633.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, ne latum quidem unguem a lege naturæ recedere vult, ſeu non vult committere actionem, niſi quam certo novit legi naturali conformem, nec vult omittere actionem, niſi quam certo novit eidem adverſam. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, ſecundum conſcientiam rectam & certam ſemper agit (§. 609.). Quamobrem conſcientia ejus non modo rationi conformis eſt (§ *457. Part. I. Phil. pract. univ.*); verum etiam ipſe, convictus eſt, eam eſſe *Propoſitum ſervandi legem naturæ in cuſtodia conſcientiæ.*

rationi conformem (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*). Non igitur committere vult niſi actiones, quæ ſunt rationi, adeoque legi naturali conformes, nec omittere actiones, niſi quæ ſunt rationi, adeoque legi naturali adverſæ (§. *456. Part. I. Phil. pract. univ.*). Et quoniam convictus eſt de conformitate actionum, earundemque repugnantia cum lege naturali (*per demonſtrata*); non vult committere actionem, niſi quam novit certo eidem conformem, nec omittere actionem, niſi quam certo novit eidem adverſam (§. *982. Log.*), adeoque ne latum quidem unguem recedere vult a lege naturali.

Arctiſſima cuſtodia legis naturalis adeo arcto vinculo cum cuſtodia conſcientiæ eſt connexa, ut, quamprimum vel minima in illa negligentia notatur, nec in hac te præbeas ſatis diligentem. Defectus cuſtodiæ legis naturalis in cuſtodiam conſcientiæ redundat omnis. Et quantum is imputandus venit, tantundem etiam imputabitur, qui in cuſtodiam conſcientiæ redundat.

§. 634.

Quinam conſcientiam cuſtodiat.

Qui nullam unquam committere vult actionem, niſi quam certo novit legi naturali conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam; conſcientiam ſuam cuſtodit. Etenim qui nullam unquam committere vult actionem, niſi quam certo novit legi naturali conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam, ei omnino curæ eſt, ut non modo ſuum de actione judicium ſit verum, verum etiam ut certus ſit, idem eſſe verum (§. *564. Log.*), conſequenter ut de veritate ejus ſit convictus (§. *982. Log.*), adeoque curæ ipſi eſt, ut conſcientia ſit recta (§. *419. Part. I. Phil. pract. univ.*), & certa (§. *420. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter & libera (§. *426. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hac cura conſcientiæ cuſtodia ab-

abſolvitur (§. *519. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui nullam unquam committere vult actionem, niſi quam certo novit legi naturæ conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam, conſcientiam ſuam cuſtodit.

§. 635.

Qui virtute præditus eſt, conſcientiam ſuam cuſtodit, & qui eam cuſtodit, virtutem colit, ſeu eidem deditus eſt. Etenim qui virtute præditus eſt, ei conſtans & perpetua eſt voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. *328. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter nunquam committere vult niſi actiones, quas legi naturæ conformes certo novit, nec omittere niſi actiones, quas eidem adverſas certo novit, neque ab hoc propoſito ullo modo ſeſe dimoveri patitur (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*). Enimvero qui nunquam vult committere actionem, niſi quam certo novit legi naturæ conformem, nec omittere niſi eam, quam certo novit eidem adverſam, conſcientiam ſuam cuſtodit (§. 634.). Quamobrem qui virtute præditus eſt, conſcientiam ſuam cuſtodit. *Quod erat unum.* *Cuſtodiæ conſcientiæ cum virtute indivulſus nexus.*

Ex adverſo, qui conſcientiam ſuam cuſtodit, nullam unquam committere vult actionem, niſi quam legi naturæ conformem certo novit, nec ullam unquam omittere, niſi quam certo novit eidem adverſam (§. 633.), conſequenter actiones ſuas legi naturali conformiter dirigit. Quoniam igitur hoc virtutis eſt (§. *321. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui conſcientiam ſuam cuſtodit, virtuti deditus eſt, ſeu eam colit. *Quod erat alterum.*

Cuſtodia igitur conſcientiæ a virtute ſeparari nequit, nec virtus ab illa ſejungi poteſt.

Digitized by Google

§. 636.

Cura rectitudinis actionum ad cuſtodiam conſcientiæ requiſita.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ei omnimoda actionum rectitudo curæ eſſe debet. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ne latum quidem unguem a lege naturali recedere tenetur (§. 633.). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actionum liberarum rectitudinem (§. 189. *Part. I. Phil. pract. univ.*); omnimoda actionum rectitudo ei curæ eſſe debet.

Sollicita rectitudinis actionum cura quam maxime requiritur ad cuſtodiam conſcientiæ, ſiquidem tranquilla & ab omni inquietudine libera frui volueris. Defectu enim rectitudinis plurima dantur damna, ut adeo ſemper habeas, quod tibi imputes (§. 643. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ad hanc imputationem ubi animum advertis, tædiis atque affectibus moleſtis opplebitur animus.

§. 637.

Culpæ evitatio ad cuſtodiam conſcientiæ requiſita.

Qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, culpam omnem evitare tenetur. Etenim qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, ei omnimoda actionum rectitudo curæ eſſe debet (§. 636.), conſequenter omni animi ſollicitudine ſibi cavere tenetur, ne actio ulla ex parte a rectitudine deficiat, ubi penes ſe ſtetiſſet evitare defectum, modo voluiſſet, adeoque ne adſit ullus defectus a rectitudine vincibilis (§. 692. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque defectus rectitudinis actionis vincibilis omnis culpa quædam eſt (§. 696. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, culpam omnem evitare tenetur.

Patet adeo ratio, cur hic de vitanda culpa agatur, ubi cuſtodiam conſcientiæ exponimus.

§. 638.

Fructus

Qui conſcientiam ſuam cuſtodit, ab omni ſenſu culpæ va-

vacuum habet animum, ſeu nullius culpæ ſibi conſcius eſt. Qui enim conſcientiam ſuam cuſtodit, omni animi ſollicitudine id agit, ut culpam omnem evitet (§. 637.). Quamobrem culpæ nullius ſibi conſcius eſt, adeoque ab omni ejus ſenſu liberum ſeu vacuum habet animum. *Cuſtodiæ conſcientiæ.*

Ecce tibi inſignem cuſtodiæ conſcientiæ fructum, qui ſolus eam nobis commendare valet, modo expertus fueris, quid hoc ſit nullius ſibi culpæ conſcium eſſe. Abunde hoc patebit ſuo tempore in philoſophia morali, ubi dulcedinem hujus fructus & inſignem efficaciam in caſibus arduis inculcaturi ſumus.

§. 639.

Quoniam culpa in genere ſic dicta, quæ culpæ omnis nomine venit (§. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), tam culpam commiſſionis, quam culpam omiſſionis comprehendit (§. 720. *Part. I. Phil. pract. univ.*), qui vero conſcientiam ſuam cuſtodit, ab omni culpa vacuum habet animum (§. 638.); *qui conſcientiam ſuam cuſtodit, non minus a culpa omiſſionis, quam a culpa commiſſionis vacuum habere debet animum.* *Culpa & omiſſionis & commiſſionis cuſtodiæ conſcientiæ contraria.*

Nimirum qui cuſtodire voluerit conſcientiam, non minorem curam gerere debet, ne quid culpa ſua omittat, quam ne quid eadem committat. Quemadmodum conſcientia non minus rationem habet actionum omittendarum, quam committendarum (§. 418. 419. *Part. I. Phil. pract. univ.*); ita quoque in ejus cuſtodia non minus ratio rectitudinis habenda eſt in actionibus privativis, quæ omittuntur, quam in poſitivis, quæ committuntur (§. 24. *Part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 640.

Similiter quia culpa in genere ſic dicta, ſeu culpa omnis vel dolus eſt, vel culpa in ſpecie ſic dicta (§. 696. 701. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), qui vero conſcientiam ſuam *Quantum extendatur ſtudium vitandæ*

Digitized by Google

culpæ in cuſtodia conſcientiæ. ſuam cuſtodire vult, culpam omnem evitare tenetur (§. 637.) & nullius culpæ ſibi conſcius eſſe debet (§. 638.); *qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, is non modo ſibi cavere debet a dolo, verum etiam a qualibet culpa in ſpecie ſic dicta.*

Videmus adeo, quam late pateat ſtudium vitandæ culpæ, ſiquidem conſcientiam ſatis cuſtodire volueris. Vulgo hoc non advertitur, propterea quod doctrina de culpa in ſpecie ſic dicta in philoſophia practica hactenus neglecta, nec in Juriſprudentia pro dignitate expenſa. Unde videas ea, quæ ad culpam in ſpecie ſic dictam referenda, vel prorſus non curari, vel ad ea referri, quæ infirmitati humanæ veniunt tribuenda, adeoque toleranda ſunt. Culpa in ſpecie ſic dicta multis modis committitur, quemadmodum abunde intelligitur ex iis, quæ de diverſis ejus ſpeciebus dicta ſunt in parte priori Philoſophiæ practicæ univerſalis. Quamobrem cuſtodiæ conſcientiæ magnam partem facit ſtudium culpæ vitandæ.

§. 641.

Origo culpæ. *Culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficiſcitur.* Etenim defectus rectitudinis actionis quicunque vincibilis non uſui facultatum tribuendus (§. 744. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero defectus rectitudinis actionis vincibilis culpa eſt (§. *696. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficiſcitur.

Vides adeo, quam neceſſarium ſit, ut intelligamus, quemnam facultatum uſum facere poſſimus, ne actio a rectitudine deficiat. Quoniam enim ad actionum rectitudinem, ſeu recte agendum obligamur (§. 189. *Part. I. Phil. pract. univ.*); quin etiam obligemur ad eum facultatum noſtrarum uſum faciendum, qui ad recte agendum requiritur, dubitandum non eſt. Quinam vero ſit hic uſus, tum demonſtrabitur, quando officia hominis erga ſeipſum expoſituri ſumus. Quænam animæ ſint facultates in Pſychologia empirica explicavimus, & in rationali addidimus, quænam ad eas intimius in-

ſpi-

ſpiciendas proſunt. Facultates corporis, quæ diverſæ facultatis locomotivæ ſpecies ſunt (§. *66. Part. I. Phil. pract. univ.*), expendemus, ubi officia hominis erga corpus ſuum trademus. Nemo igitur in Philoſophia practica univerſali notionem originis culpæ adæquatam expectet. Traduntur hic nonniſi generalia: quæ vero ſub iisdem continentur ſpecialia, ſpeciali tractationi reſervantur.

§. 642.

Quoniam culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficiſcitur (§. 641.), *qui culpam evitare vult, omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, &, ut facere poſſit, omnem dare debet operam.* *Medium generale culpam evitandi.*

Facultates equidem homini naturales ſunt; non tamen earum uſus eidem connaſcitur, ſed demum acquiritur. Obvia hoc conſtat experientia, & exemplum inprimis hominis inter urſos educati manifeſto idem prodit (§. *461. Pſych. rat.*). Quodſi ergo non uſus facultatum tibi imputari non debet; neceſſe eſt, ut in eo acquirendo non paſſus fueris deſiderari diligentiam tuam. Ac ideo omnem dare debes operam, ut earum uſus ſit in poteſtate tua. De eo parum cogitant homines: unde ſe a culpa liberos eſſe exiſtimant, cum eadem minime vacant. Acutiores tamen ſunt in cenſendis aliis, ubi in non uſu facultatum exaggerando haud raro modum excedunt.

§. 643.

Quia conſcientiam cuſtoditurus culpam omnem evitare tenetur (§. 637), qui vero eam evitare vult, omnem facere debet facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, &, ut facere poſſit, omnem det operam neceſſe eſt (§. 642.); *Qui conſcientiam ſuam cuſtodire vult, omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, &, ut requiſita facere poſſit, omnem dare operam.* *Cura de uſu facultatum noſtrarum ad cuſtodiam conſcientiæ.*

Du-

Dubium ſubnaſci poterat lectori attento, quod hic removendum. Demonſtravimus in ſuperioribus, quænam a nobis fieri debeant, ut conſcientiam noſtram cuſtodiamus (§. 608.). Nulla autem ibi fit mentio uſus facultatem noſtrarum, nec modi, quo is acquiritur. Immo ibidem omnis facultatem noſtrarum uſus ne quidem tanquam cognitus, nec modus, quo is acquiritur, tanquam nobis perſpectus ſupponi poteſt, cum hoc demum explicatum iri modo monuerimus in ſpeciali tractatione (*not* §. 641.). Enimvero quæ ad cuſtodiendam conſcientiam ſuperius præcipiuntur, in uſu facultatum noſtrarum conſiſtunt, cumque non præcipiantur, niſi quæ in anterioribus demonſtrantur, modum quoque docuimus, quo uſus iſte in poteſtatem noſtram redigitur. Utique vero hæc generalia ſunt, quæ in dato caſu particulari minime ſufficiunt, ſed alia ſpecialia adhuc requirunt, quibus inveniendis ac demonſtrandis inſerviunt, & a nobis deſtinantur. Nemo ampliorem uſum notionum generalium expectet, quam eædem habere poſſunt; neque enim notioni generis inſunt, quæ ſpectant ad notionem ſpecierum (§. 241. *Ontol.*). Vides adeo dubium hoc in auram abire, ubi ad notiones ontologicas animum advertis. Ceterum hinc liquet, quam ampla & ardua ſit cura, quæ ad conſcientiæ cuſtodiam requiritur. Neque eſt quod tibi aliiſque perſuadeas, quaſi præter neceſſitatem praxin moralem difficultatibus implicemus, quibus ea carere poterat, immo debebat. Quodſi enim experientiam conſulere volueris in iis caſibus, in quibus animus inquietus eſt, quod culpæ cujusdam tibi conſcius ſis; modo attentione atque accumine uti poſſis, facile deprehendes veritati conſona eſſe, quæ a nobis traduntur.

§. 644.

Ignorantia quaenam vitanda ab eo, qui culpam evitare vult. *Culpam evitaturus operam dare debet, ut norit, quænam ex actionibus, quarum patrandarum occaſio ipſi offertur, ſequantur, vel pro datis circumſtantiis ſequi poſſint mala, ſeu vitare debet ignorantiam principiorum, vi quorum in caſu dato judicandum de qualibet actione, utrum ſit mala, nec ne.* Etenim culpa

Digitized by Google

culpa committitur, ſi judicium de actionis culpoſæ malitia deficit (§. 727. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ſeu ſi ignoratur, quænam ex eadem conſequantur mala vel animi, vel corporis, vel fortunæ, ſive quoad agentem, ſive quoad alium quemcunque (§. 726. *Part. I. Phil. pract. univ.*) Quamobrem ſi quis culpam evitare voluerit, operam dare debet, ne judicium hoc deficiat. Quoniam itaque judicium iſtud deficit, ſi agenti deeſt principium, vi cujus judicare poterat, iſtiusmodi actionem eſſe malam, ſeu malum iſtiusmodi ex ea reſultaturum, aut pro datis circumſtantiis ſequi poſſe (§. 728. *Part. I. Phil. pract. univ.*); culpam evitaturus operam dare debet, ut norit, quænam ex actionibus, quarum patrandarum occaſio offertur, ſequantur, vel pro datis circumſtantiis ſequi poſſint mala ſive quoad agentem, ſive quoad alium quemcunque, vel animi, vel corporis, vel fortunæ, adeoque evitare tenetur ignorantiam principiorum, vi quorum in caſu dato judicandum de qualibet actione, num ſit mala.

Actio culpoſa non committitur a ſciente (§. 732. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque dubitari nequit, quin ignorantia principiorum vincibilis, vi quorum de actionibus obviis judicandum eſt, utrum ſint rectæ, an vero a rectitudine deficiant, ſit fons culpæ, quæ committitur, in ſpecie ſic dictæ (§. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), cum hac enim nobis nunc negotium eſt. Quamobrem qui culpam evitare voluerit, ignorantiam hanc evitare debet. Sane ſi culpoſas hominum actiones ad examen revocas, non exiguum earundem numerum deprehendes, quæ ignorantiæ vincibili tribuendæ veniunt, modo in rationibus earundem perſcrutandis ſatis fueris perſpicax. Non inanem vero operam ſumit, qui in iisdem perſcrutandis aſſiduus eſt. Etenim hoc ipſo ſtudio multa nobis innoteſcunt principia, ad dijudicandas actiones culpoſas neceſſaria, quorum alias ignorantia laboraremus: quæ cum hoc pacto vincibilis ſit (§. 735. *Part. I. Phil. pract. univ.*),

agenti imputabitur, quoties ob eam committit actionem, unde malum quoddam ſequitur (§. 549. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ignorantia hæc cum ſit vincibilis, non uſui facultatum noſtrarum, præſertim cognoſcendi, tribuenda venit (§. 736. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum culpam evitaturus eum facere teneatur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, & omnem navare operam debeat, ut eundem faciat (§. 642.); quin iſtud actionum examen, quo vincibilis ignorantia, de qua nobis ſermo eſt, minime omittere debeat, nemo in dubium revocaverit.

§. 645.

Errores quinam vitandi ab eo, qui culpam evitare vult.

Culpam evitaturus operam dare debet, ne de actionibus, quarum patrandarum occaſio offertur, erronea foveat principia. Etenim cum in caſu dato de actione patranda judicet vi huius principii, judicium ipſius quoad malum inde reſultaturum falſum eſt (§. 729. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum culpa committatur, ſi falſum fuerit hoc judicium (§. 727. *Part. I. Phil. pract. univ.*); culpam evitaturus operam dare debet, ne de actionibus, quarum patrandarum occaſio offertur, erronea foveat principia.

Actio culpoſa non committitur a ſciente (§. 732. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui per errorem judicat, ex actione patranda nullum ſequi poſſe malum ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, quoad ſe vel alios; is neſcit idem inde ſecuturum. Quodſi tamen error fuerit vincibilis, non uſui facultatum, præſertim cognoſcendi, tribuendus (§. 741. *Part. I. Phil. pract. univ.*), atque adeo danda ab eo opera eſt, qui culpam evitare vult, ut eundem evitet (§. 642.). Non infrequenter committitur culpa ex errore invincibili: id quod eodem examine innoteſcit, quod modo ad detegendas actiones culpoſas ex ignorantia vincibili commiſſas commendavimus (*not.* §. 644.). Idem vero examen prodeſt ad errores profligandos, a quibus ſibi cavere debet culpam evitaturus. Unde denuo liquet, minus recte idem omitti, quin potius nos in eodem aſſiduos eſſe debere.

§. 646.

Digitized by Google

§. 646.

Habitus formandi actionis patrandæ diſtinctam notionem ad culpam evitandam requiſitus.

Culpam evitaturus operam dare debet, ut acquirat facultatem ſeu habitum acquirendi notionem diſtinctam actionis, eamque ſufficienter & rite determinatam, in caſu quolibet obvio. Culpam enim ſi quis committit, aut judicium de actionis culpoſæ malitia prorſus deficit, aut falſum eſt (§. 727. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem culpam evitaturus operam dare debet, ut nec deficiat iudicium, nec falſum ſit. Quoniam itaque judicium de actionis culpoſæ malitia deficit (§. 728. *Part. I. Phil. pract. univ.*) & falſum eſt, ſi notio actionis non fuerit ſufficienter, aut non rite determinata (§. 792. *Part. I. Phil. pract. univ.*), notio autem actionis ſufficienter determinata diſtincta eſt (§. 71. *Part. I. Phil. pract. univ.* & §. 88. *Log.*); culpam evitaturus operam omnino dare debet, ut in caſu quolibet dato notionem actionis habeat diſtinctam, eamque ſufficienter ac rite determinatam, conſequenter cum facultas notionem diſtinctam, quæ ſufficienter ac rite determinata ſit, formandi in caſu quolibet obvio demum acquirenda ſit (§. 93.), ut hanc facultatem ſive habitum acquirat.

Quomodo notionem actionis obviæ diſtinctam formandi facultas acquiratur, jam docuimus in ſuperioribus (§. 93.). Quomodo ignorancia & error evitetur in dijudicandis actionibus, tum ex iis intelligitur, quæ de mentis acie ad hunc gradum elevanda præcepimus, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur (§. 80. 85.); tum ſuo loco & tempore docebitur, ubi expoſituri ſumus omne ſtudium, quod in intellectu perficiendo collocare tenemur. Non igitur opus eſt, ut hic in media evitandi ignorantiam & errorem inquiramus, ne vincibilis culpa contrahatur.

§. 647.

Qualis at-

Qui culpam in agendo vitare vult, ad omnes cir-

Digitized by Google

agenti imputabitur, quoties ob eam committit actionem, unde malum quoddam ſequitur (§. 549. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ignorantia hæc cum ſit vincibilis, non uſui facultatum noſtrarum, præſertim cognoſcendi, tribuenda venit (§. 736. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum culpam evitaturus eum facere teneatur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt, & omnem navare operam debeat, ut eundem faciat (§. 642.); quin iſtud actionum examen, quo vincibilis ignorantia, de qua nobis ſermo eſt, minime omittere debeat, nemo in dubium revocaverit.

§. 645.

Errores quinam vitandi ab eo, qui culpam evitare vult.

Culpam evitaturus operam dare debet, ne de actionibus, quarum patrandarum occaſio offertur, erronea foveat principia. Etenim cum in caſu dato de actione patranda judicet vi huius principii, judicium ipſius quoad malum inde reſultaturum falſum eſt (§. 729. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum culpa committatur, ſi falſum fuerit hoc judicium (§. 727. *Part. I. Phil. pract. univ.*); culpam evitaturus operam dare debet, ne de actionibus, quarum patrandarum occaſio offertur, erronea foveat principia.

Actio culpoſa non committitur a ſciente (§. 732. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui per errorem judicat, ex actione patranda nullum ſequi poſſe malum ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, quoad ſe vel alios; is neſcit idem inde ſecuturum. Quodſi tamen error fuerit vincibilis, non uſui facultatum, præſertim cognoſcendi, tribuendus (§. 741. *Part. I. Phil. pract. univ.*), atque adeo danda ab eo opera eſt, qui culpam evitare vult, ut eundem evitet (§. 642.). Non infrequenter committitur culpa ex errore invincibili: id quod eodem examine innoteſcit, quod modo ad detegendas actiones culpoſas ex ignorantia vincibili commiſſas commendavimus (*not.* §. 644.). Idem vero examen prodeſt ad errores profligandos, a quibus ſibi cavere debet culpam evitaturus. Unde denuo liquet, minus recte idem omitti, quin potius nos in eodem aſſiduos eſſe debere.

§. 646.

Digitized by Google

§. 646.

Habitus formandi actionis patrandæ diſtinctam notionem ad culpam evitandam requiſitus.

Culpam evitaturus operam dare debet, ut acquirat facultatem ſeu habitum acquirendi notionem diſtinctam actionis, eamque ſufficienter & rite determinatam, in caſu quolibet obvio. Culpam enim ſi quis committit, aut judicium de actionis culpoſæ malitia prorſus deficit, aut falſum eſt (§. 727. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem culpam evitaturus operam dare debet, ut nec deficiat judicium, nec falſum ſit. Quoniam itaque judicium de actionis culpoſæ malitia deficit (§. 728. *Part. I. Phil. pract. univ.*) & falſum eſt, ſi notio actionis non fuerit ſufficienter, aut non rite determinata (§. 792. *Part. I. Phil. pract. univ.*), notio autem actionis ſufficienter determinata diſtincta eſt (§. 71. *Part. I. Phil. pract. univ.* & §. 88. *Log.*); culpam evitaturus operam omnino dare debet, ut in caſu quolibet dato notionem actionis habeat diſtinctam, eamque ſufficienter ac rite determinatam, conſequenter cum facultas notionem diſtinctam, quæ ſufficienter ac rite determinata ſit, formandi in caſu quolibet obvio demum acquirenda ſit (§. 93.), ut hanc facultatem ſive habitum acquirat.

Quomodo notionem actionis obviæ diſtinctam formandi facultas acquiratur, jam docuimus in ſuperioribus (§. 93.). Quomodo ignorantia & error evitetur in dijudicandis actionibus, tum ex iis intelligitur, quæ de mentis acie ad hunc gradum elevanda præcepimus, ut in dato quocunque caſu nexus actionis cujuslibet cum fine ultimo perſpiciatur (§. 80. 85.); tum ſuo loco & tempore docebitur, ubi expoſituri ſumus omne ſtudium, quod in intellectu perficiendo collocare tenemur. Non igitur opus eſt, ut hic in media evitandi ignorantiam & errorem inquiramus, ne vincibilis culpa contrahatur.

§. 647.

Qualis at-

Qui culpam in agendo vitare vult, ad omnes cir-

 cum-

tentio ad culpam evitandam requiratur.

cumſtantias in dato caſu animum attendere debet. Etenim qui culpam evitare vult, is operam dare tenetur, ut in caſu quolibet dato notionem actionis habeat ſufficienter ac rite determinatam, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet (§. 646.). Quamobrem cum notio actionis ſufficienter determinata deficiat, ſi quis animum non attendit ad omnes circumſtantias in dato caſu (§. 747. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui culpam in agendo vitare vult, ad omnes circumſtantias in dato caſu animum attendere debet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Cum incogitantia culpa ſit (§. 749. *Part. I. Phil. pract. univ.*), qui culpam evitare vult, incogitantiam evitare debet. Quamobrem quia incogitantia in defectu attentionis conſiſtit, quam ad actiones noſtras, conſequenter ad omnes circumſtantias (§. 95), afferre tenemur (§. 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*); culpam evitaturus in agendo, ad omnes circumſtantias in caſu dato animum attendere debet.

Defectu attentionis ad actiones noſtras ſeu incogitantia plurimæ committuntur actiones culpoſæ. Incogitantia enim hominibus admodum familiaris, neque evitatu adeo facilis eſt, quemadmodum plurimis forſan videbitur. Examinentur actiones, quas non recte commiſſas eventus oſtendit mali inde ſecuti præſentia, ſive propriæ fuerint, ſive alienæ, modo in rationes, cur malum non fuerit prævisum, ſufficiente acumine inquirere valeas, neque in alienis lateant circumſtantiæ, ſine quibus easdem perſpicere non licet, nullus dubito fore, ut convincaris, quam ſit difficile ſufficientem ad omnes promiſcue actiones afferre attentionem, conſequenter incogitantiam evitare (§. 985. *Log.*). Proderit autem hoc ipſum examen ad eandem evitandam, ut adeo non inanis cenſenda ſit opera, quæ ſumitur.

§. 648.

Digitized by Google

§. 648.

Si quis omnem affert, &, quamdiu opus eſt, conſervat attentionem ad id, quod ipſi præſens eſt, conſequenter & ad actionem præſentem, *animo præſens eſſe* dicitur. Unde *Præſentia animi* eſt attentio ſufficiens ad id, quod nobis jam præſens eſt, conſequenter etiam ad actionem præſentem. *Præſentia animi quid ſit.*

Animi præſentia maximi uſus eſt in moralibus, præſertim ubi culpa evitanda. Quamobrem neceſſe eſt, ut notionem ejus probe habeamus perſpectam. Duo autem ſunt actus, quos præſentia animi requirit, nimirum 1) ut attentionem noſtram in id, quod ipſi præſens eſt, dirigamus, 2) ut eandem tamdiu conſervemus, quamdiu circumſtantiæ præſentes eam conſervari jubent. Deinde probe notandum eſt, ad præſentiam animi non ſufficere attentionem qualemcunque, ſed omnem requiri, neque enim ordinarium eſt attentionem partiri eodem tempore inter plura objecta, ita ut ſingulis ſufficiat, nec ulla ex parte deficiat (§. 245. *Pſych. empir.*); ſed communiter, ſi non ſemper, valet illud Poëtæ: *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus* (*not.* §. *cit.*).

§. 649.

Si quis præſentis animi ſemper eſſe voluerit, animum ad quodlibet objectum efficere tenetur indifferentem, ut eandem ad quodvis attentionem afferre poſſit. Cum enim præſentia animi in attentione conſiſtat ſufficiente ad id, quod nobis jam præſens eſt (§. 948.); ſi quis ſemper præſentis animi eſſe voluerit, is habitu polleat neceſſe eſt ad rem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferendi attentionem. Enimvero potentia ad rem præſentem, quæcunque tandem fuerit, omnem afferendi attentionem eadem induſtria acquiritur, qua indifferentia attentionis ad objecta quælibet comparatur (§. 253. *Pſych. empir.*). *Medium præſentiæ animi.*

Ff ff 3 Quam-

Quamobrem ſi quis præſentis ſemper animi eſſe voluerit, animum ad quodlibet objectum indifferentem efficere tenetur, ut eandem ad quodvis attentionem afferre poſſit.

Quomodo animum indifferentem ad quodlibet objectum efficere valeamus, ut eandem ad quodvis attentionem afferre poſſimus, dudum docuimus (§. 252. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis ea faciat, quæ iſto fine præſcripſimus, quin animi præſentiam in poteſtatem ſuam redacturus ſit dubitandum non eſt. Vulgo de eo non cogitant homines, adeoque operam ſuam in hoc minime collocant, ut indifferentiam attentionis acquirant. Unde nec eſt, quod miremur, præſentiam animi, qualis præſertim in agendo requiritur ad culpam evitandam, adeo raram eſſe avem. Etſi autem leve quid videatur, oppido tamen falluntur, qui hoc ſibi perſuadent, vel aliis perſuadere conantur. Non opus eſt, niſi tentaminibus, ut contrarii convincatur, qui leve reputat.

§. 650.

Medium præſentis ſemper animi in agendo.

Quoniam indifferentiam attentionis ad quælibet objecta ſibi comparare debet, qui ſemper præſentis eſſe vult animi (§. 649.); evidens eſt, quod, *in agendo qui ſemper præſentis animi eſſe voluerit, habitum acquirere ſibi debeat eandem ad negotia leviſſima afferendi attentionem, qua utitur in gravioribus.*

Vulgo homines, etiam qui ceteris acutiores videri volunt, gradum attentionis in agendo æſtimant ex gravitate negotiorum, ita ut in iis negotiis, quæ exigui aut nullius momenti habentur, vel nulla opus eſſe attentione exiſtiment, immo tempus perdi, ſi animum ab aliis cogitationibus ad ea avocent, autumant. Nobis tamen contrarium videtur, qui non minus ratione, quam experientia convicti ſumus, attentionem in arduis haud raro deficere, quod eadem in levioribus uti non didicerimus, ac multiplicem utilitatem experti ſumus, ſi quis eandem attentionem ad ea, quæ nullius momenti ſunt & quæ ſunt maximi, afferre conſueverit. Idem iam ani-

Digitized by Google

animadverſum fuit olim a *Confucio* (*not.* §. 254. *Pſych. empir.*) & diſertius hoc inculcabimus in Philoſophia morali.

§. 651.

Si quis ſufficientem ad id, quod præſens eſt, conſequenter etiam ad actiones præſentes, attentionem afferre nequit, *animo abſens* eſſe dicitur. Unde *Abſentia animi* eſt defectus attentionis ſufficientis ad id, quod nobis jam præſens eſt, conſequenter ad actionem etiam præſentem. *Abſentia animi quid ſit.*

Abſentia animi opponitur præſentiæ ejuſdem. Quamobrem qui novit, quid hæc ſibi velit, nec illam ignorare poteſt. Abſentia animi familiare vitium eruditorum eſt, qui Minerva ſua ita delectantur, ut ea in ſe omnem ſemper trahat attentionem, & in ſe defixam retineat (§. 371. *Pſych. rat.*). Unde cetera nulla attentione dignantur, adeoque tantum non ſemper abſentis ſunt animi. Ubi conſuetudo in naturam abiit, moleſtiſſimum accidit, ſi qua ipſis offeruntur, quæ præſentiam animi poſtulant. Dantur autem gradus quemadmodum præſentiæ animi, ita etiam abſentiæ, quia dantur gradus attentionis, qua utimur, adeoque & defectuum ejuſdem. Quamobrem quæ de gradibus attentionis dicta ſunt (§. 243. & *ſeqq. Pſych. empir.*), ad præſentiam & abſentiam animi facile applicantur.

§. 652.

Quoniam in abſentia animi deeſt ea attentio, quæ in præſentia animi adeſt (§. 651. 648.); *dum præſentiam animi adverſus acquirere, abſentiam quoque ejus evitare, aut,* ſi mavis, *arcere abſentiam ſtudemus.* *Remedium animi.*

Medium adeo præſentiam animi acquirendi, quod commendavimus (§. 649. 650.), eſt ſimul remedium abſentiæ ejuſdem. Nimirum poſita præſentia animi, ponitur abſentia ejuſdem.

§. 653.

Incogitantia eſt ſpecies abſentiæ animi. Eſt enim defectus *Incogitan-*

tia genus. fectus attentionis circa actiones noſtras (§. 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum defectus attentionis ſufficientis ad id, quod nobis jam præſens eſt, conſequenter etiam ad actionem præſentem, ſit abſentia animi (§. 651.); incogitantia abſentiæ animi ſpecies eſt (§ 241. *Ontol.*);

Nimirum incogitantia conſiſtit in defectu attentionis circa actiones noſtras, adeoque in defectu attentionis ad aliquid, quod nobis præſens eſt, & ad quod animum attendere debemus (§. 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Unde patet eſſe defectum attentionis in caſu aliquo particulari, nimirum quando agens agit, & ad actionem ſuam animum attendere debet. Convenit adeo incogitantiæ definitio abſentiæ animi latius patentis, quam ipſa patet. Quamobrem incogitantia tanquam ſpecies ſub abſentia animi tanquam genere conſtituitur.

§. 654.

Definitio incogitantiæ. Unde *Incogitantia* definiri poteſt per abſentiam animi in agendo.

Hanc definitionem eſſe exactiorem, ſi logice examinetur, ea, quam alias dedimus (§. 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*), facile patet. Ponitur enim hic genus, quod jam definitum ſupponitur (§ 651.): in Philoſophiæ practicæ vero univerſalis parte prima ipſa generis definitio ingreditur definitionem. Sed hoc nihil vitii habet, ubi compendii gratia rerum in ſua genera ac ſpecies diſtributionem inſuper habemus, propterea quod eadem in demonſtrando non eſt opus, quin potius ea neglecta operæ compendium fit in demonſtrando. Unde videas *Euclidem* & ejus exemplo ceteros Mathematicos, qui ſummum in demonſtrando rigorem religioſe obſervant, idem facere. Hic tamen utile eſt, ut incogitantia generi ſuo abſentiæ animi tanquam ſpecies ſubordinetur, quemadmodum ex ſequentibus elucaſcet.

§. 655.

Remedium *Si incogitantiam evitare volueris, neceſſe eſt ut adſueſcas*

ſcas ſemper in agendo præſentis eſſe animi. Etenim ſi incogitantiam evitare volueris, nunquam abſentis animi eſſe debes in agendo (§. 654.). Quamobrem cum eadem opera abſentiam animi evitare ſtudeamus, qua ejus præſentiam acquirimus (§. 652.); ſi incogitantiam evitare volueris, neceſſe eſt, ut adſueſcas ſemper præſentis eſſe animi in agendo. *incogitantia.*

Docuimus ante (§. 649.), quomodo præſentiam conſtantem ac perpetuam animi in agendo acquiramus. Quamobrem ſi medio iſto utamur, erit idem remedium incogitantiæ, quemadmodum diæta conſervandæ ſanitatis medium eſt etiam remedium præſervativum adverſus morbos. Quoniam vero incogitantia in agendo ſpectatur, adſueſcere inprimis debemus, ut promiſcue ad quaslibet actiones omnem attentionem afferamus, & animum a ceteris, quamdiu agimus, avocemus, quemadmodum paulo ante inculcavimus (*not.* §. *650.*).

§. 656.

Qui incogitans non eſt, non ideo inconſideratus non eſt, ſeu ab incogitantia ſibi caventis actio inconſiderata eſſe poteſt. Etenim qui incogitans non eſt, attentionem ſuam deficere minime patitur in agendo (§. 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter hoc tantummodo conſequitur, ut actionis ſuæ ſibi magis conſcius ſit, quam ceterorum, quæ tum ſimul percipiuntur (§. *237. 235. Pſych. empir.*). Enimvero propterea nondum perpendit, qualis ſit actio vi circumſtantiarum ſibi perſpectarum, multoque minus applicat principium, vi cujus innoteſcit, quidnam ex ea conſequi poſſit, vel actu conſequatur: quod nemo non quovis momento in ſeipſo experiri poteſt, & a priori facile oſtendi poterat, quia hic opus eſt reflexione ad formandam notionem actionis diſtinctam (§. *678. Log.* & §. *257. Pſych. empir.*), & præſupponitur notitia principii alicujus, ex iſtiusmodi *Cur inconſiderantia ab incogitantia diſtinguenda.*

ac diviſionis inſuetis vacare teneretur: id quod nemo non abſonum judicabit, qui Arithmeticam callet.

§. 659.

Cuinam impoſſibile conſiderate agere. *Qui ignorantia principii actionis dijudicandæ laborat, ei impoſſibile eſt, ut conſiderate agat.* Etenim qui non inconſiderate agere vult, is perpendere debet, quidnam ſub datis circumſtantiis ex actione ſua boni vel mali conſequi poſſit, quemadmodum inconſideratus eſt, ubi hoc minime facit, cum poſſet (§. 760. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Sed ſi quis judicare debet, ex ea actione, cujus patrandæ occaſio offertur, id boni vel mali conſequi poſſe, aut actu conſecuturum; is norit neceſſe eſt, ex iſtiusmodi actione, qualis eſt præſens, vi circumſtantiarum notarum, id boni vel mali conſequi poſſe, aut actu conſecuturum, ubi eam comiſerit (§. 361. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi hoc ignorat, adeoque ignorantia actionis dijudicandæ laborat, ei impoſſibile eſt, ut conſiderate agat.

Differunt inter ſe non agere conſiderate & agere inconſiderate: illud enim ex ignorantia vi præſentis, hoc ex incogitantia proficiſcitur (§. 657.). Differentiam hanc jam inſinuavimus alias (*not.* §. 762. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & faciunt huc exempla, ad quæ ibidem provocavimus. Non inconſiderate autem agere idem eſt ac conſiderate agere. Quamobrem qui inconſiderantiæ culpam in agendo evitat, is utique conſiderate agit, & circumſpectum in agendo ſeſe præbet.

§. 660.

Quando non conſiderate agere culpa ſit. Quoniam ignorantia vincibilis non uſui facultatum tribuenda (§. 736. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque ſi ob eam actio a rectitudine deficit, agens culpa minime vacat (§. 744. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*); *ſi quis ignorantia principii actionis dijudicandæ vincibili laborat, qua hinc pendet (§. 659.), impoſſibilitas conſiderate agendi culpa eſt.*

Nimi-

Nimirum non abſolute impoſſibile eſt, ut conſiderate agas, quia facultatum tuarum uſu hoc obtinere potuiſſes, modo eum facere voluiſſes, ſed tantummodo hypothetice, quatenus ignorantia principii actionis dijudicandæ laboras, quod tamen noſſe potueras, immo debebas, niſi fuiſſes negligens.

§. 661.

Quoniam impoſſibile eſt, ut conſiderate agas, quamdiu ignorantia principii actionum dijudicandarum laboras, quidnam ſcilicet ex iis conſequatur (§. 659.); *ſi conſiderate agere volueris, prima omnino cura tibi eſſe debet, ut ignorantiam principiorum actionum dijudicandarum evites.* *Cura prima adhibenda, ut conſiderate agere poſſis.*

Quomodo vitetur ignorantia cum in genere, tum in ſpecie principiorum, quorum notitia ad recte agendum neceſſaria eſt, docebitur in Philoſophia morali, ubi de virtutibus intellectualibus & oppoſitis vitiis agetur.

§. 662.

Qui inconſiderantiam evitare vult, ei conſtans & perpetua eſſe debet voluntas conſiderate agendi. Qui enim inconſiderantiam evitare vult, is ſibi cavere debet, ne omittat judicium de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, qualis ea ſit, vi circumſtantiarum præſentium ſibi perſpectarum, nec omittat applicationem principii actionis dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea ſequi poſſit, vel actu ſequetur (§. 763. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut in dato quolibet caſu agendi probe perpendere velit, quidnam ex ea boni vel mali ſub datis circumſtantiis conſequi poſſit, vel actu ſecuturum ſit, ſiquidem committatur, neque ab hoc propoſito ulla ratione ſeſe dimoveri patiatur, conſequenter nunquam inconſiderate, ſemper conſiderate agere velit, neceſſe eſt, nec a propoſito conſiderate agendi in dato caſu ſe dimoveri patiatur opus eſt. Quoniam itaque ei per- *Qualis eſſe debeat voluntas inconſiderantiam evitaturi.*

petua eſt voluntas, qui ſemper idem vult, & præterea conſtans, ſi actus voluntatis in dato caſu minime mutetur (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*); qui inconſiderantiam evitare vult, ei conſtans & perpetua eſſe debet voluntas conſiderate agendi.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Qui inconſiderate agere non vult, is omnino conſiderate agere debet (§. *53. Ontol.*). Neceſſe igitur eſt, ut in dato quolibet caſu conſiderate agere velit, nec a propoſito conſiderate agendi, dum occaſio agendi offertur, ulla ratione ſe dimoveri patiatur. Quamobrem porro eodem, quo ante, modo patet, ei, qui inconſiderantiam evitare vult, conſtantem & perpetuam eſſe debere voluntatem conſiderate agendi.

Non ſine ratione conſtantiam & perpetuitatem voluntatis in eo urgemus, qui inconſiderantiam evitare vult, etſi ea ad actiones omnes legi naturali conformandas quoad omnia ſit neceſſaria (§. 593. 232.). Etenim haud raro accidit, ut ob rationes emergentes conſiderate agere nolis in dato caſu, tibique perſuadeas, non multum referre, ſi hac vice a propoſito conſiderate agendi deſiſtas. Unde eſt, quod de periculo te admonenti reſpondeas, inconſiderantiam non ſtatim fore nocuam, eamque rationibus tum emergentibus excuſes, quaſi in dato caſu ob easdem culpa non ſit inconſiderantia, immo dum tibi conſcius es, te inconſiderate agere, tibi perſuadeas, vacare in præſenti caſu actionem culpa.

§. 663.

Medium voluntatem iſtam acquirendi.

Quoniam voluntas conſtans & perpetua eſt, ſi quis flagret ardore agendi, & non agendi contrarium (§. 233.); *qui inconſiderantiam evitare vult, flagrare debet ardore conſiderate agendi* (§. 662.), *adeoque & inconſiderate non agendi* (§. *28. Ontol.*).

Nimirum ardor iſte ſtimulat voluntatem & noluntatem, ut a propoſito tuo conſiderate agendi, & inconſiderate non agen-

agendi rationibus in dato caſu emergentibus te dimoveri minime patiaris, ſed in eodem firmiter perſiſtas. Patebit hoc luculentius, ubi in Philoſophia morali de emendanda voluntate acturi ſumus.

§. 664.

Quomodo inconſiderantia evitetur.

Qui nunquam incogitantem ac negligentem ſe præbet in agendo, nec ignorantia principiorum dijudicandi actiones, quarum patrandarum occaſio offertur, quidnam ſcilicet ex iis boni, vel mali conſequi poſſit, laborat, habitu formandi notionem diſtinctam actionis in quolibet caſu dato pollet, ac conſiderate ſemper agendi & inconſiderate nunquam agendi ardore flagrat; is omnem inconſiderantiam evitare valet. Etenim qui nunquam incogitantem ſe præbet in agendo, in nullo caſu deficere patitur attentionem ſuam, quam ad actionem, cujus patrandæ occaſio offertur, afferre tenetur (§ 748. *Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter in quolibet caſu dato eas perſpicit circumſtantias, quas obſervare licet, cumque præterea non negligens ſit (*per hypoth.*), nec eas ex iis, quæ obſervat, colligere aut in eas inquirere omittit, quæ non obſervantur (§ 750. *Part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque culpa ſua non ignorat circumſtantiam ullam (§. 735. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), quam notio actionis ſufficienter determinanda perſpectam eſſe requirit (§. 746. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum etiam polleat habitu notionem actionis diſtinctam formandi (*per hypoth.*); judicare valet de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, qualis ea ſit vi circumſtantiarum ſibi perſpectarum. Et quia non ignorat principium actionis, cujus patrandæ occaſio offertur, dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex iis boni vel mali ſequi poſſit, notio autem actionis ſufficienter determinata idem in memoriam revocat (§. 228. 117. *Pſych. empir.*); idem quoque ad actionem præſentem applicare valet

Digitized by Google

valet (§. *361. Pſych. empir.*). Quamobrem cum inconſiderantia conſiſtat in omiſſione judicii de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, qualis ſcilicet ea ſit vi circumſtantiarum ſibi perſpectarum, & omiſſione applicationis principii ejus dijudicandæ, quidnam ſcilicet ex ea ſequi poſſit, vel actu ſequatur (§. *763. Part. I. Phil. pract. univ.*); inconſiderantiam evitare poteſt, modo velit. Quoniam itaque ardore etiam flagrat conſiderate ſemper agendi, & inconſiderate nunquam agendi (*per hypotheſ.*), adeoque fortiter appetit conſideratam actionem, & ad conſiderate agendum promtiſſimus eſt (§. 225.), ac a propoſito ſuo ſe omnium difficillime dimoveri patitur (§. 227.); qui nunquam incogitantem & negligentem ſe præbet in agendo, nec ignorat principia actionum, quarum patrandarum occaſio offertur, dijudicandarum, quidnam ſcilicet ex iis boni vel mali ſequi poſſit, habitu formandi notionem diſtinctam actionis in quolibet caſu dato pollet, ac conſiderate ſemper agendi & non agendi inconſiderate ardore flagrat, omnem omnino inconſiderantiam evitare valet.

Apparet adeo, quam ſit difficile ſibi ab inconſiderantia in omni caſu cavere. Hincque patet ratio, cur frequenter hæc culpa committatur. Eam enim eſſe admodum frequentem obſervabis, ubi non modo actiones proprias, verum etiam alienas rigoroſo examini ſubjicias. Quo enim in iis examinandis fueris acutior, eo frequentius deprehendes eas non omni inconſiderantiæ macula carere, etiam ubi te conſiderate agere putabas. Singularis adeo cura requiritur, ſi hac labe actiones infici minime debent.

§. 665.

Remedium improvidentiæ.

Qui improvide agere non vult, incogitantiam & inconſiderantiam vitare debet. Qui enim incogitans & inconſideratus eſt, improvide agit (§. *766. Part. I. Phil. pract. univ.*).

univ.). Quamobrem qui improvide agere non vult, nec incogitans, nec inconſideratus eſſe poteſt, adeoque tum incogitantiam, tum inconſiderantiam vitare debet.

Quoniam adeo in anterioribus docuimus, quomodo incogitantia (§. 655.) & inconſiderantia evitetur (§. 664.); remedium improvidentiæ habemus. Quoniam tamen improvidentiam evitaturus, inprimis attendere debet ad malum in dato caſu eventu poſſibile, ejusque in agendo rationem habere (§. 764. & ſeqq. *Part. I. Phil. pract. univ.*); neceſſe eſt ut ſpecialius inculcetur, quodnam in incogitantia & inconſiderantia vitanda ſtudium collocare tenearis, ut ab improvidentia ſimul ſis immunis. Alias contingit te quidem non eſſe incogitantem & inconſideratum, eſſe tamen adhuc improvidum.

§. 666.

Qui improvidentiam vitare vult, malum ex actione ſua eventu poſſibile ſibi repræſentare debet tanquam certo futurum. *Circa ejus uſum notanda.* Qui enim improvidus eſt, ea omittit, quæ declinandi mali ex actione ſua eventu poſſibilis cauſa fieri poterant (§. 765. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & quamvis malum eventu poſſibile agnoſcat, vel ab aliis de eodem admoneatur, ſibi tamen perſuadet, idem hic & nunc non eſſe eventurum (§ 767. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Qui vero ſibi malum iſtud repræſentat tanquam certo futurum, ſibi non modo ab eodem metuit (§. 821. *Pſych. empir.*); verum etiam de eo declinando cogitat, nec, quæ ejus declinandi cauſa fieri poſſe intelligit, omittit (§. 590. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui improvidentiam vitare vult, malum ex actione ſua eventu poſſibile ſibi repræſentare debet tanquam certo futurum.

§. 667.

Malum repræſentatur tanquam eventu poſſibile, ſi adeſſe intelligitur ejus cauſa, ignoratur tamen, num ſit ſuffici- *Repræſentatio mali*

tanquam eventu poſſibilis & tanquam certo futuri.

ens. Repræſentatur autem tanquam certo futurum, ſi cauſa ſufficiens adeſſe intelligitur. Nimirum poſita cauſæ ſufficientis actione ponitur eff ctus (§. *898. Ontol.*). Quamobrem ſi intelligis, cauſam mali ſufficientem adeſſe, ſi hæc fiant; malum eventurum eſſe certus es. Ipſum igitur tibi repræſentas tanquam certo futurum, ſi intelligis, hiſce factis; adeſſe eius cauſam ſufficientem. *Quod erat unum.*

Quodſi vero equidem intelligis, adeſſe mali cauſam, ignoras tamen, utrum ea ſit ſufficiens, nec ne, tum tantummodo conſtat, ipſum eventurum, ſiquidem ſufficiens ponatur, non vero eventurum, ſi fuerit inſufficiens (*per demonſtrata*). Neutrum horum cum certo tibi perſpectum ſit, alterutrum tamen horum ſit neceſſe eſt (§. *53. Ontol.*); non minus poſſibile intelligitur, ut malum eveniat, quam ut non eveniat (§. *170. Ontol.*). Quamobrem ſi adeſſe intelligitur mali cauſa, ignoratur tamen, utrum ea ſit ſufficiens, nec ne; malum tanquam eventu poſſibile repræſentatur. *Quod erat alterum.*

Nimirum in incertitudine utrumque oppoſitorum æque poſſibile habetur etiam quoad poſſibilitatem extrinſecam, quorum neutrum intrinſece poſſibile eſt. Nihil affirmatur in propoſitione præſente, quod non ſit notionibus communibus, quæ experientiæ debentur, conforme: quod ut intelligatur, non alia re opus eſt, quam ut animum advertamus ad exempla obvia. Si candela accenſa, nec laternæ incluſa horreum ſtramine plenum, vento præſertim ſæviente, ingrediaris; fieri poteſt, ut incendium ſuboriatur, fieri etiam poteſt, ut non ſuboriatur. Utrumque experientia loquitur, adeoque utrumque etiam pro æque poſſibili habetur, ſiquidem ad alias circumſtantias animum non attendas. Quoniam incendium ſuboriri poteſt, ingreſſum in horreum ſtramine plenum, vento inprimis ſæviente, cauſam incendii eſſe intelligis. Quia tamen non ſemper incendium oritur, quando hoc fit, incendii cauſa ſufficiens non eſt,

Digitized by Google

eſt, ſed alia adhuc requiruntur, ſi quidem ſufficiens eſſe debet. Nimirum ſi ſtramen flammam concipere debet, neceſſe eſt, ut flamma candelæ idem contingat, vel ſcintilla quædam in idem decidat non ſubito extinguenda. Quoniam ignorans, utrum hoc eventurum ſit, nec ne; ignoras etiam, num ſit in caſu præſenti cauſa ſufficiens. Unde malum tibi repræſentas tanquam eventu poſſibile, non vero tanquam certo eventurum. Quodſi vero incendiarius horreum ſtramine plenum candela accenſa eo fine ingrediatur, ut eam huic admoveat; is incendium ſibi repræſentat tanquam certo eventurum. Eodem modo res ſeſe habet in exemplo quocunque alio, veluti ſi quis homini ſibi aliisque ignoto det res pretioſas, ut eas in ædes ſuas deferat, ubi evenire poteſt, ut easdem retineat & alio ſe conferat.

§. 668.

Eſſe Ausrepræſentationis mali eventu poſſibilis tanquam certo futuri.

Qui malum eventu poſſibile ſibi repræſentat tanquam certo eventurum, is eodem modo agit, quo ageret, ſi idem certo eventurum nullus dubitaret. Etenim ſi quis malum eventu poſſibile ſibi repræſentat tanquam certo futurum; nulla differentia intercedit inter eum, qui idem eventurum nullus dubitat, & inter ipſum, ſeu perinde eſt, ac ſi idem certo eventurum certus eſſet. Quamobrem neceſſe omnino eſt, ut eodem prorſus modo agat, quo ageret, ſi idem certo eventurum nullus dubitaret (§. *181. Ontol.*).

Nimirum facultas cognoſcitiva eodem modo ſeſe habet in utroque caſu, ſive quis nullus dubitet, malum certo eventurum, ſive ſumat idem certo eventurum: in utroque enim aſſentitur huic propoſitioni, ſi hoc fiat, malum hoc ſequetur. Quamobrem cum ratio appetitionis & averſionis tota dependeat ab hoc aſſenſu (*§. 579. 581. Pſych. empir.*), actus autem externos aliosque internos dependere conſtat ab appetitione atque averſione; eadem agendi ratio eſt in utroque caſu (§ *181. Ontol.*); adeoque & eodem in utroque modo quin agatur dubitandum non eſt (§. *118. Ontol.*). Ita qui certo noſſet, ſi

Digitized by Google

candela accenſa nunc ingrediatur horreum absque laterna, ſuboriturum incendium, eam laternæ ſollicite includeret, ac omni circumſpectione cum eadem ingreſſus ageret, quod ibi agendum, ne ſtramina ignem concipere valerent. Nemo autem eſt, qui dubiat, idem facturum eſſe eum, qui tantummodo ſumit tanquam certum, ſi absque laterna nunc in horreum ſeſe conferat, incendium ſuboriturum, conſequenter qui eventu poſſibile ſibi repræſentat tanquam certo futurum. Sed quid opus eſt verbis? Qui in dubio ſumit, malum eſſe eventurum, quod tanquam eventu poſſibile cognoſcitur, non alio fine hoc facit, quam ut idem agat, quod acturus erat, ſiquidem illud eventurum certo ſciret.

§. 669.

Quid faciendum, ut malum eventu poſſibile tanquam certo venturum repræſententur.

Si malum eventu poſſibile tanquam certo futurum ſeu tanquam venturum tibi repræſentare velis, neceſſe eſt ut 1) ideam mali in te ſuſcites, ad eandem animum attendas & attentionem conſerves; 2) ut magnitudinem ejus perpendas; 3) ut ad animum revoces, nil nocere, ſi per errorem venturum ſumatur, quod in dato caſu venturum non eſt, nocere tamen, ſi hypotheſis non venturi fallat. Quodſi enim ideam mali in te ſuſcites, & ad eandem animum attendas, fuga oritur (§. 818. *Pſych. empir.*), eidemque metus jungitur, quatenus idem tibi tanquam eventu poſſibile repræſentas (822. *Pſych. empir.*). Dum vero magnitudinem ejus perpendis, adeoque diſtincte idem tibi repræſentas, ipſum quoque non vis (§. 881. *Pſych. empir.*). Naſcitur adeo (§. 218.) ardor malum iſtud evitandi, quem metus intendit (§. 243.). Quodſi ergo ad animum revoces, ſi ſumas per errorem, malum non venturum, te in idem incurrere (§. 624. *Log.*); ſi vero per errorem ſumas ipſum venturum, errorem non nocere (§ *cit.*); conſultius utique judicabis malum eventu poſſibile haberi pro venturo, quam pro non venturo, adeoque ipſum tibi repræſentabis tanquam venturum, ſeu certo futurum (§. 667).

Non

Digitized by Google

Non eſt quod excipias, cum is, qui malum eventu poſſibile ſibi repræſentet tanquam certo futurum, eodem modo agat, quo ageret, ſi id eventurum certo prævideret (§. 668.), ubi fallit hypotheſis mali venturi, inanem operam ſumi, quatenus ea facis, quæ omitti poterant in caſu præſenti, atque adeo nullius ſunt uſus: falleris enim, ſi tibi perſuadeas, quod, quæ fruſtra fieri videntur, nullum habeant uſum. Etſi enim non faciant ad declinandum malum, quale nullum adeſt, faciunt tamen (§. 430. 431. *Pſych. empir.*) ad acquirendum & conſervandum habitum vitandi improvidentiam (§. 666.): id quod hoc loco intenditur. Præterea conſiderandum in caſu incerti ſuperflua non cenſeri ea, quibus non fuiſſe opus ex poſt facto intelligis. Quando enim homo ventura certo prævidere nequit, pro vero habendum, quod eſt ſecurius. Jubet hoc prudentia: quare diſertius de eo dicemus in Philoſophia morali, ubi de prudentia acturi ſumus. Ceterum hinc videre licet, prudentiam influere in ſtudium vitandi improvidentiam. Quamobrem in Philoſophia morali, ſicuti de ceteris culpæ ſpeciebus vitandis, ita quoque de vitanda improvidentia plura particularia ſuperaddemus.

§. 670.

Quomodo agere teneatur improvidentiam evitaturus.

Qui improvidentiam in agendo evitare vult, omnem impendere tenetur facultatum ſuarum uſum ad declinandum malum ex actione ſua eventu poſſibile. Qui enim improvidus eſt, ea omittit, quæ declinandi mali ex actione ſua eventu poſſibilis cauſa fieri poterant (§. 765. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi improvidentiam in agendo evitare vult, ea omittere non debet. Omnem igitur impendere tenetur facultatum ſuarum uſum ad declinandum malum eventu poſſibile.

Idem etiam ſic oſtenditur. Qui improvidentiam vitare vult, malum ex actione ſua eventu poſſibile ſibi re-

præſentare debet tanquam certo futurum (§. 666.). Sed qui malum eventu poſſibile ſibi repræſentat tanquam certo futurum, is eodem modo agit, quo ageret, ſi id certo eventurum nullus dubitaret (§. 668.). Quamobrem qui improvidentiam vitare vult, eodem modo agere tenetur, quo ageret, ſi id certo eventurum nullus dubitaret. Enimvero qui nullus dubitat malum aliquod ex actione ſua certo ſecuturum, is omnem facultatum ſuarum uſum impendet ad idem declinandum, ubi actionem ipſam omittere nequit, ſed agere tenetur. Patet itaque, quod improvidentiam vitaturus in agendo omnem impendere teneatur facultatum ſuarum uſum ad declinandum malum ex actione ſua eventu poſſibile.

Dedimus exempla actionum improvide agentium (*not.* §. 764. *not.* §. 765. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Unde facile colligitur, quomodo quis provide agat, ut adeo opus non ſit plura in eam rem dici. Quemadmodum vero in communiſſimis hominum actionibus improvidentiæ locus eſt; ita a poſteriori plurima addiſcuntur, quæ ad improvidentiam in caſibus particularibus vitandam proſunt, modo animum ad eas attendas, ut intelligas, cur ex iis malum aliquod reſultaverit. Ita nimirum intelliges, quænam ab improvido fuerint omiſſa, conſequenter quæ provide agens facere tenetur.

§. 671.

Quanam diligentia requiratur ad improvidentiam evitandam in agendo.

Quoniam diligens actiones omnes committit, quæ certo fine committendæ ſunt (§. 751. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui vero improvidentiam evitare vult, omnem impendere tenetur facultatum ſuarum uſum ad declinandum malum ex actione ſua eventu poſſibile (§. 670); *qui improvidentiam evitare vult, ad declinandum malum ex actione ſua eventu poſſibile omnem diligentiam adhibere debet.*

Vide-

Digitized by Google

Videmus adeo improvidentiam in agendo dependere a negligentia, adeoque eandem non arceri niſi diligentia, quam ſummam eſſe debere, in abſtracto urgendum. Culpæ diverſæ ſpecies ita a ſe invicem dependent, ut aliæ evitari nequeant, niſi alias ſimul evites. Quamobrem earum a ſe invicem dependentia probe perpendenda, ut pateat, unde incipiendum ſit culpæ vitandæ ſtudium, & quomodo in eodem progrediendum. Niſi enim hoc obſervaveris, ſtudium iſtud reddetur perplexum, ut in eo parum vel nihil proficere liceat. Immo non alia de cauſa accidit, quod diverſæ culpæ ſpecies communiter a ſe invicem non diſtinguantur, ſed inter ſe confundantur, quaſi ſint ens unum idemque, diverſis nominibus tantummodo inſignitum.

§. 672.

Negligentia quomodo evitetur in agendo.

Qui omnem in agendo diligentiam adhibet, negligentiam evitat. Etenim qui omnem in agendo diligentiam adhibet, is nihil eorum omittit, quæ, ut recte agat, fieri debent (§. 753. *Part. I. Phil. pract. univ*). Quamobrem cum negligentia in omiſſione eorum conſiſtat, quæ ad recte agendum requiruntur (§. 750. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ita ut ſumma ſit, ſi agens omnia iſta omittit (§. 754. *Part. I. Phil. pract. univ.*); negligentiam utique vitat, qui omnem in agendo diligentiam adhibet.

Videmus adeo medium diligentiæ eſſe ſimul remedium adverſus negligentiam. Quamobrem qui ſollicitus eſt, ut negligentiam evitet, is tantummodo inquirere tenetur, quid fieri debeat, ut in agendo ſeſe præbeat diligentem. Qui culpam vitare vult, cavere ſibi debet, ne a rectitudine aliqua ex parte deficiat actio (§. 696. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ubi diligentem te præbere volueris, ne culpæ reus evadas, in ea inquirere teneris, quæ facienda ſint, ut recte fiat, quod agendum.

§. 673.

Medium

Qui negligentiam evitare vult, 1) inquirere tenetur, qui-

vitandi negligentiam. *quinam facultatum ſuarum uſus ad recte agendum in dato caſu requiratur, 2) operam dare debet, ut eiusdem compos fiat, & 3) curam gerat opus eſt, ut eundem faciat.* Qui enim negligentiam evitare vult, non alia re opus habet, quam ut omnem in agendo diligentiam adhibeat (§. 672.). Enimvero ſi omnem in agendo diligentiam adhibere velit, nihil eorum omittere debet, quæ eo fine fieri debent (§. 753. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ſed ea facere, quæ facultatum ſuarum uſu ab ipſo fieri poſſunt (§. 756. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Neceſſe igitur eſt, ut & norit, quinam facultatum ſuarum uſum ad agendum in dato caſu requiratur, & ut eundem uſum faciat. Quamobrem qui negligentiam evitare vult, 1) inquirere tenetur, quinam facultatum ſuarum uſus ad recte agendum in dato caſu requiratur, 2) operam dare debet, ut ejusdem compos fiat, & 3.) curam gerat neceſſe eſt, ut eundem faciat.

Equidem ſi actiones ex præſcripto rationis dirigendæ, ut rectæ ſint, facultatum potiſſimum ſuperiorum animæ uſus requiritur (§. 72. & *ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*); ex iis, tamen, quæ de uſu facultatum ſuperiorum animæ in Pſychologia oſtendimus abunde patet, eum non uno modo dependere ab uſu facultatum inferiorum. Immo in ſuperioribus non uno loco vidimus, quomodo facultates tam ſuperiores, quam inferiores ad actionem eandem concurrere debeant, ut earundem ſit perpetuus conſenſus atque pulcherrimus concentus. In qualibet adeo actione, qualiscunque tandem ſit, determinandus eſt facultatis cujuslibet uſus, & ut eum facere poſſimus opera danda. Generalia igitur, quæ hic traduntur, uberiorem lucem expectant ab iis, quæ in ſpeciali tractatione non uno loco tradentur. Abſit igitur, ut tibi perſuadeas te in omni negotio fore diligentem, ita ut ab omni negligentia abſolvi queas, & ſumma diligentiæ laus tibi tribui poſſit, modo noris, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur. Generalia enim non ſatisfaciunt in caſu particulari,

Digitized by Google

lari; ſed tantummodo docent, quo animum advertere debeas, ut particularia, quibus opus habes, vel ſuccurrant, ſiquidem ea tibi jam fuerint perſpecta, vel ſollicita inveſtigatione detegantur.

§. 674.

Qui præcipitantiam in agendo evitare vult, incogitantiam, negligentiam, inconſiderantiam & improvidentiam evitare tenetur. Qui enim ex præcipitantia agit, incogitans, negligens, inconſideratus & improvidus (§. 775. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi præcipitantiam in agendo evitare volueris, neceſſe eſt, ut incogitantiam, negligentiam, inconſiderantiam & improvidentiam evites. *Remedium præcipitantiæ.*

Antequam igitur de præcipitantia in agendo cogites, incogitantiam, negligentiam, inconſiderantiam & improvidentiam vitare adſueſcas. Quamobrem ſi ad anteriora animum advertere libuerit, quæ de hiſce culpæ ſpeciebus vitandis docuimus; diſtinctius perſpicies, quid fieri debeat, ne ſis præcipitans in agendo. Sunt ſubinde, qui, cum ardore recte agendi flagrent, præcipitantiam in agendo evitare volunt, ita ut ex parte facultatis appetendi nihil deſideretur, quemadmodum in quavis culpæ ſpecie ſupponitur (§. 717. *Part. I. Phil. pract. univ.*), nunc tamen ex incogitantia, nunc ex negligentia, nunc ex inconſiderantia, nunc ex improvidentia præcipitanter agunt, nec defectu acuminis perſpiciunt, cur per præcipitantiam egerint, ubi eam evitandi conſtans aderat voluntas. Velim huc animum advertant, qui virtutum intellectualium ſtudium contemnunt, quaſi ad culturam moralium iisdem non ſit opus, immo in vitio ponunt, quod de intellectu perficiendo multum ſollicitus ſis, quaſi perfectio intellectus ſit ornatus ad ſuperbiendum compoſitus, eodem loco habendus, quo mulierum vanitati litantium ornatus habetur. Contemnunt profecto, quæ non intelligunt, cumque ſibi ſapere videntur, per præcipitantiam temeritatis notam incurrunt. Dependentia virtutum moralium ab intellectualibus evidenter demonſtrabitur in Philoſophia morali, ubi

 elu-

elucefcet, morales a vera forma aberrare, niſi ab intellectualibus dependeant, immo prorſus in vitia degenerare.

§. 675.

Medium agendi minime præcipitanter.

Qui præcipitantiam in agendo vitare vult, pollere debet habitu omnem faciendi facultatum cognoſcendi uſum, qui ad recte agendum requiritur. Etenim qui præcipitanter agit, omnem facultatum cognoſcendi uſum ad rectitudinem actionis requiſitum ſeponit (§. 772. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui præcipitantiam in agendo evitare vult, prompte facere tenetur omnem facultatum cognoſcendi uſum, qui, ut in dato quolibet caſu recte agat, fieri debet. Neceſſe igitur eſt, ut polleat habitu omnem faciendi facultatum cognoſcendi uſum, qui ad recte agendum requiritur (§. 428. *Pſych. empir.*).

Præcipitantia familiare vitium eſt eorum, qui ſcientiæ operam navant, ſive veritatem ab aliis detectam cognoſcituri, ſive eandem proprio Marte inveſtigaturi. Qui in hiſtoria ſcientiarum probe verſatus eſt, ut earum progreſſum minime ignoret; ei abunde perſpectum eſt, quam difficulter præcipitantia evitetur, ut adeo non facile ſit eum acquirere habitum, quem præſens propoſitio inculcat. Immo ubi in rationes præcipitantiæ animadverſæ inquiſiverit, earum longe plurimas eſſe deprehendet, tumque clarius perſpiciet, quomodo eadem nunc ab incogitantia, nunc a negligentia, nunc ab inconſiderantia, nunc ab improvidentia dependeat. Vides adeo novum uſum hiſtoriæ literariæ, qualem condendam præcepimus (§. 784. 785. *Log.*). Immo hinc patet, non inanem operam ſumi, ſi in tradendis diſciplinis etiam progreſſus in veritatibus particularibus eruendis ratio habeatur: cui fini inprimis Aſtronomia inſervire poterat, cujus progreſſum diſtincte perſpicere licet ex ſcriptis Aſtronomorum, quæ ſucceſſive condita fuere. Videbis hic viros ſummo acumine pollentes, nec quicquam in diligentia ſua deſiderari paſſos, haud

Digitized by Google

haud raro tamen per præcipitantiam ſtatuiſſe, quam nunc evitare nobis facilius eſt, poſtquam inventa magis fuere expolita atque limata. Atque hoc modo convinceris, quod, quo minus in cognitione veritatis profeceris, eo facilius præcipitantiæ locum facias. Hac vero de cauſa contingit, ut, qui in aliis a præcipitantia ſibi maxime cavent, in aliis ex adverſo nimis præcipitantes ſeſe probent. Exemplo ſunt Mathematici ſummi, qui, ubi extra ſphæram ſuam ad alia, ad quæ addiſcenda parem diligentiam minime attulerunt, digrediuntur, adeo præcipitant judicia, ut a vulgo eruditorum profecta videantur. Illuſtria dare poteramus exempla, niſi eſſent odioſa, & per præcipitantiam in virorum optime de Matheſi meritorum famæ detrimentum verterentur: id quod præcavere non una de cauſa noſtrum eſſe exiſtimamus.

§. 676.

Quomodo imprudentia evitetur in agendo.

Qui imprudentiam evitare vult, ad omnes circumſtantias in dato caſu obvias animum attendere, & in eas, quæ latent, ſollicite inquirere, ac deinde probe perpendere debet, quidnam vi circumſtantiarum præſentium ex actione ſua conſequi poſſit boni vel mali. Etenim imprudenter agit, qui facit, quod vi circumſtantiarum quarundam præſentium potius non facere debebat, vel contra non facit, quod vi earundem potius facere debebat (§. 776. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem imprudentiam evitaturus circumſtantiarum præſentium in agendo rationem habere debet, ne faciat, quod erat non faciendum, nec omittat, quod erat faciendum. Ut igitur circumſtantiæ præſentes ipſi ſint perſpectæ, ad omnes omnino animum attendere debet, quæ in ſenſus occurrunt, & in eas inquirere tenetur, quæ in eosdem non incurrunt, ſed latent. Ut vero conſtet, quænam vi earundem facienda ſint, quæ non facienda, perpendat opus eſt, quidnam ſub hiſce circumſtantiis boni vel mali ex actione ſua, cujus patrandæ occaſio offertur, con-

Digitized by Google

ſequi poſſit. Liquet adeo imprudentiam evitaturo ea obſervanda eſſe, quæ in propoſitione præcipiuntur.

Exempla, quæ ad illuſtrandam imprudentiam in medium attulimus (*not.* §. *776. 777. Part. I. Phil. pract. univ.*), propoſitionem quoque præſentem illuſtrant. Major autem lux eidem affundetur per ea, quæ de prudentia ſuo loco demonſtrabuntur, quando de virtutibus intellectualibus acturi ſumus, in quarum numero prudentia eſt, cui imprudentia opponitur. Imprudentiam evitare arduum omnino & difficile eſt: id quod non agnoſcunt, qui actiones ſuas ad examen minime revocare ſolent.

§. 677.

Quomodo incuria in agendo evitetur.

Qui incuriam evitare vult, & notionem rectitudinis actionum ſibi familiarem reddere, & ardorem recte agendi in ſe excitare debet. Quoniam enim incuria eſt abſentia ſollicitudinis omnis de rectitudine actionis (§. 778. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui eam evitare vult, quotiescunque agendum, de rectitudine actionis cogitare, & ad eandem animum advertere, ſeu attentionem afferre debet. Quamobrem cum memoria retineamus ea, quorum ideam ſæpius reproducimus (§. *181. Pſych. empir.*), eorundemque facile meminerimus (§. *226. 228. 230. Pſych. empir.*); incuriam evitaturus, notionem rectitudinis actionum ſibi familiarem reddere tenetur. Et quoniam ardore recte agendi flagrans actionem rectam fortius appetit (§. 223), adeoque eandem ſibi tanquam bonam repræſentat (§. *892. 893. Pſych. empir.*), conſequenter ex rectitudine actionis voluptatem percipit (§. *558. Pſych. empir.*) ac ideo attentionem ſuam in eadem defigit, defixamque retinet (§. *371. Pſych. rat.*); incuriam evitaturus etiam ardorem recte agendi in ſe excitare debet.

De

Digitized by Google

De rectitudine actionis parum cogitant homines, quia diſtincta ejusdem deſtituuntur notione, ipſis philoſophis hactenus neglecta. Pendet adeo incuria eorum ab ignorantia, quam eſſe vincibilem ex iis intelligitur, quæ de rectitudine actionis inculcavimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. Quamobrem ea probe expendenda ſunt omnibus, quotquot ab hac culpa vacuum poſſidere volunt animum. Sufficit autem ad incuriam evitandam notio generalis rectitudinis actionum, cum ea ſufficiat ſollicitudini de rectitudine actionis, quæ abeſſe nequit, niſi incurioſus eſſe volueris (§. 778. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Si qui vero norint, quid ſibi velit actionum rectitudo, eam tamen parum curant, iis deeſt propoſitum recte agendi, aut, ubi recte agendi propoſitum quidem ipſis eſt, ab eo tamen facile avertunt animum. Accidit illud defectu amoris rectitudinis actionum; hoc autem defectu amoris recte agendi. Utrique medetur recte agendi ardor (§. 219. 224.).

§. 678.

Qui culpam mediam evitare vult, officia, quæ in dato caſu inter ſe colliduntur, probe perpendere, & exceptionem principiis legis naturalis convenienter facere tenetur. *Culpa media quomodo evitetur.*

Culpa enim media conſiſtit in defectu rectitudinis actionis ob exceptionem in caſu colliſionis officiorum minus recte factam (§. 782. *Part. I. Phil. pract. univ.*) conſequenter, cum exceptio iſta per principia legis naturalis definiatur (§. 210. *& ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*), contra principia legis naturalis. Quamobrem qui culpam iſtam evitare vult, is & colliſionem officiorum in dato caſu diſtincte cognoſcere, & quomodo principiis legis naturalis facienda ſit exceptio, intelligere debet. Neceſſe igitur eſt, ut officia, quæ in dato caſu inter ſe colliduntur, probe perpendat, ut principiis legis naturalis conveniens exceptio fieri poſſit (§. 361. *Pſych. empir.*), &, ubi eadem perſpicitur, eandem iisdem convenienter facere tenetur.

Colliſio officiorum, quæ exceptionem parit, maximi momenti eſt in Philoſophia practica, ſive theoriam ſpectes, ſive praxin. Facit enim non modo ad demonſtrandum, quæ maxime intrincata ſunt in Jure naturæ & Gentium; verum etiam ad actiones determinandas in caſibus bene multis, ne deficiant a rectitudine, & culpam mediam incurrat agens. Neglecta hactenus fuit a Philoſophis & autoribus, qui Juris naturalis interpretationem aggreſſi ſunt. Et quamvis ſubinde Juris civilis interpretes ad exceptiones recurrant; in earum tamen originem parum inquirunt, ac regulas earundem generales inſuper habent. Inde oriuntur tot ſententiarum divortia in iis, quæ a colliſione officiorum pendent, & jura poſitiva haud raro cenſentur dura, immo prorſus iniqua, quæ rationi conformia & veritati conſentanea ſunt, nec æquitati contrariantur, ut injuſtæ ſint hominum de legum duritie, & iniquitate judicum eas ad facta applicantium, querelæ. Ecce igitur tibi rationem, cur in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis in colliſionem legum naturalium inquiſiverimus, &, quomodo legi naturali conveniens fiat exceptio, docuerimus. Uſus iſtorum principiorum eluceſcet non modo in Jure naturæ & Gentium; verum etiam in Philoſophia morali atque civili. Simile quid occurrit in natura rerum, quam ſuis etiam legibus regi conſtat (§. *559. Cosmol.*), ubi ex colliſione regularum motus oriuntur exceptiones, quibus imperfectio apparens in parte ſubinde reſultat (*553. Cosmol.*), admittenda, ut major prodeat perfectio in toto (§. *548. Coſmol.*). Pulchra igitur obſervatur analogia inter modum agendi naturæ & eum, quem vita perfecta hominum requirit: ad quam ut animum attendant Philoſophi, non parum refert. Neque enim ea ſolum delectat, ſed uſum quoque habet in inveniendo, quatenus hic principio reductionis, nunquam ſatis commendando, locus eſt (§. *472. Pſych. empir.*). Pendet etiam ab hac analogia intimior cognitio veritatis hactenus parum expenſæ, etſi utiliſſimæ non modo in praxi morali, verum etiam in Theologia revelata, veluti ubi de magnitudine peccatorum, quæ pro levibus reputantur, in oculis

Digitized by Google

oculis Dei, ut cum Theologis loquar, ſeu ſecundum æſtimationem ipſius agitur, unde non unius nodi maxime intricati ſolutio petenda de directione actionum humanarum ad perfectionem univerſi, ne Deo deformetur opus ſuum, ſit ita quod directione malorum moralium ad bonum finem (§. *680. Part. I. Theol. nat.*) Deus medeatur huic malo, ne fine ſuo excidat (§. *682. Part. I. Theol. nat.*). Multæ dantur arduæ veritates, de quibus hactenus non cogitatur, quod veram philoſophandi viam hactenus non fuere ingreſſi philoſophi. Patebunt autem, quæ huc usque latent, ſiquidem iis viſum fuerit noſtro philoſophari more. Excitamus adeo data occaſione aliorum attentionem, ut videant, quænam in quæſitorum numero ſint, & in quibus eruendis operam ſuam utiliter collocent. Nemini eorum invidemus laudem, ut det noſtris ſublimiora & profundiora.

§. 679.

Neceſſitas cognoſcendi exceptionum regulas.

Quoniam *culpam mediam evitaturus* exceptiones in caſu colliſionis officiorum principiis legis naturalis convenienter facere tenetur (§. 678.), neceſſe eſt ut norit, quomodo iisdem convenienter fieri debeat exceptio, conſequenter *regulas exceptionum in caſu colliſionis officiorum ſibi familiares reddere tenetur* (§. *361. Pſych. empir.*).

Regulas generales dedimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis (§. *210. & ſeqq.*), & per eas ſpeciales demonſtrabuntur in ſyſtemate Juris naturæ & Gentium, atque in Philoſophia morali & civili. Atque adeo patet, unde regulæ iſtæ ſint hauriendæ.

§. 680.

Quinam nullius culpæ ſibi conſcius ſit.

Qui omnem facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt, in actionibus ſuis omnibus legi naturali exacte conformandis, is culpam omnem, tam dolum, quam quamlibet in ſpecie ſic dictam evitat, ſeu culpa nullius ſibi conſcius eſt. Quoniam lex naturæ nos obligat ad actionum rectitudinem (§. *189. Part. I. Phil. pract. univ.*), etiam ad actiones lege natu-

naturali permiſſas recte committendas (§. *190. Part. I. Phil. pract. univ.*); qui omnem facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt, in actionibus ſuis omnibus legi naturali exacte conformandis, in ejus actionibus nullus notatur defectus rectitudinis, qui uſu facultatum impediri poterat, conſequenter vincibilis eſt (§. *743. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque culpa omnis non niſi in defectu rectitudinis actionis vincibili conſiſtit (§. *696. Part. I. Phil. pract. univ.*) ſive dolus fuerit (§. *701. Part. I. Phil. pract. univ.*), ſive culpa quædam in ſpecie ſi dicta (§. *717. Part. I. Phil. pract. univ.*); omnem in agendo culpam, tam dolum, quam quamlibet in ſpecie ſic dictam evitat, adeoque nullius ſibi conſcius eſt.

Patet ex antecedentibus, quæ de vitanda culpa in ſpecie dicta ſunt, ad diverſum redire facultatum noſtrarum uſum. Quamobrem ſi facias earundem uſum omnem, qui fieri poteſt; omnis quoque evitatur culpa. Quoniam vero defectus rectitudinis actionis quicunque invincibilis impotentiæ utendi facultatibus noſtris tribuendus (§. *745. Part. I. Phil. pract. univ.*), ut eundem evitemus nobis impoſſibile eſt. Unde cum nemo ad impoſſibile obligetur (§. *209. Part. I. Phil. pract. univ.*); ad hoc, ut culpa omni vacemus, non requiritur, ut faciamus facultatum noſtrarum uſum, qui nobis non conceditur. Hinc applicatio principiorum, quæ intellectu facillima ſunt, difficillima haud raro evadit, ubi judicium minime fallax ferendum, utrum agens culpæ reus ſit, nec ne. Faciunt autem huc, quæ de actionum noſtrarum, conſequenter uſus facultatum noſtrarum, a libera voluntate noſtra dependentia demonſtrata ſunt (§. *16. & ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*), & hinc de imputatione actionum deducta (§. *534. & ſeqq. Part. I. Phil pract. univ.*). Quando hic de vitanda culpa agitur, culpam in abſtracto conſideramus: ubi vero quæſtio incidit, num agens hic & nunc culpam evitare potuerit, de culpa in concreto ſermo eſt (§. *781. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem abſit,

abſit, ne quis nos redarguat, quaſi nimis rigidi ſimus morum cenſores, & praxin moralem ultra id, quod poſſibile, urgeamus. Idem notandum eſt de ceteris quoque Philoſophiæ practicæ capitibus. Ceterum propoſitio præſens eſt inverſa ejus, quam ſupra demonſtravimus (§. 642.).

§. 681.

Qui vitam perfectam vivit, ab omni ſenſu culpæ vacuum habet animum, ſeu nullius culpæ ſibi conſcius eſt. Qui enim vitam perfectam vivit, actiones ſuas omnes quoad minima legi naturali conformat (§. 17.), conſequenter omnem facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt, in actionibus ſuis legi naturali exacte conformandis. Sed qui omnem facit facultatum ſuarum uſum, quem facere poteſt, in actionibus ſuis legi naturali conformandis, is nullius culpæ ſibi conſcius eſt (§. 680.). Ergo qui vitam perfectam vivit, nullius culpæ ſibi conſcius eſt, ſeu ab omni ſenſu culpæ vacuum habet animum. *Senſus culpæ a vita perfecta alienus.*

Quoniam qui vitam perfectam vivit, culpam omnem evitat, ſtudium vitæ perfectæ videtur medium ſufficiens culpam omnem, adeoque tam dolum, quam quamlibet culpam in ſpecie ſic dictam vitandi. Quamobrem cum ſuperius docuerimus, quænam fieri debeant, ut vita perfecta vivatur (§. 58. 594.); ſuperflua exiſtimari poterant, quæ de vitanda culpa hactenus tradidimus. Enimvero quæ de hac vitanda demonſtravimus, tanquam ſpecialia ſub generalibus iſtis continentur. Ecquis vero dixerit, in generalibus eſſe ſubſiſtendum, propterea quod ſpecialia in generalibus involvantur? Immo quia ſpecialia in generalibus involvuntur, ideo evolvenda ſunt, ut iſtis per omnia ſatisfieri queat. Alias ſane nec opus erat, ut jus naturæ ac gentium explicaremus, quia in theoria generali ad idem ſpectantia involvuntur, quæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus, nec ut Philoſophiam moralem & civilem traderemus, quia omnis praxeos principia generalia in hac altera ejus parte

Digitized by Google

fuerunt explicata. Si vitam perfectam vivis, culpam omnem evitas, ſed ut vivere poſſis, adeoque ſatisfacere regulis, quæ eo fine præſcribuntur, tenenda etiam ſunt, quæ de culpa vitanda præcepimus.

§. 682.

Fructus ſtudii invitandæ culpæ collocati.

Qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, eum conſcientia excuſat. Etenim cum culpa a non uſu facultatum noſtrarum proficiſcatur (§. 641.); qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, is novit, ſe nihil eorum omiſiſſe, quod fieri a ſe poterat, ut recte ageret. Quamobrem de actione perpetrata idem fert judicium, quod tulerat de perpetranda, conſequenter conſcientia conſequens eadem cum antecedente (§. 422. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque conſcientia nos excuſat, ſi conſequentem cum antecedente eandem experimur (§. 463. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, eum conſcientia excuſat.

Quia ad animum ſibi revocat, quæ de excuſatione conſcientiæ demonſtrata fuerant (§. 467. & ſeqq. *Part. I. Phil. pract. univ.*), is abunde convincetur, quanti interſit, ut nullius culpæ nobis ſimus conſcii, conſequenter quam ſit neceſſe ut ab omni culpa nobis caveamus.

§. 683.

Fructus alius.

Qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, is ab omni accuſatione conſcientiæ immunis eſt. Qui enim nullius culpæ ſibi conſcius eſt, eum conſcientia excuſat (§. 682.). Enimvero cum conſcientia nos excuſet, ſi conſequentem cum antecedente eandem experimur (§. 463. *Part. I. Phil. pract. univ.*), accuſet autem, ſi conſequens ab antecedente fuerit diverſa (§. 472. *Part. I. Phil. pract. univ.*), impoſſibile vero ſit, ut conſequens ſimul ſit eadem cum antecedente ac diverſa ab antecedente (§. 28. *Ontol.*), nempe non eadem cum antecedente

dente (§. *181. 183. Ontol.*); quem conſcientia excuſat, eundem accuſare nequit. Quamobrem qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, is ab omni accuſatione conſcientiæ immunis eſt.

Qui ſollicite perpendit, quæ de accuſatione conſcientiæ demonſtrata ſunt (§. *482. & ſeqq. Part. I. Phil. pract. univ.*), is ſatis ſuperque convincetur, quantum momenti in eo ſitum ſit, ut nullius culpæ nobis conſcii ſimus, conſequenter quam ſit neceſſe, ut ab omni culpa, tam a dolo, quam a culpa in ſpecie ſic dicta qualibet nobis caveamus.

§. 684.

Fructus adhuc alius. *Qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, ejus animus a morſibus conſcientiæ immunis.* Qui enim nullius culpæ ſibi conſcius eſt, eum conſcientia excuſat (§. 682.). Sed excuſatio conſcientiæ a morſibus conſcientiæ hominem præſtat immunem (§. *495. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, eius animus a morſibus conſcientiæ immunis eſt.

Culpam adeo omnem vitare præſervativum eſt adverſus morſus conſcientiæ. Quo major fuerit cura culpam omnem vitandi, eo magis nobis cavemus, ne conſcientia nos mordeat (§. *494. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ne ob male facta tædiis afficiatur animus, & affectibus moleſtis vexetur (§. *cit.*).

§. 685.

Animus a ſenſu culpæ vacuus felicitatis pars. *Nullius culpæ ſibi conſcium eſſe, ſeu animus ab omni culpæ ſenſu vacuus felicitatis noſtræ pars eſt.* Etenim qui nullius culpæ ſibi conſcius eſt, eum conſcientia non accuſat (§. 683.), ejusdemque animus a morſibus conſcientiæ immunis eſt (§. 684.). Quamobrem cum accuſatio conſcientiæ & morſus ejusdem hominem reddant infelicem (§. *493. Part. I. Phil. pract. univ.*); eam infelicitatem evitat,

 in

in quam accuſatio conſcientiæ & morſus ejusdem hominem conjiciunt. Præterea eum, qui culpæ nullius ſibi conſcius eſt, conſcientia ſua excuſat (§. 682.) Quare cum excuſatio conſcientiæ hominem felicem reddat (§. 495. *Part. I. Phil. pract. univ.*); eius felicitatis compos fit, quæ ab excuſatione conſcientiæ expectanda. Patet itaque animum ab omni culpæ ſenſu vacuum eſſe partem felicitatis noſtræ.

Quanta ſit felicitatis noſtræ pars animus ab omni ſenſu culpæ vacuus, non opus eſt ut demonſtretur. Qui enim ad principia animum advertit, ex quibus demonſtravimus, excuſationem conſcientiæ hominem reddere felicem (§. 495. *Part. I. Phil. pract. univ.*), & accuſationem conſcientiæ ejusdemque morſus eundem facere infelicem (§. 493. *Part. I. Phil. pract. univ.*), veritatemque illorum in ſeipſo, horum autem in aliis experiri conatur (§. 271. 272.); abunde eam perſpiciet. Nemo autem miretur, nos felicitatis partem facere abſentiam infelicitatis. Quemadmodum enim in numerum bonorum vulgo ab omnibus refertur mali abſentia; ita etiam abſentia infelicitatis in partem felicitatis venit.

§. 686.

Motivum culpæ vitandæ.

Animus ab omni ſenſu culpæ vacuus eſt motivum culpæ vitandæ. Eſt enim pars felicitatis noſtræ (§. 685.). Sed felicitas eſt motivum agendi (§. 326.), infelicitas motivum non agendi (§. 327.). Quamobrem animus ab omni ſenſu culpæ vacuus eſt motivum culpæ vitandæ.

Ut igitur culpam vitare velis, neceſſe eſt ut probe perpendas, quanti interſit habere animum ab omni ſenſu culpæ vacuum (§. 932. *Pſych. empir.*). Utque motivum ſit fortius, probe perpendendum, quanta felicitatis noſtræ pars in eo ſita ſit (*not.* §. 685.). Quodſi motivo huic locum facere debeat agens, & veram felicitatis ac infelicitatis notionem habeat, & quænam hominem felicem, quænam infelicem faciant, non ignoret neceſſe eſt. Quæ hic requiruntur, ex Pſycho-

Digitized by Google

chologia empirica, parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis & demonſtrationibus anterioribus haurienda ſunt. Neque adeo opus eſt, ut plura de iisdem dicantur.

CAPUT IV.

DE CONJECTANDIS HOMINUM MORIBUS.

§. 687.

PEr *Morem* intelligimus modum conſtantem ac perpetuum determinandi actionem ſive poſitivam, ſive privativam dati generis vel datæ ſpeciei, ſeu identitatem agendi in eodem caſu. *Mos quid ſit.*

Definitio moris difficilis eſt, ut adeo eam dare neglexerint, qui de moribus hominum ex inſtituto commentati ſunt. Quamobrem non eſt, quod miremur, ſi quis attonitus quaſi hæreat, dum definitionem noſtram legit: quam tamen eſſe uſui loquendi convenientem haud difficulter probatur. E. gr. *Quintilianus* lib. 1. c. 10. Romanorum, inquit, epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Et *Cicero* in Verrem lib. 3. c. 26. ſcribit: Negavit moris eſſe Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Habes hic exemplum actionis & poſitivæ, & privativæ, quæ mori tribuitur. Conſiſtit autem mos in eo, quod in eodem caſu idem ſemper fiat, vel non fiat. Hinc & naturæ tribuitur mos, quatenus ſemper agit in eodem caſu eodem modo, nec ab iſto modo unquam recedit. Terminos enim conſtantiæ ac perpetuitatis hic ſumimus eodem modo, quo de voluntate eosdem interpretati ſumus (§. 1062. *Part. I. Theol. nat.*), ſcilicet ut perpetuitas denotet idem fieri vel non fieri omni tempore, quoties idem caſus offertur, & conſtantia ſignificet, ab eo actionem determinandi modo in eodem caſu non recedi. Hinc

Digitized by Google

ex identitate agendi omnes colligunt morem, recte argumentati (§. 349. *Log.*): ſit ita quod eundem ſibi repræſentaturi eum confundant cum principiis, unde mos procedit. Inde eſt quod virtutes, vitia, inclinationes naturales aliæque qualitates animæ ſive naturales, ſive acquiſitæ, unde identitas agendi dependet, morum nomine compellentur, & a Grammaticis diverſi ſignificatus vocabuli fingantur. Qui vero in philoſophia prima verſati ſunt, ut notionibus abſtractis ſint adſueti, & in Pſychologia induſtriam ſuam deſiderari non ſunt paſſi, ut ſatis ſint acuti in diſcernendis actionibus animæ internis earundemque principiis; ab iſta confuſione ſibi facile cavebunt, & ex actionum determinatione conſtante ac perpetua mores, ex moribus eorum principia interna colligent: id quomodo recte fiat, jam docere nobis eſt propoſitum.

§. 688.

Mores animi quid ſint & quid ſint externi.

Hinc *Mores animi* ſeu *hominum* dicuntur modi conſtantes ac perpetui determinandi actus facultatum animæ, quatenus a libertate noſtra pendent. Et iisdem accenſentur actiones externæ iisdem reſpondentes, quatenus ſcilicet cum iſtis ſimul ponuntur, vocanturque *Mores* in horum identitate conſiſtentes *externi*.

Idem adeo moris ſignificatus eſt, ſive de hominibus, ſive de brutis aut corporibus quibuscunque, immo de ente quocunque alio prædicetur: ſit ita, quod ob libertatem animæ, qua bruta & reliqua corpora carent, ea intercedat differentia, quam libertas exigit, ut de moribus animi ſive hominum prædicentur, quæ de moribus brutorum & corporum ceterorum prædicari nequeant.

§. 689.

Morum diviſio in naturales & liberos.

Mores naturales ſunt, qui per eſſentiam & naturam animæ & corporis determinantur: *Libri* autem, qui a libertate animæ dependent. Priores etiam intelliguntur de brutis & rebus inanimatis.

Divi-

Digitized by Google

Diviſio eadem, quæ actionum in naturales & liberas (§. *12. Part. I. Phil. pract. univ.*). Nimirum cum mos omnis conſiſtat in identitate agendi in eodem caſu (§. 687.); mores naturales ſpectantur in actionibus naturalibus, liberi autem in liberis.

§. 690.

Quinam mores imputentur agenti.

Homini imputantur mores liberi, non naturales: nec brutis & rebus inanimatis mores ſui imputari poſſunt. Etenim homini non imputantur actiones, niſi quatenus liberæ ſunt (§. *532. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter quatenus a libertate animæ dependent (§ *12. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec ipſi imputari poteſt, quod conſtanter ac perpetuo agat eodem modo, quam quatenus identitas agendi in eodem caſu a libertate animæ pendet. Quoniam itaque in hac identitate mos conſiſtit (§. 687.), ſuntque mores liberi, quatenus a libertate animæ dependent (§. 689.); ideo patet homini imputari mores liberos. *Quod erat primum.*

Enimvero homini imputari nequeunt per ſe actiones naturales (§. *529. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec eidem imputari poteſt, quod actiones naturales ſemper ſeſe habent eodem modo in eodem caſu. Quamobrem cum actiones naturales per eſſentiam & naturam animæ & corporis determinentur (§. *12. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter & identitas agendi in eodem caſu, in qua mores conſiſtunt (§ 687.), mores autem naturales ſint, qui per eſſentiam & naturam animæ ac corporis determinantur (§. 689.); mores naturales homini imputari nequeunt. *Quod erat ſecundum.*

Denique brutis (§. *530. Part. I. Phil. pract. univ.*) & rebus inanimatis imputari nequeunt actiones ſuæ (§. *531. Part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec ipſis impu-

tari

tari poteſt, quod conſtanter in eodem caſu agant eodem modo. Quamobrem cum in identitate agendi in eodem caſu mores ipſorum conſiſtant (§. 687.); brutis atque rebus inanimatis mores ſui imputari nequeunt. *Quod erat tertium.*

In cenſendis aliorum moribus ratio habenda eſt imputationis. Atque huc præter propoſitionem præſentem conducunt principia, quæ de imputatione demonſtravimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis. Aſt ubi in mores hominum inquiris, ut eorum habeas rationem in determinandis propriis actionibus, quoties cum ipſis agendum, nihil refert, utrum ſint naturales, an vero liberi, etſi ſubinde non inutile ſit liberos a naturalibus etiam hic diſtingui, ne quid in actionibus propriis determinandis omittas, quod negligi minime debebat, niſi actio aliqua ex parte a rectitudine deficere debebat. Etſi enim talia pro ſubtilitatibus habeantur, quæ contemni merentur, & vulgo contemnantur: ipſa tamen experientia docet, ea haud raro negligi cum damno agentis in negotiis arduis non exiguo.

§. 691.

Dependentia a libertate poſitiva & privativa. *Dependentia* morum & actionum *a libertate* duplex eſt, alia poſitiva, alia privativa. *Poſitiva* eſt, quæ ab uſu libertatis proficiſcitur: *Privativa* vero, quæ a non uſu oritur, ſeu intermiſſo ejus uſu ponitur.

Quemadmodum actiones non modo poſitivæ, verum etiam privativæ imputantur, quia facere omittis, quæ facere poteras, adeoque libere omittis; ita etiam imputatur non uſus libertatis, quem facere poteras. Pertinent huc, quæ de defectu rectitudinis vincibili ob non uſum facultatum noſtrarum demonſtravimus (§. 743. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem non ſufficit demonſtraſſe per eſſentiam & naturam corporis determinatam fuiſſe actionem & hinc pendere morem, ubi probandum actionem vel morem eſſe naturalem; ſed oſtendendum quoque nullum hic in determinatione libertatis eſſe potuiſſe uſum. Hoc probe notandum eſt,

Digitized by Google

eſt, ubi de moribus corrigendis quæſtio incidit, ne vel in iis corrigendis inanem operam ſumas, quæ corrigi nequeunt, vel negligentem te præbeas, ubi corrigi poterunt. Diſtinctio adeo præſens dependentiæ morum a libertate animæ uſum non contemnendum habet in praxi. Et ejus etiam habenda ratio eſt, quoties cum aliis agendum, quemadmodum ex iis colligitur, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 692.

Mores eodem modo differunt, quo actiones hominum inter ſe differunt. Conſiſtunt enim in identitate agendi in eodem caſu (§. 687.). Quales igitur ſunt actiones, tales etiam cenſentur mores, quippe qui aliunde quam ex actionibus judicari nequeunt. Quamobrem eodem modo differunt, quo actiones hominum inter ſe differunt. *Principium generale diſtinguendi.*

Habemus adeo principium generale diſtinguendi mores: quod eſſe notionibus communibus conforme experientia loquitur, ut inſtar axiomatis ſumi poſſit (§. 263. *Log.*).

§. 693.

Quoniam moraliter bonæ ſunt actiones legi conformes, malæ autem eidem difformes (§. 244. *Part. I. Phil. pract. univ.*); *mores* quoque *boni ſunt, qui conſiſtunt in identitate actionum legi conformium; mali ex adverſo, qui conſiſtunt in identitate actionum legi difformium* (§. 692.), aut, ſi mavis, *mores boni ſunt, qui legi conformes; mali autem, qui eidem difformes.* *Mores boni & mali quomodo differant.*

Qui ex parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis didicit, quantum pateat moralitas actionum, eidem quoque perſpectum eſt, quinam ſit ambitus morum bonorum & malorum. Unde non offendetur, ſi in communi ſermone boni dicantur vel mali, qui ſpeciali quodam nomine inſigniri poterant.

Digitized by Google

§. 694.

Morum honeſtorum & inhoneſtorum diſcrimen.

Quia honeſtæ ſunt actiones, quæ obligationi ac juri naturali conveniunt, inhoneſtæ autem, quæ eidem repugnant (§. *171. Part. I. Phil. pract. univ.*); *mores* quoque *honeſti ſunt, qui in identitate actionum obligationi ac juri naturali convenientium conſiſtunt*, ſeu, *qui obligationi ac juri naturali conveniunt*, ex adverſo autem *inhoneſti, qui conſiſtunt in identitate actionum obligationi ac juri naturali difformium, ſeu, qui obligationi ac juri naturali difformes ſunt* (§. 692.).

Mores adeo honeſtos ab in honeſtis diſcreturus notionem obligationis ac juris naturalis, quam utramque ſatis explicavimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis, intime perſpicere debet. Conſtat enim ignorantia hujus obligationis atque juris contigiſſe, ut ab aliis gentibus mores nonnulli habiti fuerint honeſti, quos inhoneſtos exiſtimarunt alii. Quinam rectius ſenſerint, dijudicari nequit, niſi ex notione diſtincta honeſtatis ac inhoneſtatis, quæ in notiones obligationis naturalis & juris naturalis reſolvitur.

§. 695.

Morum licitorum & illicitorum differentia.

Porro cum actiones illicitæ ſint, ad quas omittendas obligamur, licitæ autem, ad quas committendas tantummodo jus habemus (§. *170. Part. I. Phil. pract. univ.*); *mores* etiam *illiciti ſunt, qui conſiſtunt in actionum identitate, ad quas omittendas obligamur*, aſt *liciti ſunt illi, ad quas jus habemus*, ſeu *qui conſiſtunt in actionum identitate, ad quas committendas jus habemus* (§. 692.).

Rarius equidem in communi ſermone mores licitos vel illicitos appellamus; ſubinde tamen etiam in eodem hac denominatione utimur. Sane in vernaculo ſermone ab uſu loquendi minime abhorret, ſi mores hominum, prouti caſus tulerit, voces erlaubte Sitten, item unerlaubte Sitten. Quodſi vero

vero vel maxime hæc diſtinctio morum a communi uſu loquendi abhorreret, non tamen ideo rejicienda foret, cum veritati conſentaneam eſſe demonſtretur, ſuumque habeat uſum in praxi, quoniam haud raro homines vtuntur moribus, a quibus ſe abduci minime patiuntur, quod eos licitos arbitrentur.

§. 696.

Mores quinam decori & indecori. Denique quia actiones decoræ ſunt, quæ agentem decent (§. *194. Part. I. Phil. pract. univ.*), indecoræ, quæ dedecent (§. *195. Part. I. Phil. pract. univ.*); *mores etiam decori ſunt, qui agentem decent*, ſeu, *qui conſiſtunt in actionum decorarum identitate*, *indecori* autem, *qui agentem dedecent*, ſeu, *qui conſiſtunt in actionum indecorarum identitate* (§. 692.).

Quænam deceant agentem, quænam dedeceant, diſtincte ſatis explicavimus alibi (§. *332. Part. I. Theol. nat.* & §. *195. Part. I. Phil. pract. univ.*). Ad illas igitur notiones generales recurredum, quoties de decoris ac indecoris moribus ferendum eſt judicium. Ipſæ autem notiones hæ inſinuant, quod in caſu particulari haud raro difficile ſit judicium, cum nec omnes eadem deceant, nec eadem dedeceant omnes. Facilitantur autem judicia per ſpecialem decori ac indecori theoriam, hactenus a philoſophis fere neglectam. Equidem in communi ſermone plures adhuc occurrunt morum denominationes, veluti cum nunc dicuntur pravi, nunc ſcelerati, nunc comti, nunc inſulſi, nunc urbani, nunc ruſtici & ita porro. Enimvero vel per inconſtantiam loquendi alio nomine compellantur, qui per modo demonſtrata aliter appellari debebant, vel mores particulares ſpeciale trahunt nomen a virtutibus & vitiis, ad quæ referuntur. Quæ igitur a nobis expoſitæ ſunt morum diviſiones, in theoria generali ſufficiunt.

§. 697.

Quomodo ſe habeat *Singuli mores animi ſupponunt generalem quandam determinationem appetitus ad actiones certi generis, vel certæ*

 ſpeciei

appetitus & averſatio in moribus. *ſpeciei committendas, vel averſationis ad actiones certi generis vel certæ ſpeciei omittendas.* Etenim mores animi conſiſtunt in modo conſtante ac perpetuo determinandi actus facultatum animæ (§. 688.). Quamobrem cum actus iſti vel ſint facultatis appetendi & averſandi, vel facultatis cognoſcendi ab his pendentes; mores animi in eo conſiſtunt, quod actus facultatis appetendi & averſandi ſingulares in eodem caſu determinentur eodem modo, conſequenter ut, quod in aliquo caſu ſemel appetis, vel averſaris, idem etiam appetas, vel averſeris, quotiescunque caſus iſte recurrit. Quoniam itaque ratio aliqua adeſſe debet, cur actus appetitus vel averſationis ita determinetur, non aliter (§. *56. Ontol.*), ea vero contineri debet in repræſentatione, ſeu perceptione actionis, conſequenter neceſſe eſt, ut actionem appetas vel averſeris, quatenus tibi eandem repræſentas ut talem; ideo patet appetitum & averſationem eſſe debere determinabilem per hoc, quod actio aliqua ut talis percipiatur, adeoque generaliter determinatus eſt appetitus ad tales actiones committendas, & averſatio generaliter determinata eſt ad tales actiones omittendas. Singuli adeo mores animi ſupponunt generalem quandam determinationem appetitus ad actiones certi generis vel certæ ſpeciei committendas, vel averſationis ad actiones certi generis, vel certæ ſpeciei omittendas.

Ex. gr. Videmus quotidie, homines quosdam appetere actiones, ex quibus ſe honorem vel famam conſequi poſſe arbitrantur. Appetitus adeo eorum determinabilis eſt per repræſentationem honoris ex actionibus conſecuturi, conſequenter generaliter determinatus eſt ad committendas actiones, quæ honorem vel famam pariunt. Moris iisdem eſt appetere actiones, quæ faciunt ad honorem vel famam conſequendum, & eas committere, quas huc facere judicant (§. 687.). Mos adeo ipſorum ſupponit determinabilitatem appetitus per honorem, conſequenter generalem quandam deter-

terminationem ad actiones certi generis committendas. Similiter videmus homines quosdam averſari eas actiones, quas commiſſurus vel minimum periculum ſubire tenetur. Averſatio itaque ipſorum determinabilis eſt per repræſentationem vel minimi periculi, cui ſe exponere debent, conſequenter generaliter determinata eſt ad actiones certi generis omittendas. Moris iisdem eſt averſari actiones, quas committendo vel minimo periculo ſeſe exponere tenentur (§. 687.). Mos adeo ipſorum ſupponit determinabilitatem averſationis per periculum vel minimum ſubeundum, conſequenter generalem quandam determinationem ad actiones certi generis omittendas. Nemo hominum actiones committit, niſi quæ ipſius judicio ſunt bonæ, nec omittit ſeu committere recuſat actiones, niſi quæ ipſo judicante non ſunt bonæ ſeu malæ. Atque hic mos communis eſt omnium hominum (§. 687.). Supponit autem appetitum eſſe determinabilem per repræſentationem boni, & averſationem eſſe determinabilem per repræſentationem mali, conſequenter generalem determinationem appetitus ad bonas actiones committendas & generalem determinationem averſationis ad malas non committendas, ſeu ommittendas. Unde eſt lex appetitus: Quicquid nobis repræſentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus (§. 904. *Pſych. empir.*), & lex averſationis: Quicquid nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos, id averſamur (§. 907. *Pſych. empir.*). Quoniam hominibus, quatenus bonum apparens a vero bono non diſtinguunt, nec malum apparens a vero malo ſeparant, non eadem eſt notio boni atque mali; ideo vi determinationis generaliſſimæ naſcuntur aliæ generales ad actiones certi generis vel certæ ſpeciei committendas & omittendas ſeu non committendas pro diverſitate hominum diverſæ.

§. 698.

Quomodo ſe habeat appetitus

Quoniam bruta habent appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam (§. 757. *Pſych. rat.*), legemque appetitus & averſationis in utriusque actibus determinan-

& averſatio brutorum in ipſorum moribus. dis obſervant (§. 758. *Pſych. rat.*); eodem, quo ante (§. 697.), modo oſtenditur, quod etiam *mores brutorum ſupponant generalem quandam determinationem appetitus & averſationis ad certas actiones committendas & non committendas.*

Principium hoc uſui eſt in Phyſiognomia, quemadmodum inferius eluceſcet. Eſt etiam in numero principiorum heuriſticorum, quemadmodum in Arte inveniendi doceri debet, & ex iisdem colligere licet, quæ de ejus uſu in Phyſiognomia docebuntur.

§. 699.

Quomodo ſe habeat facultas cognoſcendi in moribus hominum. *Singuli mores hominum ſupponunt notionem quandam boni vel mali, ſive veri ſive apparentis, aut confuſam, aut diſtinctam.* Supponunt enim generalem determinationem appetitus ad actiones certi generis vel ſpeciei certæ committendas, vel averſationis ad actiones certi generis vel certæ ſpeciei non committendas ſeu omittendas (§. 697.). Quamobrem cum appetitus oriatur ex repræſentatione boni (§. 579. *Pſych. empir.*), averſatio vero ex repræſentatione mali (§. 581. *Pſych. empir.*), nempe appetitus ſenſitivus ex confuſa (§. 580. *Pſych. empir.*), rationalis ex diſtincta boni (§. 880. *Pſych. empir.*), averſatio vero ſenſitiva ex confuſa mali (§. 582. *Pſych. empir.*), rationalis ex diſtincta mali repræſentatione (§ 881. *Pſych. empir.*); bonum autem non minus (§. 557. *Pſych. empir.*), quam malum omne vel verum ſit, vel apparens (§. 568. *Pſych. empir.*): ſinguli mores hominum ſupponunt notionem quandam boni vel mali, ſive veri, ſive apparentis, aut confuſam, aut diſtinctam.

Nimirum appetitus determinabilis eſt per perceptionem actionis ut talis, quia actio ut talis percepta repræſentatur tanquam bona, & averſatio determinabilis eſt per perceptionem actionis ut talis, quia actio ut talis percepta repræſentatur tanquam mala. Neque enim in determinatione appeti-

tus

tus violari poteſt lex appetitus, nec in determinatione averſationis lex averſationis, cum utraque nitatur principio rationis ſufficientis (§. *586. 904. 907. Pſych. empir.*), quod in determinando quolibet actu locum habet (§. *70. Ontol.*).

§. 700.

Quomodo ſe habeat facultas cognoſcendi in brutis.

Singuli mores brutorum ſupponunt ideam quandam boni, vel mali confuſam. Supponunt enim generalem quandam determinationem appetitus & averſationis ad certas actiones committendas & omittendas (§. 698.). Enimvero bruta obſervant legem appetitus & averſationis (§. *758. Pſych. rat.*), adeoque eorum appetitus determinatur per repræſentationem boni (§. *904. Pſych. empir.*), averſatio autem per repræſentationem mali (§. *907. Pſych. empir.*). Quoniam vero non habent, niſi appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam (§. *757. 763. Pſych. rat.*), appetitus autem ſenſitivus ex idea boni confuſa (§. *580. Pſych. empir.*); averſatio ſenſitiva ex idea mali confuſa oritur (§. *582. Pſych. empir.*): ſinguli mores brutorum ſupponunt ideam quandam boni vel mali confuſam.

Nimirum cum bruta appetant actiones tales, neceſſe eſt ut actiones, quas ut tales percipiunt, ſibi repræſentent tanquam bonas, & cum bruta averſentur actiones tales, neceſſe eſt ut actiones, quas ut tales percipiunt, ſibi repræſentent tanquam malas. Nemo miretur, nos de brutorum moribus agere, ubi de hominum moribus conjectandis agendum. Mores enim brutorum ad mores hominum conjectandos faciunt, & utile eſt ut conſtet, quandonam hominum mores aſſimilentur moribus brutorum, & quandonam ac quatenus ab iisdem abeant.

§. 701.

Comparatio morum

Si mores hominum ſupponunt notionem boni vel mali confuſam, cum moribus brutorum conveniunt; ſi ſupponunt

notio-

hominis cum moribus brutorum.

notionem boni vel mali veri diſtinctam, hominibus proprii ſunt; ſi denique ſupponunt notionem boni vel mali apparentis diſtinctam, mores hominum brutorum moribus adhuc aſſimilantur. Etenim brutorum mores ſupponunt ideam quandam boni vel mali confuſam (§. 700.), & ab hac pendet appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ determinatio generalis (§. 580. 582. *Pſych. empir.*), quæ non minus ad mores brutorum (§. 698.), quam ad mores hominum requiritur (§. 697.). Quamobrem ſi mores hominum quoque ſupponunt notionem boni vel mali confuſam, cum brutorum moribus iidem ſunt (§. 181. *Ontol.*), adeoque conveniunt. *Quod erat primum.*

Quoniam bruta carent intellectu (§. 761. *Pſych. rat.*), diſtincta quoque boni ac mali veri notio iisdem inesse nequit (§. 275. *Pſych. empir.*). Quamobrem quoque nulli in ipſa cadunt mores, qui diſtinctam boni ac mali veri notionem ſupponunt. Quodſi ergo mores hominum diſtinctam boni vel mali veri notionem ſupponunt; hominibus proprii ſunt. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi notio boni vel mali, quam ſupponunt hominum mores (§. 699.), diſtincta quidem fuerit, ſed ea tantummodo bonum vel malum apparens repræſentetur; bonum vel malum tantummodo videtur, quod non eſt (§. 557. 568. *Pſych. empir.*), conſequenter perinde eſt, ac ſi mores a notione boni vel mali confuſa penderent (§. 631. *Log.*), quemadmodum & ea, quæ inſunt notioni diſtinctæ, in confuſam notionem boni vel mali in genere reſolvuntur, vi cujus bonum vel malum apparet, quod non eſt (§. 95. 631. *Log.*). Quoniam itaque mores hominum iidem ſunt cum moribus brutorum, ſi notionem confuſam boni & mali ſupponunt (*vi num. 1.*); moribus brutorum adhuc aſſimilantur, ſi notionem boni & mali equidem diſtin-

ſtinctam, attamen non niſi apparentis ſupponunt (§. 195. *Ontol.*). *Quod erat tertium.*

Habemus adeo principium, vi cujus mores hominum cum moribus brutorum conferri poſſunt, ut certo conſtet, num & quatenus cum iisdem conveniant, & quando ab iisdem abeant. Notio boni vel mali apparentis diſtincta nonniſi in eo differt a confuſa, quod ſigillatim recenſere valeas, quæ in hac continentur, & beneficio operationum intellectus eam in dato caſu applices (§. 356. *Pſych. empir.*), adeoque quoad appetitum & averſationem perinde eſt, ac ſi vi notionis confuſæ determinaretur. Immiſcet ſe facultatibus cognoſcendi inferioribus ſuperior, nempe intellectus, ſed hujus uſus inſufficiens eſt, cum ſenſui plus tribuatur, quam tribui debebat. Et qui diſtincte ſatis judicium definitivum explicare valet, in notiones confuſas incidit, quibus agenti imponitur, ut pro bono vel malo habeat, quod non eſt, & quod non eſſe agnoviſſet agens, ſiquidem facultatis cognoſcendi ſuperioris uſum ſufficientem feciſſet. Videmus adeo uſum facultatis cognoſcendi ſuperioris pro nullo habendum, conſequenter mores hominum a moribus brutorum non differre.

§. 702.

Quomodo ſe habeat facultas cognoſcitiva in moribus alterius expendatur.

In moribus tam brutorum, quam hominum facultas cognoſcitiva generaliter determinata eſt ad tales actiones repræſentandas tanquam bonas, vel malas. Etenim mores tam brutorum (§. 700.), quam hominum ſupponunt notionem quandam boni vel mali (§. 699.), vi cujus actio, ad quam committendam generaliter determinatus eſt appetitus tam brutorum (§. 698.), quam hominum (§. 697.), & ad quam omittendam generaliter determinata eſt averſatio tam in brutis (§. 698.), quam in hominibus (§. 697.), repræſentatur tanquam bona vel mala, quia percipitur ut talis (§. 24. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque quamprimum actio ut talis percipitur, ea repræſentatur tanquam bona

vel mala; facultas cognoſcendi generaliter determinata eſt ad tales actiones repræſentandas tanquam bonas vel malas (§. *112. Ontol.*).

Determinationem appetitus vel averſationis generalem in moribus tam brutorum, quam hominum agnovere veteres ex identitate agendi in eodem caſu eam inferentes; ſed cum in ejus rationem non inquirerent, vel quod eam pro primitiva haberent, vel quod non agnoſcerent philoſophi eſſe, ut inquirat in rationes eorum, quæ ſunt (§. *46. Diſcurſ. prælim.*), determinationem facultatis cognoſcitivæ generalem inſuper habuere. Patebit tamen deinceps in conjectandis hominum moribus rationem ejus habendam eſſe, præſertim ubi morum alienorum cognitio uſui eſſe debet, & moribus tam propriis, quam alienis emendandis utilem navare operam volueris. Immo ſi in moribus cognoſcendis nulla ex parte deſiderari debet diligentia, ad determinationem generalem facultatis cognoſcendi non minus advertendus animus, quam ad determinationem generalem facultatis appetendi ac averſandi. Dependet appetitus & averſatio a facultate cognoſcitiva, adeoque nec ille, nec hæc ſufficienter intelligitur, niſi conſtet, quomodo ſeſe habeat facultas cognoſcitiva, dum appetitus in quid fertur, vel averſatio quid reſpuit.

§. 703.

Quomodo mores vulgo definiantur. Vulgo *Mores* accipiuntur pro determinatione iſta generali appetitus ad actiones certi generis vel ſpeciei committendas & averſationis ad actiones certi generis vel ſpeciei non committendas ſeu omittendas (§. 697. 698.). Dicitur autem generalis iſta determinatio *Diſpoſitio*, quatenus appetitus & averſatio ita ſeſe habet, ut, quoties agendi occaſio offertur, hoc modo determinetur. Unde *Mores* definiuntur per diſpoſitionem quandam appetitus, quia ſcilicet tam appetitionem, quam averſionem ad appetitum retulerunt veteres (§. *583. Pſych. empir.*).

Cum

Digitized by Google

Cum ſignificatus generalis, quem definitione ſuperiori expoſuimus (§. 687.), reſtrictiorem ſub ſe comprehendat, adeoque ſine præjudicio veritatis retineri poſſit, nulla ratio cogit, ut ab illo recedamus. Si cui aliter viſum fuerit, de nominali definitione nemini litem movebimus. Sufficit nos diſtincte explicaſſe, quid ſibi velit iſta appetitus diſpoſitio, quam morem dixerunt veteres, & oſtendiſſe quod ad identitatem agendi in eodem caſu, unde omnes morem agnoſcunt, requiratur in hominibus atque brutis. Equidem actiones a more vulgo diſtinguuntur, & recte quidem; non tamen quid hic concluditur adverſus definitionem noſtram. Etenim per hanc quoque ipſa actio mos non eſt, ſed hunc tanquam principium ſupponit. Identitas agendi ſeu modus conſtans & perpetuus determinandi actionem non eſt ipſa actio, ſed actio potius ſupponit agens, quodcunque tandem fuerit, tale eſſe, ut in eodem caſu actionem eodem modo determinet, &, niſi quid obſtiterit, idem agat. Ab impedimentis enim, in quibus continetur ratio, cur a more recedatur, nunc abſtrahimus, nec eorum in definiendo haberi poteſt ratio. Mox autem patebit, quanti interſit, diſtincte cognoviſſe, undenam ſit, ut appetitus ſua quaſi ſponte in actiones certi generis vel certæ ſpeciei feratur, & averſatio ab iisdem abhorreat.

§. 704.

Mores conjectare dicimur, ſi ex iis, quæ in ſenſus incurrunt, determinationem generalem appetitus & averſationis quoad actiones certi generis vel ſpeciei probabiliter ſaltem colligimus. *Mores conjectare quid ſignificet.*

Nimirum non alio fine in mores aliorum inquirimus, quam ut conſtet, quomodo agens appetitum vel averſationem determinare ſoleat, quoties agendi quædam occaſio offertur. Certam hujus intendimus cognitionem: ubi vero ea haberi nequit, in probabili acquieſcere tenemur. De conjectandis cujusque moribus libros decem conſcripſit *Scipio Claramontius*, qui hanc artem optime expoſuiſſe fertur. Etſi

autem non negemus, occurrere in iisdem quædam principia, quæ uſui eſſe poſſunt, & ubi iisdem uti noveris, ad ulteriora proſunt; negari tamen non poteſt, eum nec certa ab incertis, vera a falſis diſtinguere, nec ipſam morum notionem, quantum ſatis eſt, evolviſſe, nullaque ex parte ſatisfacere iis, qui noſtrum philoſophandi morem tenent. Quemadmodum itaque in notionem moris noſtro more inquiſivimus; ita etiam noſtro more porro trademus, quomodo aliorum mores ſint conjectandi. Cum vero in Philoſophia practica univerſali nonniſi generalem praxin moralem tradamus; nec noſtri inſtituti eſt niſi generalia de conjectandis hominum moribus demonſtrare; ſpecialia enim reſervantur philoſophiæ morali.

§. 705.

Quidnam inveſtigari debeat in conjectandis moribus.

Quoniam mores alterius conjectaturus ex iis, quæ in ſenſus incurrunt, determinationem generalem appetitus & averſationis quoad actiones certi generis vel certæ ſpeciei colligere tenetur (§. 704.), determinatio vero iſta etiam quoad mores tam brutorum (§. 700.), quam hominum (§. 699), ſupponit notionem quandam boni vel mali (§. 579. 581. *Pſych. empir.*), vi cujus talis actio agendi repræſentari ſolet tanquam bona vel mala (§. 702.); *Qui mores alterius conjectare voluerit, potiſſimum inquirere tenetur in eam notionem, vi cujus agens actionem certi generis, vel ſpeciei ſibi repræſentare ſolet tanquam bonam vel malam.*

Neglexit hoc cum veteribus, quorum veſtigia legit, *Claramontius*: unde haud difficulter colligitur, cur, quæ ab ipſo tradita ſunt, parum certa ſint, nec ſatisfaciant acurioribus. Hoc vero principium in omni arte conjectandi mores tam brutorum, quam hominum notionis directricis loco inſervit.

§. 706.

Quoniam vero id, ex quo colligitur præſenia alterius,

Digitized by Google

terius, hujus, quod inde colligitur, ſignum eſt (§. *952. Ontol.*); *ea, quæ in ſenſus incurrunt, & ex quibus colligitur generalis determinatio appetitus vel averſationis quoad actiones certi generis aut ſpeciei ad mores requiſita* (§. 697. 698.), *ſunt morum ſigna.*

Patet adeo, ubi de conjectandis hominum moribus agitur, de eorundem quoque ſignis agendum eſſe.

§. 707.

Inde eſt, quod ars conjectandi hominum mores dicatur *Semiotica moralis.* *Semiotica moralis quid ſit.*

Denominatio ex Medicina petita. Quemadmodum enim ea Medicinæ pars, quæ docet, quomodo ex certis ſignis morbus, qui latet, dignoſcatur, & quem habiturus ſit eventum, colligatur, Semiotica vel Semiologia appellatur; ita ea Philoſophiæ moralis pars, quæ docet, quomodo ex certis ſignis dignoſcantur mores hominum, & actiones inde pendentes prævideantur, Semiotica moralis dici ſuevit. Philoſophiæ practicæ univerſalis pars eſt Semiotica moralis generalis, quam hic tradere nobis propoſitum eſt. Specialia vero reſervantur philoſophiæ morali paſſim ſuo loco tradenda.

§. 708.

Vultus eſt compoſitio faciei determinato ſitu partium faciei mobilium facta. Vernaculo ſermone appellamus die Mine. *Vultus quid ſit.*

Ad faciem pertinent frons, naſus, oculi, genæ, os, mentum: quibus partibus etiam accenſentur aures. In fronte mobilis eſt cutis, qua os frontis tegitur, in naſo mobiles ſunt pinnæ, in ore labia mobilia ſunt. Maxime autem cum ore mobiles ſunt oculi, quamvis etiam in mento & genis motus quidam conſpicui ſint. Dum vero partes quædam moventur, vel moventur ſolæ, ut earum, quem ad ceteras habent, ſitus ſolus mutetur, vel moventur cum ipſis una aliæ, ut plurium ſitus ſimul varietur. Ex variatione ſitus

 par-

Digitized by Google

partium mobilium, faciei diverſitas vultus enaſcitur: quæ quanta ſit, quotidie experimur. Docet etiam experientia variato ſitu partium mobilium earundem quoque figuram aut, ſi mavis, conformationem mutari. Multum ad mores judicandos facit vultus, præſertim ad naturales. Patebunt hæc ex ſequentibus.

§ 709.

Geſtus quid ſint.

Geſtus ſunt motus brachiorum determinato ſitu partium ad eadem pertinentium facti. Noſtro idiomate appellamus Geberden: quamvis vocabulum Germanicum latius ſubinde accipiatur, ita ut etiam ſub ſe comprehendat compoſitionem totius corporis ex variato ſitu partium mobilium reſultantem.

Ad brachia referuntur humerus, cubitus & manus: in manibus ſpectantur palma, cujus pars interior vola manus, ſuperior dorſum appellari ſolet, atque digiti in ſuos articulos diviſi. Corpus conſtat ex trunco & artubus. Truncus componitur ex capite, thorace, abdomine: artus dividuntur in brachia, quæ ſubinde etiam manus appellantur, vocabulo latiori in ſignificatu accepto, atque pedes, ad quos femur cum genu & poplite, tibia ſive crus, & pes in ſpecie ſic dictus refertur, qui ab Anatomicis in tarſum, metatarſum atque digitos pedum dividi ſolet. Partes corporis externi a ſe invicem diſtinguere, & earundem varios ſitus, quos habere poſſunt, perpendere tenetur, qui de vultu, geſtu ac inceſſu & poſitu corporis iudicium ferre, vel ſaltem notiones ſibi formare voluerit.

§. 710.

Poſitus corporis quid ſit.

Per *Poſitum corporis* intelligimus compoſitionem totius corporis externi ſitu partium mobilium quomodocunque determinato reſultantem. Vernaculo ſermone appellamus ſpeciali nomine die Stellung des Leibes, vel etiam die Poſitur.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis adeo uſu loquendi etiam obtineat, ut poſitura cum geſtibus ſub communi nomine comprehendatur; conſultius tamen eſt, ut vocabulo Geberden tantummodo indigitentur geſtus; poſitura autem corporis proprio nomine die Stellung des Leibes, vel Poſitur ſignificetur. Geſtus enim ex poſitura minime dependent, ſed illis variatis hæc eadem eſſe poteſt.

§. 711.

Inceſſus eſt motus pedum determinato ſitu partium ad eos pertinentium factus. Germanice vocatur der Gang. *Inceſſus quid ſit.*

Definitur hic inceſſus, qualis in ſe eſt. Etſi enim in judiciis, quæ feruntur de inceſſu, haberi etiam ſoleat ratio poſituræ, immo geſtuum; non tamen inde ſequitur, quod ad inceſſum per ſe pertineant, etſi cum eodem concurrant.

§. 712.

Vox eſt ſpiritus per glottidem emiſſus ſonorus. Vernaculo idiomate appellamus die Stimme. *Vox quid ſit.*

Nimirum aër ex pulmonibus exſpiratus ſpiritus vocari ſolet, Germanice der Athem. Emittitur autem per glottidem, quæ laryngis rimula eſt, & a libertate animæ pendet, utrum eum magna celeritate protrudere, an lente expellere velis, item num eum magna, an exigua copia exprimere velis. Præterea ſonorus efficitur, quemadmodum ſuo tempore in Phyſica explicabitur, & denuo a libertate animæ pendet, num eum ſonorum efficere velis, an nolis, immo cum Spiritus ſonorus non ſemper idem ſit, differentia quoque, quæ in eodem ſpectatur, arbitrio tuo ſubjicitur. Atque ideo vox non uno modo regitur arbitrio tuo. Etſi autem bruta deſtituantur libertate (§. 763. *Pſych. rat.*), vox tamen quoad qualitates diverſas & diverſos intenſionis earundem gradus ab appetitu ac averſatione pendet ipſis conveniente (§. 757. *Pſych. rat.*).

§. 713.

Sermo eſt ſignificatio actuum facultatum animæ, veluti *Sermo*

Digitized by Google

quid ſit. veluti perceptionum, appetitionum & averſionum, per vocabula.

Vocabula hic non ſpectantur materialiter, quatenus ſunt ſoni articulati, ſed formaliter, quatenus vim ſignificandi habent, & ea intentione proferuntur, ut, quæ in anima latent, ſignificentur.

§. 714.

Actio ſincera quænam ſit. *Actio externa ſincera* eſt, quæ cum interna conſentit. Patrio ſermone appellamus eine aufrichtige Handlung. *Conſentit* autem *actio externa cum interna*, ſi in actibus internis, quæ actionem externam reſpiciunt, nihil occurrit, quod eidem contrariatur, ſed omnes potius in hujus determinationem influunt.

Ex. gr. Si quis miſeriam egeni ſibi repræſentat, & ejus commiſeratus eidem eleemoſynam dare decernit, ut miſeriam ejus ſublevet, decretumque executus eleemoſynam dat; datio eleemoſynæ ſincera eſt. Neque enim in actibus internis animæ quicquam reperitur, quod dationi eleemoſynæ adverſetur, quin potius ſinguli in eam influunt, ita ut ex iis ſimul ſumtis intelligatur, cur dederit eleemoſynam. Similiter, ſi quis eum animæ ſtatum in ſe experitur, quem verbis exprimit, ſermo ejus ſincerus eſt (§. 713.). Et ſi quis ingemeſcit, ubi triſtitia angitur animus; vox ſincera eſt (§. 712.).

§. 715.

Quantus adeſſe debeat conſenſus in actione ſincera. Quoniam actio externa in plures ſimplices reſolvitur perinde ac interna, externa vero ſincera eſt, ſi nihil in actibus internis occurrit, quod externæ contrarietur, (§. 714.); *ſi actio fuerit ſincera, in actibus animæ internis nihil occurrere debet, quod contrarietur actioni cuique externæ ſimplici ad eandem compoſitam referendæ, conſequenter nec in hiſce locum habet ulla contrarietas.*

Sin-

Sincera igitur actio latius patet, quam vulgo putatur. Vulgo enim ad actiones ſimplices omnes, quæ externam reſpiciunt, non attenditur, & inadæquate cognita actio tantummodo refertur ad appetitum, atque ex hujus conſenſu cum eodem æſtimatur ſinceritas. Unde accidit, ut ſincera exiſtimetur actio, quæ non eſt, ita ut judicans haud raro ſibimetipſi imponat, dum de propriis judicat actionibus, nedum ubi judicat de alienis. Plures ſunt animæ facultates, quæ ad eandem actionem concurrunt, nimirum facultas cognoſcitiva ſuperior & inferior, atque appetitiva tam ſuperior, quam inferior. Et ad actionem externam non modo ſpectant motus organorum corporis, quibus perficitur, quod decreto convenit, verum etiam ad eandem referri debet mutatio vultus, geſtus, vox atque ſermo, quatenus ad illam referuntur, & ejus gratia locum habent. In hiſce igitur omnibus ſimul ſumtis nulla detur neceſſe eſt contrarietas, ubi ſincera eſt actio.

§. 716.

Simulatio eſt diſſenſus actionis externæ ab interna. *Diſſentit* autem *externa ab interna*, ſi externa internæ fuerit contraria. *Simulatio quid ſit.*

Ex. gr. Titius appetit largiorum vini hauſtum; ſed ob Mævii præſentiam ab eodem abſtinet, nec ad potandum ſe adduci patitur. Abſtinentia igitur ab potu largiori contraria eſt actui appetitus, adeoque ſimulata; atque in hoc diſſenſu actionis externæ privativæ ab interna conſiſtit ſimulatio. Similiter, Sempronius odio proſequitur Cajum; ſed verbis & factis eidem atque amicis ipſius amorem oſtendit. Verba & facta ſunt actiones ſimulatæ, atque in horum diſſenſu ab actione interna, cupiditate nimirum nocendi, ſimulatio conſiſtit. Grachus Deiſta cultui divino externo omnem operam navat. Actiones externæ internis, nimirum judicio mentis ac hinc pendentibus appetitionibus atque averſionibus contrariantur, adeoque ab his diſſentiunt. In hoc itaque diſſenſu ſimulatio conſiſtit.

Digitized by Google

§. 717.

Diſſimulatio quid ſit. *Diſſimulatio* eſt occultatio actionis tam internæ, quam externæ, tam poſitivæ, quam privativæ, quomodocunque facta.

Si quis odio flagrans alteri tædia creare intendit, omni tamen ſtudio cavet, ne intentio ſua eidem innoteſcat, is intentionem nocendi diſſimulat. Si debitori alterius ſolvis nummos, quos ipſi debes, ſollicite tamen caves, ne hoc reſciſcat alter; actionem externam occultas, adeoque ſolutionem diſſimulas. Si adulter tempore nocturno commeat ad amicam; adulterium diſſimulat. Vulgo diſſimulatio illuſtratur fabella Areoſti, qua fingit Flammettam in medio duorum cubantem tertium admiſiſſe, utrique nimirum ſociorum perſuaſuram, quaſi eorum alter cum ipſa rem ſuam haberet. Diſſimulatio haud raro cum ſimulatione confunditur. Enimvero qui in applicanda utriusque definitione ſatis circumſpectum ſeſe præbet; is facile diſtinguet ea, quæ tribuenda ſunt diſſimulationi, ab illis, quæ ſimulationis ſunt.

§. 718.

Prætextus quid ſit. Simulatio intentionis dicitur *Prætextus*. Nonnulli cum Tacito *Obtentum* appellare malunt. Quoniam itaque in ſimulatione actio externa contraria eſt internæ (§. 716.), intentio autem non aliter innoteſcit, quam ſi alteri ſignificetur; *prætextus in eo conſiſtit, quod aliam nobis eſſe dicamus intentionem agendi, quam quæ eſt*, adeoque *falſam*, non *veram* (§. 507. *Log.*).

Si Rex quidam militem conſcribit eo animo, ut bellum inferat vicino, huic autem quæſitus perſuadere nititur, ideo hoc fieri, ut ſuppetias alteri ferre poſſit, cui periculum iminet, ut bello implicetur; is intentionem veræ contrariam dicit, adeoque intentionem ſimulat, quæ ipſi non eſt. Hæc igitur ſimulatio prætextus dicitur. Similiter, ſi quis alteri, quem odit, imputat errores periculoſos, ut famæ ac fortu-

Digitized by Google

næ ipſius inſidias ſtruat, ait vero ſe hoc facere ad ſeductionis periculum avertendum; is falſam intentionem obtendit, atque in hac ſimulatione prætextus conſiſtit. Ita etiam Phariſæi in Eccleſia Proteſtantium ab inferis reſuſcitati ſub prætextu pietatis pompoſæ eorum fortunas per cuniculos ſubvertere nituntur, qui cum ipſis minime faciunt.

§. 719.

Diſſimulatio intentionis nullo peculiari nomine gaudet, ſpecies quædam diſſimulationis (§. 717.), utpote actionis internæ (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.* & §. *567. Part. I. Theol. nat.*), quemadmodum prætextus, intentionis ſimulatio (§. 718.), ſpecies ſimulationis eſt (§. 716.). Quoniam itaque qui actionem diſſimulat, eam occultat, ſollicite nimirum cavens, ne alii ejus fiant conſcii (§. 717.); *Qui intentionem ſuam diſſimulat, nec veram dicit, quæ ſibi eſt, nec falſam obtendit.* *Diſſimulatio intentionis in quonam conſiſtat.*

Exemplo eſt Rex, qui numeroſum militem conſcribens cur id faciat, vicinis Regibus non dicit, adeoque nec veram intentionem prodit, nec falſam obtendit (§. *616. Part. I. Phil. pract. univ.*). Etſi autem intentionis diſſimulatio peculiari nomine deſtituatur, quale eſt intentionis ſimulationi (§. 718.); non tamen inconſultum fuit ejus in ſpecie mentionem fieri, cum non minus momentum habeat in moralibus, quam prætextus.

§. 720.

Qui ſimulat intentionem, finem ſimulat, & qui diſſimulat intentionem, finem diſſimulat, cur agat. Etenim finis ab agente intenditur (§. *617. Part. I. Phil. pract. univ.*), propter quem agit (§. *932. Ontol.*). Quamobrem ſi intentionem ſimulat, finem ſimulat, & ſi intentionem diſſimulat, finem diſſimulat. *Qualis ſit ſimulatio & diſſimulatio intentionis.*

Digitized by Google

Hinc eſt quod prætextus, quem ſimulationem intentionis eſſe diximus (§. 718.), vulgo definitur per ſimulationem finis. A vocabuli igitur ſignificatu recepto non recedimus, cum definitio noſtra vulgo receptæ æquipolleat. Quemadmodum enim oſtendimus eum, qui intentionem ſimulat, ſimulare finem; ita ex adverſo demonſtratur, qui finem ſimulat, eum quoque ſimulare intentionem, quemadmodum ex ſequente propoſitione patet.

§. 721.

Qualis ſit ſimulatio & diſſimulatio finis.

Qui finem ſimulat, intentionem ſimulat, & qui finem diſſimulat, intentionem diſſimulat. Cum enim agens propter finem agat (§. 932. *Ontol.*), qui finem ſimulat, vel diſſimulat, id ſimulat, vel diſſimulat, propter quod agit. Quamobrem cum agens intendat id, propter quod agit (§. 616. *Part. I. Phil. pract. univ.*); qui finem ſimulat, intentionem ſimulat, & qui finem diſſimulat, intentionem diſſimulat.

§. 722.

Quomodo ſe gerat, qui prætextu utitur & qui intentionem diſſimulat.

Qui prætextu utitur, finem falſum dicit, verum diſſimulat; qui vero intentionem diſſimulat, nec verum dicit finem, nec falſum, ſed prorſus reticet, & contra. Qui enim prætextu utitur, falſam dicit intentionem, non veram (§. 718.). Quamobrem cum finem intendat (§. 617. *Part. I. Phil. pract. univ.*), falſum dicit finem, non verum, adeoque verum occultat, conſequenter cum finem diſſimulet, qui eum occultat (§. 717.), finem verum diſſimulat. *Quod erat primum.*

Qui intentionem diſſimulat, nec veram dicit, quæ ſibi eſt, nec falſam obtendit (§. 719.), conſequenter utramque reticet. Quoniam itaque finem intendit (§. 617. *Part. I. Phil. pract. univ.*); nec verum dicit finem, nec falſum, ſed prorſus tacet. *Quod erat ſecundum.*

Qui

Digitized by Google

Qui finem falſum dicit, verum diſſimulat, adeoque occultat (§. 717.), adeoque falſo dicit, quod propter hoc agat, non vere dicit (§. 932. *Ontol.*). Quamobrem cum intentio ipſius ſit volitio ejus, propter quod agit (616. *Part. I. Phil. pract. univ.*); intentionem falſam dicit, quæ ſibi non eſt, veram occultat, adeoque diſſimulat (§. 717.). *Quod erat tertium.*

Denique qui nec verum dicit finem, nec falſum, ſed prorſus tacet, is prorſus nil dicit, propter quod agit (§. 932. *Ontol.*). Quoniam itaque intentio ipſius conſiſtit in volitione eius, propter quod agit (§. 616. *Part. I. Phil. pract. univ.*); intentionem ſuam occultat, adeoque diſſimulat (§. 717.). *Quod erat quartum.*

Utile eſt caſus hoſce a ſe invicem probe diſtingui, non modo in præſenti, ubi de conjectandis hominum moribus agitur, verum etiam in ampliſſima de prudentia morali & civili doctrina, cum prætextui & diſſimulationi intentionis multus ſit locus, non modo in negotiis publicis, verum etiam in privatis, ubi actionem diſſimulare non licet. Hæc igitur principia, quæ in propoſitione præſente continentur, probe notanda ſunt.

§. 723.

Actio ſimulantis externa contraria eſt ſinceræ. Etenim actio ſimulantis externa contraria eſt internæ (§. 716.), ſincera autem ſi fuerit actio, in interna nihil occurrit, quod eidem contrariatur (§. 715.), conſequenter externa internæ prorſus convenit. Quoniam itaque per ſe patet, actionem externam, quæ internæ contraria eſt, contrariam quoque eſſe debere externæ, quæ huic prorſus convenit; quin actio ſimulantis externa ſinceræ contraria ſit, dubitandum non eſt. *Qualis ſit ſimulantis actio.*

Abunde hoc loquuntur exempla, quæ ſupra in medium adduximus definitionem ſimulationis illuſtraturi. Si qui vino ſe

ſe ingurgitare ſolet, in convivio ob alicujus præſentiam a largiori potu abſtinet, adeoque modice bibit; modica bibitio actio ſimulata eſt, nimius vini hauſtus ſincera (§. 714. 716.). Nemo non videt actionem ſimulantis hic eſſe contrariam ſinceræ. Idem patet in exemplo altero, quando quis animum nocendi habet, verbis & factis teſtatur amorem: noceret enim, ſi ſincere ageret, minime autem prodeſſet alteri. Similiter Deiſta cultum Dei externum negligeret, ſi ſincere ageret, cui frequenter intereſt, dum devotionem ſimulat.

§. 724.

Quando actio ſit ſincera.

Cui nulla ſimulandi ratio eſt, ejus actio ſincera eſt. Etenim cum nihil ſit abſque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. *70. Ontol.*), nec ſimulationi locus eſſe poteſt, niſi adſit ſimulandi ratio, conſequenter cui nulla ſimulandi ratio eſt, ejus actio externa ab interna minime diſſentit (§. 716.), adeoque conſentit (§. *53. Ontol.*), conſequenter ſincera eſt (§. 714.).

Propoſitio hæc in notionum communium numero eſt: videas enim omnes actionem ſumere ſinceram, quando nullam adeſſe putant ſimulandi rationem. In ejus tamen applicatione multa circumſpectione opus eſt, ne fallaris. Neque enim ſufficit nullam apparere ſimulandi rationem, ſed demonſtrandum eſt nullam adeſſe. Propoſitionum autem negativarum demonſtratio multo difficilior, quam affimativarum in caſu ſingulari.

§. 725.

Quando deſit ſufficiens ſimulandi ratio.

Si actio ſincera editur, agenti ſufficiens ſimulandi ratio non eſt. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, adeſſe rationem ſufficientem ſimulandi. Quoniam poſita ratione ſufficiente, cur quid potius ſit, quam non ſit, ponitur id quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. *118. Ontol.*); ponetur quoque ſimulatio, adeoque agens ſimulabit, conſequenter actio ejus ſincera non eſt, *contra hypotheſin.*

Ne

Ne quis propoſitionem præſentem per interpretationem perverſam in abuſum trahat, probe notandum eſt, eam intelligendam eſſe de actione in concreto, non vero de actione in abſtracto. Non quæritur, num hic & nunc ratio ſufficiens adſit, cur agens ſimulet, ita ut ſimulatio tribuatur prudentiæ, vel e re eſſe judicetur, ut agens ſimulet; ſed num adſit agenti ſufficiens ratio, cur ſe ad ſimulandum actu determinet, qualecunque tandem judicium ferendum de ſimulatione in abſtracto ſpectata. Si actiones in concreto conſiderantur, non ſpectatur veritas, quæ in actionibus in abſtracto ineſt, ſed ratio habenda opinionis agentis ac pendentis hinc conſuetudinis agendi, quæ a veritate haud raro procul abeſt. Ratio, quæ in abſtracto ſpectata pro nulla habenda, ſufficiens ac prægnans eſſe poteſt, ſi in concreto conſideretur. Quæ hic monemus, probe notanda ſunt in præſenti argumento, alias nihil effeceris. Qui vero huc animum non advertunt, difficultatibus inextricabilibus locum faciunt.

§. 726.

Motiva ordinaria dicimus, per quæ agens ſe determinare ſolet ad agendum & non agendum, niſi rationes ſingulares adſint, cur hic & nunc aliter agat vel non agat. *Motiva* autem *extraordinaria* ſunt, per quæ agens ſe aliter determinat ad agendum & non agendum, quam alias ſeſe determinare ſolet.

Motiva ordinaria & extraordinaria quomodo differant.

Si quis ex largiori vini hauſtu voluptatem percipit, hæc ipſa voluptas motivum ordinarium eſt, per quam ſeſe ad hauſtum vini largiorem determinat. Aſt ubi ob præſentiam alterius a potu largiori abſtinet, ſingularis quædam eſſe debet ratio, cur altero præſente facere nolit, quod facere alias ſolet. Atque hæc ratio motivum extraordinarium eſt.

§. 727.

Motiva generalia ſunt, per quæ voluntas & noluntas determinatur, quatenus actiones in genere ſpectantur, ſeu

Motiva generalia

ſpecialia & ſingularia quomodo differant. ſeu tanquam ſub certo genere contentæ conſiderantur. *Specialia* ſunt, per quæ voluntas & noluntas determinatur, quatenus actiones in ſpecie ſpectantur, ſeu tanquam ſub certa quadam ſpecie contentæ conſiderantur. *Singularia* denique ſunt, quæ deſumuntur a circumſtantiis ſingularibus in dato caſu obviis.

Si quis ad agendum ſeſe determinare ſolet per voluptatem ſenſuum percipiendam, perceptio voluptatis ſenſualis motivum generale eſt. Etenim actio hic ſpectatur tanquam ea, quæ voluptatem ſenſualem agenti creat, adeoque tanquam contenta ſub eo actionum genere, quæ voluptatem creant. Quoniam enim voluptates ſenſuales multiplices ſunt, plures etiam dantur ſpecies iſtiusmodi actionum, quæ voluptatem ſenſualem pariunt. Quodſi quis ſeſe determinare ſolet ad agendum per voluptatem veneream, perceptio voluptatis venereæ motivum ſpeciale eſt. Etenim hic actio conſideratur tanquam ſub certa actionum ſpecie contenta, nimirum illarum, quæ voluptatem veneream percipiendam præbent. Si quis veneri ſe totum dedit, ab actibus tamen venereis abſtinet in dato caſu ob præſentiam alterius, quem mores ſuos celare tenetur; motivum, quo hic & nunc ſeſe determinat ad non faciendum, quod alias lubenter facturus erat, a circumſtantiis ſingularibus in caſu iſto obviis deſumitur, adeoque ſingulare eſt. In conjectandis hominum moribus omnis motivorum differentia probe perpendenda, ne quid ex ipſorum actionibus colligatur a veritate alienum.

§. 728.

Motiva generaliſſima quanam ſint. *Motiva generaliſſima* ſunt, quæ in nulla alia reſolvuntur, ſeu ab aliis nullo modo pendent.

Ita motivum generaliſſimum eſt perceptio voluptatis ſenſualis, ſi ratio nulla alia adeſt, cur quis actiones appetat, quæ voluptatem ſenſualem pariunt, quam quia eandem pariunt, ita ut bonum judicetur, quod voluptatem ſenſualem creat.

§. 729.

§. 729.

Actio conſueta eſt, quæ ex conſuetudine agendi proficiſcitur. Quamobrem cum in conſuetudine agendi actio determinetur vi motivorum præteritorum, quatenus confuſe perceptorum memoriam habemus (§. 923. *Pſych. empir.*); *actio conſueta determinatur per motiva, per quæ alias in eodem caſu ſeu actionem iſtius generis vel ſpeciei conſtanter determinavit agens, niſi ratio quædam ſingularis eam aliter determinari ſuaſerit.* *Actio conſueta quænam ſit.*

§. 730.

Actio conſuetæ contraria dicitur *inſueta.* Quamobrem cum conſueta determinetur per motiva, per quæ alias actio ejus generis vel ſpeciei determinari ſolet, niſi ratio quædam ſingularis eam aliter determinari ſuadeat (§. 729.); *actio inſueta non determinatur per motiva, per quæ alias actio ejus generis vel ſpeciei determinari ſolet ab agente, ſed ſingularis quædam ratio adeſt, cur agens ſic potius eandem determinet, quam conſueto alias modo.* *Quænam actio inſueta.*

§. 731.

Actiones conſuetæ per motiva ordinaria, inſuetæ per extraordinaria determinantur. Etenim actiones conſuetæ determinantur per motiva, per quæ alias actiones iſtius generis vel ſpeciei conſtanter determinat agens, niſi ratio quædam ſingularis eam aliter determinari ſuaſerit (§. 729.). Quamobrem cum hæc motiva ordinaria ſint (§. 726.); actiones conſuetæ per motiva ordinaria determinantur. *Quod erat unum.* *Qualia ſint motiva in actionibus conſuetis & inſuetis.*

Enimvero ſi actio fuerit inſueta, ſingularis quædam ratio adeſt, cur agens ſic potius eandem determinet, quam conſueto alias modo (§. 730.). Quamobrem cum

Digitized by Google

motiva extraordinaria ſint, per quæ agens actionem aliter determinat, quam alias determinare ſolet (§. 726.); actiones inſuetæ per motiva extraordinaria determinantur. *Quod erat alterum.*

Ad determinandum actum appetitus & averſationis a quo pendet actio libera, requiritur aliquod motivum (§. 889. *Pſych. empir.*), quo actio repræſentatur tanquam bona, vel mala (§. 890. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo nulla emergit ratio, cur noſtrum de actione judicium mutetur, motivum priſtinum ſubſiſtit, adeoque eidem convenienter nos determinamus ad agendum vel non agendum (§. 932. *Pſych. empir.*). Quodſi vero circumſtantiæ ſingulares ſuppeditant rationem, cur aliter nunc judicemus de actione, cujus patrandæ occaſio offertur, motivum ordinario contrarium emergit, quod extraordinarium dicimus (§. 726.). Motiva ordinaria reſpondent actionibus conſuetis; extraordinaria inſuetis (§. 729. 730). Qui animam ſine motivis ſeſe determinare poſſe ad agendum, vel non agendum ſomniant; actionum conſuetarum & inſuetarum rationes tollunt. Ridiculum vero eſt, quod actionem inſuetam obſervantes in rationem inquirant, nec contenti ſint reſponſione, ſi quis nullam adeſſe affirmet. Contradictorii ingenii hominum praxis a theoria diſſentit.

§. 732.

Quænam motiva ſint ordinaria, quænam extraordinaria.

Motiva generalia & ſpecialia ordinaria ſunt; ſingularia vero extraordinaria. Etenim in motivis generalibus actio ſpectatur tanquam ſub certo genere contenta, & in ſpecialibus tanquam contenta ſub certa ſpecie (§. 727.), conſequenter non habetur ratio niſi eorum, quæ in omni caſu notionem actionis ingrediuntur (§. 248. 345. *Ontol.*). Quamobrem niſi ſingularis quædam ratio obſtiterit, iſtis convenienter ſeſe determinat agens ad agendum vel non agendum (§. 932. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque motiva ordinaria ſunt, per quæ agens ſeſe determinat ad agendum

dum vel non agendum, niſi ſingulares adſint rationes, cur hic & nunc aliter agat (§. 726.); motiva generalia & ſpecialia ordinaria ſunt. *Quod erat unum.*

Quodſi motiva fuerint ſingularia, ea deſumuntur a circumſtantiis ſingularibus in dato caſu obviis, conſequenter ab iis, quæ non ſemper adſunt, quoties agendi occaſio offertur (§. 727.). Quoniam itaque agens per ea ſe aliter determinat, quam facturus erat, ſi circumſtantiæ iſtæ abeſſent, vel earum nullam ipſe rationem haberet, extraordinaria autem motiva ſunt, per quæ agens ſe aliter determinat ad agendum & non agendum, quam alias ſeſe determinare ſolet (§. 726.); motiva ſingularia extraordinaria ſunt. *Quod erat alterum.*

§. 733.

Si actio per motiva ordinaria determinatur, ſincera eſt. Etenim ſi per motiva ordinaria determinatur, agens ſe determinat ad agendum vel non agendum, quemadmodum ſolet, niſi ſingularis ratio adſit, cur hic & nunc aliter agat (§. 726.). In actibus adeo internis, quæ actionem externam reſpiciunt, nihil occurrere poteſt, quod eidem contrariatur, ſed omnes potius in hujus determinationem influunt (§. *113. Ontol.*), conſequenter actio externa cum interna conſentit (§. 714.). Quare cum ſincera ſit, ſi cum interna conſentit (§. *cit.*); ſincera eſt actio, ſi per motiva ordinaria determinatur. *Actionis ſincera determinatio.*

Si quis fuerit miſericors, ei motivum ordinarium dandæ eleemoſynæ eſt miſeria egeni. Quamobrem, ſi miſeria alterius tactus, ei dat eleemoſynam, actio ſincera eſt. Si quis in elargiendis eleemoſynis ſeſe liberalem præſtare ſolet, ut laudem aucupetur ab aliis; motivum ordinarium dandæ eleemoſinæ eſt laudis appetitio. Quamobrem ubi largiorem aliis eleemoſynam præbet, ut laudetur; actio ejus ſince-

Digitized by Google

ra eſt. Non confundenda eſt actio ſincera cum actione recta. Etenim non minus ſincere agere poteſt, qui male facit, quam qui recte agit. Sincera enim actio generaliter ſpectata moralitatem nullam involvit (§. 714.). Et quamvis hypocritæ, quorum actiones ſinceræ non ſunt, etiam dare ſoleant eleemoſynam, ut collaudentur ab aliis; non tamen ideo actiones ipſorum vocantur ſimulatæ, ſed quia videri volunt ſe hoc facere, ut voluntati Numinis obſequium præſtent. Verum adeo motivum diſſimulant, dum pietatem ſimulant. Qui vero ultro fatetur, ſe largiorem aliis dare eleemoſynam, ut laudetur, eum nemo dicet hypocritam, niſi quatenus ſupponit, eum pietatis laudem affectare, quam non meretur. In Moralibus multo acumine opus eſt, ut, quæ cum eadem videantur, diverſa tamen ſunt, rite a ſe invicem diſcernantur.

§. 734.

Quales ſint actiones conſuetæ. *Actiones conſuetæ ſunt ſinceræ.* Etenim actio conſueta determinatur per motiva ordinaria (§. 731.). Quamobrem cum ſincera ſit actio, ſi per motiva ordinaria determinatur (§. 733.); actio conſueta ſincera eſt.

Non eſt quod excipias, dari etiam actiones conſuetas, quæ ſunt in ſimulatarum numero, adeoque conſuetas omnes non eſſe ſimulatas. Ex. gr. Dantur Profeſſores, qui lucri cupidine ducti erga ſtudioſos bene nummatos exiſtimationem ſingularem conſtanter ſimulant. Actiones, quibus eam prodere ſatagunt, ſimulatæ ſunt; hoc tamen non obſtante conſuetæ. Enimvero etſi eatenus actiones ſint ſimulatæ, quatenus agens videri vult eos magni facere, quos revera non facit; quatenus tamen hoc facit ſemper, ſpe lucri, conſuetudini ſimulandi admiſcetur actio ſincera, nimirum quod inhiet nummis eorum, quorum benevolentiam blanditiis & aſſentationibus captare vult. Quod igitur ſincerum eſt in actione ſimulata diſtinguendum ab eo, quod ſimulatur. Inde etiam eſt, quod inepti adulatores ſimulationem ipſimet prodant, ubi actiones externas ſinceras ſimulatis jungunt, veluti,

cum

Digitized by Google

cum Profeſſor juvenibus, quibus aſſentatur, non modo commendat prælectiones ſuas, verum etiam rogat, ut collegio nomen ſuum dent. Actio ſincera interna, quæ ſimulatione tegitur, hanc facit conſtantem, & actionem ſimulatam conſuetam reddit.

§. 735.

Motiva generalia ſupponunt notionem boni & mali generalem, ſpecialia ſpecialem, generaliſſima generaliſſimam. Etenim motiva ſunt repræſentatio boni & mali (§. *890. Pſych. empir.*), adeoque in caſu dato in eo conſiſtunt, quod id, quod appetis, tibi repræſentes tanquam bonum, quod averſaris tanquam malum. Supponitur adeo notio quædam, vi cujus judicas, id quod appetis eſſe bonum, aut id quod averſaris eſſe malum (§. *354 Pſych. empir.*). Quamobrem cum in motivis generalibus actio ſpectetur tanquam ſub certo genere, in ſpecialibus tanquam ſub certa ſpecie contenta (§. 727.); motiva generalia ſupponunt notionem boni & mali generalem, ſpecialia ſpecialem. Et quia motiva generaliſſima a nullo alio motivo pendent, ſeu in nullum aliud reſolvuntur (§. 728.); eadem quoque notionem boni & mali generaliſſimam ſupponunt, quæ in aliam ſcilicet magis generalem minime reſolvitur. *Qualia ſint motiva omnia.*

Motiva ſibi invicem ſubordinantur per modum generum & ſpecierum: ſunt enim entia moralia, quæ non minus ac cetera in ſua genera ſuasque ſpecies diſtribuuntur. Quamobrem qui theoriam entis univerſalis ex Philoſophia prima perſpectam habet; eam facile ad hæc entia in ſuas claſſes referenda transferet. Notionem boni generaliſſimam dedimus in Pſychologia empirica. Nimirum bonum eſt, quod hominem ſtatumque ejusdem perficit (§. *554. Pſych. empir.*), conſequenter voluptatem (§. *511. Pſych. empir.*), eamque veram creat (§. *514. Pſych. empir.*). Unde communis hominum notio eſt, ex qua bonum æſtimant, nempe quod volupta-

luptatem creat: ſic ita, quod erroneam diximus (§. 561. *Pſych. empir.*), quatenus voluptas vera cum apparente confunditur (§. 560. *Pſych. empir.*), ut verum bonum ab apparente non diſtinguatur (§. 559. *Pſych. empir.*). Unde omnium generaliſſima notio boni eſt, quod voluptatem creet: quam qui rationem audiunt rectificant, quod voluptatem veram ab apparente diſcernunt, unde inciditur in eam, quam dedimus in Pſychologia empirica. Enimvero trahit ſua quemque voluptas, neque omnibus eadem voluptatem creant, nec creant in eodem gradu. Unde diverſæ naſcuntur notiones boni generales, veluti quod unus bonum judicet, quod voluptates ſenſuales parit, ſeu delectat, alius quod honorem parit, alius quod nos reddit locupletiores: quarum notionum generalium applicatione diverſæ admodum naſcuntur notiones ſpeciales pro diverſis actionum generibus, & diverſo modo, quo easdem ſibi repræſentant homines. Hic ubi nobis ſermo eſt de eo, quod fit, non de eo, quod fieri debet, nulla habetur ratio moralitatis, conſequenter non quæritur, num hæc vel iſta boni notio ſit vera, an erronea, ſed tantummodo an dentur homines, qui ex ea de eo, quod bonum eſt, ſtatuunt, & per motiva inde elicita determinant appetitum, conſequenter actionem externam ab eadem pendentem. Quæ de notione boni diximus, ea mutatis mutandis etiam ad notionem mali applicantur. Nimirum ſi ea evolvas, quæ de notione mali in Pſychologia empirica traduntur, eodem modo patebit, omnium generaliſſimam notionem mali eſſe, quod tædium ſive moleſtiam creet: quam qui rationem audiunt rectificant, dum tædium verum ab apparente diſcernunt, unde inciditur in notionem mali, quam dedimus (§. 565. *Pſych. empir.*). Enimvero cum tædium ſit voluptati contrarium, quemadmodum non omnibus eadem voluptatem creant, nec creant in eodem gradu, ita nec omnibus eadem tædium pariunt, nec in eodem gradu. Hinc diverſæ naſcuntur mali notiones generales, veluti quod unus malum judicet, quod ſenſibus ingratum, alius quod honori, alius quod lucro adverſum: quarum applicatione diverſæ admodum naſcuntur notiones mali

Digitized by Google

mali ſpeciales pro diverſitate actionum, & diverſo eaſdem conſiderandi modo. Ceterum nec hic quæſtio eſt, num notiones ſint veræ, an errori obnoxiæ; ſed tantummodo quæritur, num ex iis de eo, quod malum eſt, ſtatuant homines. Hanc facti cognitionem potiſſimum intendimus, ubi de conjectandis hominum moribus ſermo eſt (§. 705.), & eadem ejus utilitas, quæ inde expectanda, quod mores ſive proprios, ſive alienos probe cognitos atque perſpectos habemus. Quæ hic dicta ſunt probe perpendi velim ab omnibus, qui præſentem doctrinam intimius inſpicere, ejusque, quem habere poteſt, uſum facere voluerint.

§. 736.

Motiva ſingularia quomodo ſe habeant ad univerſalia.

Motiva ſingularia contraria motivis ſpecialibus ordinariis, ſed non generalibus, conſequenter *multo minus motivo generaliſſimo.* Etenim motiva ſingularia deſumuntur a circumſtantiis ſingularibus in dato caſu obviis (§. 727.), per quæ ſcilicet actio aliter determinatur, quam datermi-nari ſolet, quatenus ut actio hujus ſpeciei conſideratur. Quoniam itaque in motivis ſpecialibus, iisque ordinariis, actio conſideratur tanquam ſub hac ſpecie contenta (§. 726. 727), iisque convenienter actio determinari ſolet (§. 932. *Pſych. empir.*); quod motiva ſingularia contraria eſſe debeant motivis ſpecialibus ordinariis patet. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam anima ſeſe determinat ad volendum vel nolendum motivis ſuis convenienter (§. 932. *Pſych. empir.*), præter generalia autem & generaliſſima motiva non dantur alia a ſingularibus & ſpecialibus diverſa, non minus autem ſingularia, quam ſpecialia applicatione generalium boni notionum, quas motiva generalia ſupponunt (§. 735.), naſcuntur (§. 355. 356. *Pſych. empir.*), quemadmodum generalia applicatione notionis boni generaliſſimæ (§. *cit.*), quam ſupponunt (§. 735.); ideo evidens motiva ſingularia, etſi contraria ſint ſpecialibus ordina-

motivo ſingulari dependet (§. 727.). Quoniam itaque motivum ſingulare contrarium eſt motivo ſpeciali ordinario, ſed non generali, conſequenter multo minus generaliſſimo (§. 736.); actio ſimulata motivis ſpecialibus ordinariis contraria, ſed generalibus convenit, adeoque multo magis generaliſſimo.

Nimirum qui ſimulat, bonum judicare debet ſimulare, quod non eſt. Requiritur itaque aliqua notio, vi cujus in dato caſu ſimulationem ſibi repræſentat tanquam bonam. Quamobrem ſi cui eſt generalis quædam notio boni, quin eam in dato caſu applicet dubitandum non eſt. Generalia ſunt motiva repræſentationes boni vi notionis iſtiusmodi generalis (§. 735.). Simulatio igitur motivis generalibus convenit. Non tamen convenire poteſt motivo ſpeciali ordinario, per quod ponitur contrarium ejus, quod ſimulatur. Exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 736.), res manifeſta eſt.

§. 738.

Actio indeliberata qualis ſit.

Actiones indeliberatæ ſunt conſuetæ, & conſuetæ ſunt indeliberatæ. Etenim ſi indeliberata eſt actio, agens agit, vel non agit, non disquirens, utrum ſit agendum, an non agendum (§. *603. Part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen motivum aliquod adeſſe debet, cur ad agendum vel non agendum ſeſe determinat (§. *889. 932. Pſych. empir.*); cum motivum conſiſtat in repræſentatione actionis tanquam bonæ vel malæ (§. *890. Pſych. empir.*), fieri aliter haud quaquam poteſt, quam ut determinatio fiat vi motivorum præteritorum, quatenus agens confuſe perceptorum memoriam habet. Enimvero conſueta eſt actio, quæ determinatur vi motivorum præteritorum, quatenus agens perceptorum memoriam habet (§. *923. Pſych. empir.*). Actio igitur indeliberata conſueta eſt. *Quod erat unum.*

Ex

Ex adverſo ſi conſueta fuerit actio, ea determinatur vi motivorum præteritorum, quatenus agens confuſe perceptorum memoriam habet (§. 923. *Pſych. empir.*), conſequenter agens non demum inquirit, utrum ſit agendum, an non agendum, adeoque nulla prævia conſultatione agit (§. 498. *Part. I. Theol. nat.*). Quoniam itaque indeliberata actio eſt, quæ nulla prævia conſultatione editur (§. 603. *Part. I. Phil. pract. univ.*); actio conſueta indeliberata eſt. *Quod erat ſecundum.*

Actiones duplici modo conſiderari poſſunt, vel quatenus continentur ſub aliqua ſpecie, vel quatenus ſubſtant cuidam generi. Actiones igitur ſingulares, quæ actu eduntur, dum conſuetæ dicuntur, vel ad ſpeciem quandam, vel ad genus ſive propinquius, ſive remotius actionum conſuetarum referuntur. Quamobrem etſi quis prima vice committat actionem ſpecie talem, hoc tamen non obſtat, quo minus ſit in numero conſuetarum, ſi ſecundum genus conſideretur. Ita ſi quis prætericns videat hypocauſto aperto nummum aureum in menſa collocatum, cumque nemo ibidem præſens ſit, eundem ſubito aufert, actionem indeliberatam diximus (*not.* §. 603. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Ponamus furtum hoc eſſe primum, quod ab agente committitur; actio qua ſpeciem conſueta dici nequit. Ponamus autem porro ipſum in acquirendo ſequi ſolere cupiditatem habendi, juris nullam rationem habere; eadem actio conſueta dicenda, quatenus continetur ſub earum genere, quibus aliquid acquiritur. Ponamus eum eſſe pronum ad actiones ſceleratas, ad quas affectuum impetu abripitur committendas, modo id fieri poſſit; furtum hoc denuo etſi prima vice commiſſum actionibus conſuetis annumerandum, quatenus continetur in numero ſceleratarum clandeſtinarum, quas affectus imperant. Ne igitur judicium præcipites, quod de actionibus ferendum, & ne in iis, quæ hinc concluduntur hallucineris; probe perpendendum venit in caſu quolibet, quo reſpectu actio tanquam conſueta ſpectari poſſit ac debeat.

Digitized by Google

§. 739.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam *actio* conſueta ſincera eſt (§. 734.), indeliberata autem conſueta (§. 738.); etiam *indeliberata ſincera eſt*, conſequenter cum ſincera conſentiat cum interna (§. 714.), *cum interna conſentit.*

Nemo dubitat de ſinceritate actionis, quam exempli loco adduximus (*not.* §. 738.), modo noverit, quænam actio hic ſincera dicatur, ne ſignificatum reſtringat (*not.* §. 715.).

§. 740.

Adhuc ulterius expenditur.

Similiter quia actio conſueta per motiva ordinaria determinatur (§. 731.), ſive generalia, ſive ſpecialia (§. 732.); indeliberata autem actio conſueta eſt (§. 738.); *actio indeliberata per motiva ordinaria, ſive generalia, ſive ſpecialia determinatur.*

Patet hoc ex eodem exemplo, quod paulo ante (*not.* §. 738.) adduximus. Lucrum enim ſive juſtum, ſive injuſtum eſt motivum ordinarium (§ 726.), etſi in dato caſu generale (§. 727.). Similiter perſuaſio occultationis actionis committendæ, quam affectus imperant, motivum generale ordinarium eſt. Non inanem operam ſumit, qui in motiva actionum indeliberatarum ſolerter inquirit, & ex notionibus motivi ordinarii, generalis ac ſpecialis de iisdem ſtatuit.

§. 741.

Colliſio motivorum.

Motiva colliduntur, ſi unum alteri fuerit contrarium quoad eandem actionem, ſcilicet ubi unum facit ad determinandum actum appetitus, alterum vero ad determinandum actum averſationis. Unde *Colliſio motivorum* eſt eorundem contrarietas quoad eandem actionem.

Ponamus motivum unum conſiſtere in voluptatis percipiendæ repræſentatione, adeoque facere ad determinandum

Digitized by Google

dum actum appetitus; motivum vero alterum conſiſtere in repræſentatione damni famæ inferendi, adeoque tendere ad determinandum actum averſionis. Motiva hic inter ſe colliduntur. Similiter conſiſtat motivum unum in repræſentatione miſeriæ egeni, quod tendit ad determinandum actum appetitus dandæ eleemoſynæ: alterum vero in repræſentatione propriæ indigentiæ, quod facit ad determinandum actum averſionis, ne ſcilicet detur eleemoſyna. Motiva denuo inter ſe colliduntur. Motivorum colliſio admodum frequens eſt, etſi vulgo ad eandem animum non advertamus diſtinctam eorum, quæ in anima contingunt, cognitionem parum curantes, vel etiam acumne deſtituti, quod ad ea diſcernenda requiritur. Quemadmodum vero ubivis, quando cum motivis nobis eſt negotium, motiva completa ab incompletis probe diſtinguenda veniunt (§. *919. Pſych. empir.*); ita quoque in præſenti negotio, & maxime in colliſione motivorum probe diſpiciendum, utrum motiva ſint completa, an incompleta. Neque enim utilitate caret noſſe, utrum motiva qua completa, an qua incompleta inter ſe collidantur. Sed de motivorum colliſione alio tempore diſertius dicemus: neque enim nunc ad particularia deſcendimus.

§. 742.

Colliſio motivorum, quando inſuete agimus.

Quando actionem conſuetæ contrariam edimus, ſeu *a conſuetudine agendi recedimus, motiva ordinaria & extraordinaria colliduntur, & quando in colliſione motivorum ordinariorum ac extraordinariorum extraordinaria prævalent, actionem conſuetæ contrariam edimus*, ſeu *a conſuetudine agendi recedimus.*

Quoniam actiones conſuetæ per motiva ordinaria determinantur (§. 731.), quando eidem contrariam edimus, motivum quoque contrarium ordinario adeſſe debet, adeoque extraordinarium (§. 726.). Quoniam motivo extraordinario cedimus, dum ordinarium movet appetitum vel averſationem (§. *923. Pſych. empir.*), quoad eandem actionem motivum unum, nempe extraordinarium,

contrariatur alteri, nimirum ordinario, ita ut, dum ordinarium ſtimulat ad agendum, extraordinarium ad non agendum trahat, & contra dum ordinarium ad non agendum trahit, extraordinarium ad agendum ſtimulat. Quamobrem cum motiva inter ſe collidantur, ſi unum alteri fuerit contrarium quoad eandem actionem, ita ut alterum tendat ad determinandum actum averſationis, dum unum tendit ad determinandum actum appetitus (§. 741.); motiva ordinaria & extraordinaria colliduntur, quando actionem conſuetæ contrariam edimus, adeoque a conſuetudine agendi recedimus (§. 729.). *Quod erat primum.*

Quodſi motiva ordinaria colliduntur, dum ordinaria ad agendum ſtimulant, extraordinaria ab agendo retrahunt, & dum ordinaria ab agendo retrahunt, extraordinaria ad agendum ſtimulant (§. 741.). Quamobrem cum extraordinaria prævaleant (*per hypotheſin*); quod alias agere adſuevimus, non agimus, & ex adverſo actionem committimus, quam alias omittere ſolemus, ſeu actionem conſuetam omittimus, inſuetam edimus (§. 731.), conſequenter a conſuetudine agendi recedimus (§. 729.), actionem conſuetæ contrariam edimus (§. 730.). *Quod erat alterum.*

Propoſitionem præſentem illuſtrat exemplum, quo jam antea uſi ſumus, nimirum ſi quis a potu largiori abſtinet in convivio ob præſentiam alterius, qui alias vino ſeſe ingurgitare ſolet. Etenim hic editur actio conſuetæ contraria. Patet autem ex iis, quæ ſupra (*not.* §. 741.) dicta ſunt, motiva inter ſe collidi, & in hac colliſione extraordinarium, quod eſt pro abſtinentia, prævalere. Idem experiri licet in omni caſu alio, ubi a conſuetudine agendi invitantibus circumſtantiis ſingularibus recedimus. Non autem jam inquirimus, quodnam in colliſione motivorum prævaleat motivum, rationes enim dantur complures, quæ per antea demonſtrata nondum patent.

§. 743.

§. 743.

In ſimulatione actionem ſinceram contrariis occultare intendimus. Etenim in ſimulatione actio externa contraria eſt internæ (§. 716.), atque ſinceræ externæ (§. 723.). Quamobrem cum actionem contrariam non edamus, niſi quod nolimus de interna atque ſincera externa alteri quidpiam conſtare, ſecus enim nulla foret ratio, cur eandem ederemus; actionem ſinceram in ſimulatione contraria occultare intendimus (§. 616. *Part. I. Phil. pract. univ.*). *Intentio ſimulantis.*

Ita qui in convivio ſimulat temperantiam ob præſentiam alterius, cum intemperantiæ maxime ſit deditus; modice bibendo non minus intentionem vino ſeſe ingurgitandi, quam conſuetam alias actionem occultare intendit. Similiter, qui verbis & factis ſe lætum eſſe teſtatur, ubi moerore angitur animus; moerorem actionibus eidem contrariis occultare intendit.

§. 744.

Quoniam occultatio actionis tam internæ, quam externæ, tam poſitivæ, quam privativæ quomodocunque facta diſſimulatio eſt (§. 717.); *ſimulationi omni ineſt diſſimulatio actionis ſinceræ* (§. 743.). *Quatenus diſſimulatio inſit ſimulationi.*

Ita qui temperantiam ſimulat, cum ſit intemperans, intemperantiam diſſimulat. Et qui lætum præ ſe fert animum, cum ſit moeſtus; moerorem diſſimulat. Nimirum dum ſimulamus, quod non eſt; diſſimulamus quod eſt. Diſſimulatio tamen latius patet ſimulatione: cum enim ſimulans actionem externam contrariam internæ (§. 716.) atque externæ ſinceræ edat (§. 723.), ut eadem occultetur interna vel etiam ſincera externa; ſimulatio ſemper requirit actionem externam contrariam ei, quæ extra caſum ſimulationis locum haberet. Aſt diſſimulatio vel fit actione privativa, veluti, cum qui intentionem diſſimulat, nec veram dicit, quæ ſibi eſt, nec falſam; vel poſitiva, quæ alias ceſſaret, etſi contra-

ria

ria non ſit ſinceræ, veluti ſi quis noctu comneat ad amicam, ut adulterium committat: nulla enim hic actio adulterio contraria adeſt, quæ ad hoc occultandum fingitur, veluti ſi quis verbis & factis ſimulat pudicitiam.

§. 745.

Diſſimulationum ſpecies *Diſſimulatio præcedens* dicitur, qua actio committenda occultatur: *conſiſtens*, qua ea, quæ nunc actu committitur, occultatur: *conſequens*, qua actio jam commiſſa occultatur.

Nimirum actiones, quas ne reſciſcat alter, triplices ſunt, vel præteritæ, vel præſentes, vel futuræ. Quamobrem cum diſſimulatio ſit actionis occultatio (§. 717.); eadem quoque vel eſt actionis, quam committere intendimus, vel ejus, quam nunc actu committimus, vel alterius cujusdam, quam jam commiſimus. Illa actionem præcedit, ea eandem comitatur, hæc vero ſequitur. Patet itaque diſſimulationem recte dividi in tres ſpecies, nec harum inconvenientem eſſe denominationem. Exempla obvia ſunt, modo animum ad ea advertere velimus: neque adeo opus eſt, ut iisdem recenſendis immoremur.

§. 746.

Simulationis ſpecies. Quoniam in ſimulatione actionem ſinceram contraria occultare intendimus (§. 743.), ita ut eidem inſit diſſimulatio (§. 744.); ſimulatio etiam eodem modo dividitur, quo diſſimulatio. Nimirum *Simulatio præcedens* eſt, quæ fit actionis committendæ gratia; *Conſiſtens*, quæ comitatur præſentem, ſeu eam, quæ actu committitur; *Conſequens* denique, quæ fit actionis jam commiſſæ cauſa.

Probe hic notandum eſt ad actiones ſimulatas referri quoque vultum, geſtum, verba atque vocem; quippe quæ ſingula actionibus liberis annumerantur, quatenus a libertate animæ ejusve nutu dependent. Ceterum non minus in diſſimula-

Digitized by Google

mulatione, quam ſimulatione non modo actionum poſitivarum; verum etiam privativarum habenda ratio eſt. Unde quæ de occultatione actionis ſinceræ externæ per contrariam in ſimulatione demonſtrata ſunt (§. 743.), ea de privativis quoque actionibus intelligenda, dum ſcilicet committitur ob motivum ſingulare contrarium actio, quæ alias per motivum ſpeciale ordinarium non poneretur, ſed potius omitteretur, veluti ſi quis ululat cum lupis periculi evitandi gratia, aut lucri cujusdam cupidine, etſi alias ab ululatu iſto abhorreat.

§. 747.

Actiones conſuetæ moribus ſunt conformes. Actiones enim conſuetæ determinantur per motiva, per quæ alias in eodem caſu ſeu actionem iſtius generis vel ſpeciei conſtanter determinavit agens, niſi ratio quædam ſingularis eam aliter determinari ſuaſerit (§. 729.), adeoque conformes ſunt modo conſtanti ac perpetuo determinandi actionem dati generis vel ſpeciei. Quamobrem cum mores in modo conſtante ac perpetuo determinandi actionem ſive poſitivam, ſive privativam dati generis vel datæ ſpeciei conſiſtant (§. 687.); actiones conſuetæ moribus conformes ſunt. *Actionum conſuetarum cum moribus convenientia.*

Patebit deinceps mores colligi ex actionibus externis. Ne igitur in iis conjectandis a vero aberres, neceſſe eſt ut conſtet, quænam actiones ſint moribus conformes, quænam ab iisdem recedant.

§. 748.

Actiones inſuetæ moribus contrariæ ſunt. Etenim actiones inſuetæ non determinantur per motiva, per quæ alias ejus generis vel ſpeciei actio ab agente determinari ſolet, ſed ſingularis quædam ratio adeſt, cur agens ſic potius eandem determinet, quam conſueto alias modo (§. 730.), adeoque modo conſtanti ac perpetuo determinandi actiones iſtius generis vel ſpeciei contradicunt (§. 50. *Ontol.*). *Quænam actiones moribus contradicant.*

Quoniam itaque mores in modo conſtante ac perpetuo determinandi actionem ſive poſitivam, ſive privativ m dati generis vel datæ ſpeciei conſiſtunt (§. 687.); acti nes inſuetæ moribus contradicunt, ſeu contrariæ ſunt.

Qui conſueto modo agit, actiones buius generis vel ſpeciei omnes hoc modo determinandas eſſe judicat, ſit ita, quod in conſuetudine agendi tacitum ſit judicium, in perceptionibus confuſis involutum. Qui inſueto modo agit, non omnes actiones hujus generis vel ſpeciei hoc modo determinandas eſſe judicat, alias enim easdem non aliter in dato caſu determinaret. Manifeſta igitur eſt inter actiones inſuetas atque mores contradictio (§. 30. *Ontol.*).

§. 749.

Relatio actionum conſuetarum & inſuetarum ad appetitum.

Actiones conſuetæ conveniunt generali determinationi appetitus ad actiones certi generis, vel certæ ſpeciei committendas, vel averſationis ad actiones certi generis vel ſpeciei certæ omittendas; inſuetæ eidem contrariæ ſunt. Actiones enim conſuetæ moribus conformes ſunt (§. 747.); inſuetæ autem iisdem contrariæ (§. 748.). Enimvero ſinguli mores animi ſupponunt generalem quandam determinationem appetitus ad actiones certi generis, vel certæ ſpeciei committendas, vel averſationis ad actiones certi generis, vel certæ ſpeciei omittendas (§. 697.). Actiones igitur conſuetæ generali determinationi appetitus ad actiones certi generis vel certæ ſpeciei committendas, aut averſationis ad actiones certi generis vel ſpeciei certæ omittendas conformes ſunt, ſeu conveniunt; inſuetæ eidem contrariæ ſunt.

Non opus eſt, ut propoſitionem præſentem exemplis illuſtremus; quæ enim in anterioribus dedimus (*not.* §. 697.) huc trahenda ſunt. In eius autem applicatione uſui ſunt, quæ de moti-

motivorum ſubordinatione (*not.* §. *735.*), & contrarietate atque convenientia annotavimus in anterioribus (*not.* §. *736.*).

§. 750.

Actiones indeliberatæ moribus conveniunt. Actiones enim indeliberatæ ſunt conſuetæ (§. 738.). Enimvero actiones conſuetæ moribus conveniunt (§. 747.). Ergo etiam indeliberatæ moribus conveniunt. *Actiones indeliberatæ quomodo ſeſe habeant ad mores.*

De actionum indeliberatarum convenientia cum moribus nemo eſt qui dubitat. Experientia etiam eandem confirmat. Videmus enim quæ indeliberato animo fiunt ab agente mutari, ubi animum ſubit, quod conſultius fuerit intentionem ſinceram occultari.

§. 751.

Actiones indeliberatæ conveniunt determinationi generali appetitus ad actiones certi generis vel certæ ſpeciei committendas, aut averſationis ad actiones certi generis vel ſpeciei certæ omittendas. Etenim actiones indeliberatæ conſuetæ ſunt (§. 738.). Quamobrem cum conſuetæ conveniant determinationi generali appetitus ad actiones certi generis vel ſpeciei committendas, aut averſationis ad actiones certi generis vel ſpeciei omittendas (§. 749.); quin eidem quoque conveniant indeliberatæ dubitandum non eſt. *Quomodo ſeſe habeant ad appetitum.*

§. 752.

Affectus produnt vultus, geſtus, vox & ſermo. Etenim a poſteriori conſtat, quemadmodum quoque jam alias notavimus (§. *611.* *Pſych. empir.*), quando anima affectibus commovetur, mutari vultum, extraordinarios adeſſe geſtus, mutationem quoque ſubire vocem, &, qui ex vocabulis conſtat, ſermonem interiora animi exprimere. Quo- *Quanam affectus prodant.*

Digitized by Google

niam igitur hæc ſingula extraordinario modo ſeſe habent, affectum quoque intus latentem produnt.

Facile adeo obſervamus, quod quis affectu quodam agitetur, modo ad vultum, geſtus, vocem atque ſermonem animum advertamus. Neceſſe tamen eſt, ut ad omnia ſimul attendatur animus, ne a ſimulante affectum decipiaris. Niſi ſimuletur affectus, verba, vox, geſtus atque vultus inter ſe conſentiunt, nec ulla locum habet contrarietas (§.715.). Atque adeo ſeſe prodit affectus, ſi in ſingulis nihil obſervetur, quod eidem ſit contrarium.

§. 753.

An ſpeciem affectus prodant externa. *Vultus, geſtus, vox & ſermo variant pro varietate affectuum, non tamen eodem prorſus modo in diverſis ſubjectis.* Patet hoc ipſum denuo a poſteriori. Alius enim eſt vultus, alius geſtus, alia vox, alius ſermo, ſi quis fuerit, triſti, quam ſi hilari fuerit animo. Et idem eodem modo deprehendimus in affectibus aliis. Nec minus liquet, vultum, geſtum, vocem, ſermonem non prorſus eundem eſſe in diverſis ſubjectis, etſi affectus fuerit idem: cujus rei exempla jam dedimus alias (§. 611. *Pſych. empir.*).

§. 754.

Unde colligatur affectus latens cum in genere, tum in ſpecie. Quoniam vultus, geſtus, vox atque ſermo alio modo ſeſe habet, ubi animus affectu agitatur, quam ubi ab eodem immunis eſt (§.752.), & pro varietate affectuum vultus, geſtus, vox atque ſermo variant (§. 753.); *ex vultu, geſtu, voce atque ſermone non modo colligitur in genere, quod animus affectu perturbetur, ſed ipſa etiam ſpecies affectus dignoſcitur.*

Si ſpeciem affectus ex vultu, geſtu, voce atque ſermone certo dignoſcere velis, ſupponitur theoria mutationum vultus, geſtuum, vocis atque ſermonis in qualibet affectuum ſpecie. Etſi enim ſingula in eodem affectu non ſint prorſus eadem, inſunt tamen, quemadmodum jam alias monuimus

Digitized by Google

mus (§. 611. *Pſych. empir.*), principia generalia, quæ ad ſpeciem affectus in quolibet caſu diſcernendum ſufficiunt. Immo quatenus diverſitas in eodem affectu obtinet pro diverſis ſubjectis, non minus dantur principia generalia, quatenus a moribus pendet, tam naturalibus, quam liberis, qui ad cauſas generales revocari poſſunt. Iſtiusmodi theoria hactenus in deſideratis eſt. Equidem *Claramontius* lib. 10. de conjectandis cujusque moribus ſigna affectuum tradere voluit: enimvero ut taceamus paucorum admodum affectuum ſigna recenſeri, cum, multo plures eſſe conſtet ex Pſychologiæ empiricæ partis ſecundæ, ſectionis ſecundæ, capite tertio; theoria iſta nondum adeo exaſciata eſt, qualem hic requirimus. Etſi autem noſtrum jam non ſit theoriam iſtam condere, cum in Philoſophia practica univerſali non tradantur, niſi generalia principia, immo nec tam facile ſit defectum ejus ſupplere; non e re tamen eſſe judicamus, ſi ad eam condendam proficua quædam monita adjiciamus. Conſtat veritatem omnem duplici modo inveſtigari, nimirum vel a priori, vel a poſteriori, & ubi a poſteriori in eandem inquirimus methodum, quæ a priori procedit, ſimul eſſe adhibendam. In Pſychologia empirica dedimus affectuum definitiones tam nominales, quam reales. Quamobrem conſultum eſt, ut ex iis deducantur principia generalia mutationis vultus, geſtus, vocis atque ſermonis, immo etiam factorum, quæ ab iis proficiſci poſſunt. Hiſce enim principiis una cum definitionibus, præſertim realibus, uti licet, ubi a poſteriori in ſingulorum affectuum ſigna inquirimus, & quæ obſervamus, ad propoſitiones generales determinatas reducere ſtudemus. Deinde e re maxime erit, ut maximo ſtudio obſervemus, qualis ſit vultus, geſtus, vox, ſermo, immo qualia ſint facta indeliberata in qualibet affectuum ſpecie, atque obſervationes ſolerter conſingnemus. Obſervationes plures de eadem affectuum ſpecie inter ſe conferendæ, ut appareat, quænam communia inſint, atque adeo notiones generales inde abſtrahi poſſint. Vi autem principiorum, de quibus modo diximus, inquirendum porro in rationes eorum, quæ hoc

Digitized by Google

modo innotuerunt, ut ad notiones rite determinatas revocentur, earumque veritas non minus a priori, quam a poſteriori demonſtretur. Monita hæc generalia non modo directorii loco eſſe poſſunt ei, qui in theoria deſiderata utiliter verſari voluerit; verum etiam uſum habent in æſtimandis viribus ad hunc laborem requiſitis, ne quis aggrediatur opus, cui minime ſufficiunt. Quamdiu vero theoria iſta deſideratur, ſequenti modo procedendum.

§. 755.

Quomodo ſpecies affectus detegatur.

Si quem affectu perturbari animadvertimus, & ſummo ſtudio ex circumſtantiis præſentibus colligimus, quare is fuerit excitatus; applicatione definitionis realis ſpecies affectus detegitur. Etenim ſi ex circumſtantiis præſentibus, dum alterum affectu perturbari animadvertimus, colligimus, quare is fuerit excitatus; nobis conſtat, quanam de re affectus excitetur, & quomodo eandem ſibi repræſentet. Quamobrem cum ex definitionibus realibus affectuum pateat, qua de cauſa affectus quilibet excitetur, & quomodo id, quod eam ſuſcitat, repræſentetur; vi definitionis realis utique innoteſcit, quænam ſit ſpecies affectus, ſeu quonam præciſe affectu animus alterius agitetur.

Ponamus e. gr. Poëtæ narrari elogia, quibus ob carmen, quod fecit, communi applauſu exceptum ornatur, & nos animadvertere, quod jucundo quodam affectu perfundatur animus ipſius. Ex circumſtantiis præſentibus colligitur, quod ideo oriatur, quod id, quod fecit, ab aliis bonum exiſtimetur. Quoniam itaque affectus iſte gloria eſt, qui oritur, ſi ea, quæ fecimus, ab aliis bona exiſtimari opinamur (§. 769. *Pſych. empir.*); ideo manifeſtum, affectum Poëtæ eſſe gloriam. Similiter, ſi alteri repræſentamus periculum, in quod ſe facto ſuo conjecit, & animum ejus inquietum reddi obſervamus; ex circumſtantiis præſentibus liquet, animum eius perturbari ob ea, quæ fecit, quatenus eadem tanquam malefacta ſibi repræſentat. Quamobrem cum affectus iſte

per-

pœnitentia ſit, qui oritur, ſi ea, quæ fecimus, nobis repræſentamus tanquam malefacta (§. 759. *Pſych. empir.*); quin affectus, de quo quæritur, quinam ſit, pœnitentia ſit nemo dubitat. Patet itaque, quomodo definitiones reales affectuum inſerviant ſpeciei affectus detegendæ. Abſit autem, ut exiſtimes, theoriam, de qua paulo ante diximus (*not.* §. 754.), eſſe ſuperfluam, nosque eadem tuto carere poſſe, cum per definitiones reales affectuum inveſtigari poſſit, quod ope illius theoriæ detegendum. Etenim non ſemper circumſtantiæ nobis perſpectæ ſunt, ex quibus cauſa affectus, quam definitio realis cognitam præſupponit, certo colligitur. Quodſi ergo ex vultu, geſtu, voce atque ſermone ſpeciem affectus conjectare licet, tum opus non eſt, ut circumſtantiæ omnes nobis ſint perſpectæ. Immo ubi absque hiſce ſpecies affectus nobis innotuerit, ubi animum ad definitionem realem advertimus, ea nobis anſam dabit in haſce inquirendi; id quod haud raro uſui eſſe ſolet. Et quemadmodum ex circumſtantiis apertis ſpeciem affectus colligere licet; ita viciſſim ex affectus ſpecie circumſtantias latentes colligere datur.

§. 756.

Si cum altero, quem affectu perturbari videmus, verba miſcentes eo adducimus, ut apertis verbis profiteatur, quanam de cauſa is fuerit excitatus; vi definitionis realis ſpecies affectus denuo dignoſcitur. Etenim tum ex verbis alterius patet, quodnam ſit affectus objectum, & quomodo ſibi idem repræſentet. Quamobrem cum in definitione reali objectum in genere exprimatur, & quomodo idem repræſentetur, ut affectus excitetur; evidens omnino eſt, quod ope definitionis ſpecies affectus detegatur. *Quomodo ex altero ſciſcitemur affectus, quo perturbatur, ſpeciem.*

Exempla, quæ ante dedimus præſentem etiam propoſitionem illuſtrant. Ponamus Poëtam, in quo affectum jucundum obſervamus; nobis narrare, quod carmen ipſius egregiis elogiis fuerit mactatum, nemo non videt, affectum ori-

oriri ea de cauſa, quod factum ſuum ad aliorum opinionem referat, & idem ab aliis bonum exiſtimari judicet, conſequenter ut ante hinc colligitur, gloriam eſſe illum, qui quæritur, affectum. Quodſi quis, ubi de periculo ſermo eſt, in quod quis ſe conjecit, ingemiſcens ait: utinam hoc non feciſſem! nemo non vi definitionis realis pœnitentiam hinc colligit. Si quis affectum, quo perturbatur, nominat; tum opus non eſt, ut demum ex verbis eius colligatur, modo certi ſimus, quod proprio ſuo nomine eum compellaverit. Etenim haud raro contingit, ut omnem affectum moleſtum, aut ſaltem pleroſque triſtitiam vocent, & ex adverſo jucundum omnem, aut ſaltem pleroſque gaudium ſive lætitiam, qui eos ſpecie diſtinguere nondum didicere. Quodſi vero definitiones reales affectuum familiares experiris, ex verbis, quibus exprimitur affectus præſens, aut ad quæ fundenda is alterum compellit, ſpeciem haud difficulter colliges. Inculcat etiam propoſitio præſens uſum definitionum realium, quas de affectibus dedimus, in expiſcandis ex aliis affectus latitantes, quatenus per eas docemur, quænam ex ipſis elicienda ſint verba, ut ſpeciei affectus detegendæ ſufficiant.

§. 757.

Quomodo ex judicio de objecto colligatur ſpecies affectus.

Si de objecto affectus nobis innoteſcit judicium ejus, qui eodem corripitur; vi definitionis realis detegitur ſpecies affectus. Etenim ex judicio nobis innoteſcit, quomodo objectum affectus ſibi repræſentet. Quamobrem cum determinatus modus repræſentandi objectum affectus in qualibet affectuum ſpecie in definitionibus eorundem realibus exprimatur, quemadmodum ſtatim apparet, ubi easdem in Pſychologia empirica evolvimus; quin ex judicio de objecto affectus ejus ſpecies colligatur vi definitionis realis dubitandum non eſt.

Per ſe patet, non opus eſſe, ut tunc demum judicium de objecto affectus nobis innoteſcat, ubi ſuſcitatus; ſed perinde eſſe, ſi idem nobis antea innotuerit. Unde etiam ex eo colli-

Digitized by Google

colligere datur; hoc affectu abſentis animum nunc occupari (§. *605. Pſych. empir.*). Ex. gr. Si novis, Titium maximi facere amicitiam Sempronii, nobisque nunciatur, Sempronium aquis caſu infelici in itinere ſubmerſum animam exhalaſſe; inde colligimus, quod triſtitia afficiatur Titii animus (§. *623. Pſych empir.*). Similiter, ſi quis immodicis laudibus extollit pulchritudinem fœminæ cujusdam; vi definitionis realis amoris hinc colligitur, quod eandem impenſe amet (§. *649. Pſych. empir.*). Unde denuo præſens propoſitio uſum habet in detegendis affectibus latentibus ope definitionum realium, ſi eorum, qui iisdem indulgent, judicia de objecto eorundem expiſcemur.

§. 758.

Signa communia in genere dicuntur, quæ genera rerum, non vero ſpeciem earundem ſignificant, ſeu ex quibus colligitur, ſub quonam genere res quædam, quæ ſignificatur, contineatur. *Signa communia quænam ſint.*

Nec opus eſt, ut uſu receptum ſit, diverſas rerum ſpecies, quibus ſimul idem convenit ſignum, ad certum quoddam genus referri: ſed ſufficit, ut commune quoddam ipſarum genus conſtitui poſſit. Et commune dicitur ſignum, quod hoc ipſum genus indicat. Qui theoriam entis univerſalis, quam in Ontologia tradidimus, perſpectam habet; is abunde intelliget, multa conſtitui poſſe rerum genera, quæ vulgo non attenduntur, propterea quod deſint nomina, quibus compellentur. Immo conſtabit, quod per fictionem quandam etiam conſtituere liceat rerum genera ex iis, quæ determinationibus eſſentialibus ſuperaccedunt.

§. 759.

Hinc in ſpecie *ſigna communia affectuum* appellamus, quæ pluribus affectuum ſpeciebus conveniunt. *Signa affectuum communia.*

Etenim cum id, quod plures affectus indeterminate ſignificat, rationem in ipſis habeat ſignificatus ſui, neceſſe eſt ut in ipſis commune quiddam inſit, vi cuius commune quoddam eorundem genus conſtitui poteſt.

Digitized by Google

§. 760.

Quid ex ſignis affectuum communibus concludatur.

Quoniam ſigna affectuum communia pluribus ſpeciebus conveniunt (§. 759.); *ex ſignis communibus concluditur, quod vel hujus, vel iſtius, vel illius ſint ſpeciei.*

Nimirum ſi tres fuerint affectuum ſpecies, quæ ſignum aliquod commune habent; ex eo non colligitur, niſi quod affectus præſens ſit unius illarum trium ſpecierum, non vero, cujusnam earundem præciſe ſit. Neceſſe igitur eſt, ut ex aliis ſignis, vel ex circumſtantiis ope definitionis nominalis ſpecies tandem determinetur. Uſum habent ſigna communia, ut excitent attentionem ad circumſtantias, ex quibus ſpecies affectus determinate cognoſcitur. Ceterum fieri poteſt, ut, quæ per notiones confuſas pro communibus ſignis habentur, diſcrimen aliquod intrinſecum admittant, vi cujus in propria vertuntur.

§. 761.

Signa propria quænam dicantur.

Signa propria dicuntur, quæ ſpecies rerum ſignificant, ſeu ex quibus colligitur, ſub quanam ſpecie res ſignificata contineatur.

Non ſolum hic intelliguntur ſpecies infimæ, ſed etiam genera inferiora, quæ per modum ſpecierum certo cuidam generi ſubſtant ſuperiori.

§. 762.

Signa affectuum propria quænam dicantur.

Hinc in ſpecie *affectuum ſigna propria* ſunt, quæ nonniſi uni affectuum ſpeciei conveniunt.

Ita ſigna iræ propria ſunt, quæ nonniſi iræ conveniunt: ſigna gloriæ propria ſunt, quæ nonniſi gloriæ conveniunt: ſigna pœnitentiæ propria ſunt, quæ nonniſi pœnitentiæ conveniunt.

§. 763.

Quænam

Quoniam ſigna propria nonniſi uni affectuum ſpeciei

ciei conveniunt, (§. 762.), *ex ſignis propriis ſpecies affectuum colligitur*, conſequenter certum eſt, *poſito hoc ſigno poni hunc affectum.* *inde colligantur.*

Facile apparet, in arte conjectandi hominum mores, immo in univerſa Philoſophia morali, ubi ſignorum quidam uſus eluceſcit, rationem potiſſimum haberi ſignorum propriorum non minus morum, virtutum ac vitiorum, quam affectuum.

§. 764.

Signum ſimplex dicitur, quod in plura a ſe invicem diſtincta reſolvi nequit, ſeu in uno quodam ente obſervabili conſiſtit. *Signum ſimplex quodnam ſit.*

Definitio hæc explicatione indiget, ne perverſe quis eandem interpretetur. Signum ſimplex non ſupponit, niſi ens unum obſervabile, etſi notioni diſtinctæ, per quam explicatur, plures determinationes inſint. Ex. gr. Immutatus vultus, quo ſingulæ faciei partes mobiles in eodem ſitu detinentur, ſignum ſimplex eſt, etſi notio diſtincta, qua ſingularum partium ſitus, qualis eſt, exponitur, & quibus ne minima quidem accidit mutatio, plures determinationes involvat, & qui eundem obſervare voluerit, in plura oculos convertere, & ad plura animum advertere debeat. Vultus enim immutatio unicum quoddam eſt accidens, quod in plura a ſe invicem diſtincta dividi nequit, quemadmodum corpus humanum ens unum eſt, etſi ex partibus pluribus conſtet ſigillatim enumerandis, ubi diſtinctam ejus notionem deſideres. Similiter riſus ſufficienter in dato caſu determinatus ſignum ſimplex eſt, etſi plures ſint determinationes, quibus is ab alio riſu diſtinguitur.

§. 765.

Signum coacervatum dicitur plurium ſimplicium congeries, ex quibus ſimul ſumtis aliquid colligitur. *Signum coacervatum quodnam ſit.*

Ita ſignum coacervatum eſt, ſi ex geſtu, vultu & voce ſimul colligitur affectus ſpecies. Similiter coacervatum eſt ſi-

ſignum, ſi ex pluribus ſignis ſimul ſumtis Medicus colligit morbum, quo ægrotus laborat. Nimirum plura ſigna ſimul ſumpta conſiderantur per modum unius, quia vicem ſigni unius ſubeunt, quod ex pluribus coacervatur.

§. 766.

Quando ſignum coacervatum proprium.

Si plura ſigna communia ſimul ſumta ſpeciei affectus, aut rei cujuscunque alterius colligendæ ſufficiunt; ſignum coacervatum proprium eſt. Etenim plura ſigna communia ſimul ſumta, ex quibus aliquid colligitur, ſignum coacervatum conſtituunt (§. 765.), adeoque inſtar unius conſiderantur, & intuitu ejus, quod inde colligitur, pro uno habentur. Quamobrem cum ſimul ſumta ſpeciei affectus, aut rei cujuscunque alterius colligendæ ſufficiant (*per hypotheſin*), ſignum autem proprium ſit, ex quibus colligitur, ſub quanam ſpecie res ſignificata contineatur (§. 761.); ſi plura ſigna communia ſimul ſumta ſpeciei affectus, aut rei cujuscunque alterius colligendæ ſufficiunt, ſignum coacervatum proprium eſt.

Videmus adeo, ſigna ſimplicia communia non eſſe negligenda, propterea quod ex iis ſigillatim non colligatur, quod colligendum. Sufficit enim ex pluribus ſimul ſumtis colligi, quod colligendum erat. Ubi diſciplinæ methodo demonſtrativa inveſtiuntur, adeoque ſingula ad propoſitiones determinatas revocantur, in hypotheſi ſufficientia ſigna communia coacervantur, quemadmodum in aliis propoſitionibus plura ſumuntur, ut inde ſequatur, quod ſubiecto ſub iſta conditione convenit. Patebit hoc ſuo loco in philoſophia morali, quando demonſtraturi ſumus, undenam virtutes & vitia colligantur: etenim tum non minus ſignis ſimplicibus propriis, quam coacervatis utemur, prout caſus tulerit. Hinc vides ſignorum diviſionem potiſſimum attendendam eſſe ei, qui philoſophiæ moralis præcepta, præſertim eam, quæ de internis dijudicandis traduntur, methodo demonſtrativa in ordinem redigere voluerint, ut ſine notionibus

iſta

Digitized by Google

iſtæ directricium loco. Quamobrem huic diviſioni potiſſimum locus eſt in Philoſophia practica univerſali, ſit ita, quod generaliter exponenda fuerat in Philoſophia prima, ubi de ſignis agitur, ſiquidem prolixioribus eſſe licuiſſet.

§. 767.

Signum diagnoſticum dicitur, quod rei cuidam agnoſcendæ, ac ab aliis diſcernendæ adhibetur. Unde *affectuum ſigna diagnoſtica* ſunt, quæ affectibus agnoſcendis, ac in primis eorundem ſpeciebus diſcernendis adhibentur. *Signum diagnoſticum quid ſit.*

Signorum diagnoſticorum appellatio in ſcholis Medicorum dudum recepta fuit, quibus ea inſerviunt ad morbos internos, qui latent, agnoſcendos & diſcernendos. Diviſiones ſignorum antecedentes in propria & communia, item in ſimplicia & coacervata ad hanc ſignorum ſpeciem applicari poſſunt ac debent. Alia enim ſigna diagnoſtica communia ſunt, alia propria, alia ſunt ſimplicia, alia coacervata: quæ ſignorum diagnoſticorum differentia definitionum modo traditarum applicatione intelligitur. Opponitur ſigno diagnoſtico prognoſticon, quod ad ſtatum futurum ſignificandum adhibetur, ſed de eo cum in genere jam dictum ſit in Ontologia (§. 954.); non opus eſt ut alibi dicta hic repetantur. Signorum diagnoſticorum uſus eſt in conjectandis hominum moribus præſentibus: prognoſticorum in futuris, cum judicium fieri debet, quales rebus ſic ſtantibus tandem futuri ſint mores.

§. 768.

Signa diagnoſtica definitionum vicem ſubeunt. Etenim ſigna diagnoſtica rebus agnoſcendis, ac a ſe invicem diſcernendis adhibentur (§. 767.). Enimvero rebus agnoſcendis, & ab aliis diſtinguendis inſerviunt definitiones (§. 153. *Log.*), per quas ad ſuas ſpecies & genera diſtincte reducuntur (§. 179. *Log.*). Signa igitur diagnoſtica in locum definitionum ſurrogantur, adeoque earundem vicem ſubeunt. *Uſus ſignorum diagnoſticorum.*

Forſan non deerunt, qui exiſtimaturi ſunt, in Philoſophia practica non opus eſſe ſignis diagnoſticis, ſi demonſtrativa methodo tradatur. Etenim hæc exigit, ne utamur terminis niſi accurata definitione explicatis (§. 116. *Diſc. prælim.*). Quodſi ergo accuratas in promptu habemus definitiones; non opus eſt ut in eorum locum ſigna diagnoſtica ſurrogentur. Abhorret idem a praxi Geometarum, veluti *Euclidis*, qui definitionibus figurarum contenti, nulla ſigna earundem diagnoſtica proponunt. Enimvero qui ſic ſentiunt, per præcipitantiam judicant, cum ſumant, quod non eſt: nimirum, quod ſigna præter neceſſitatem in locum definitionum ſurrogentur, ut earum vicem ſubeant, ubi ipſæmet munere ſuo defungi poterant. Neceſſe igitur eſt, ut oſtendamus, quandonam ſignis diagnoſticis ſit locus.

§. 769.

Quando res latitet.

Res latere dicitur, vel *latitare*, ſi nulla clara perceptione menti fuerit obvia, dum præſens eſt, ſeu quam præſentem ſive in nobis, ſive extra nos clare percipere non poſſimus.

Ita ſi quis ulcere pulmonum laboret, morbus latet: neque enim fieri poteſt, ut id clare percipiamus, cum in ſenſus minime incurrat. Similiter affectus, quo perturbatur animus alterius, latitat, quatenus in appetitione vel averſione vehementi conſiſtit (§. 603. *Pſych. empir.*), atque ex confuſa boni vel mali repræſentatione oritur (§. 605. *Pſych. empir.*). Neque enim nos nobis eorum conſcii eſſe poſſumus, conſequenter nec ea percipere poſſumus (§. 25. *Pſych. empir.*), quæ animæ alterius inſunt. Immo cum non cujusvis ſit ea a ſe invicem diſtinguere, quæ perceptioni confuſæ inſunt; multa in perceptione confuſa contenta etiam eum latent, qui affectum, quo agitatur animus, percipit.

§. 770.

Quænam vi defini-

Quæ nos latent, ea vi definitionis ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reduci nequeunt, conſequenter nec beneficio ejus

tionis non agnoſcantur.

ejus agnoſci, & ab aliis diſcerni poſſunt. Etenim ſi vi definitionis nomen rei obviæ vindicare volueris, conſequenter ſi ejusdem beneficio ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducenda (§ 359. *Pſych. empir.*), judicare debes, eidem convenire notas definitionem ingredientes (§. 356. *Pſych. empir.*), adeoque rei intrinſeca, unde agnoſcitur & ab aliis diſcernitur, tibi repræſentare debes (§. 79. *Log.*). Neceſſe igitur eſt, ut eandem clare percipias (§. 31. *Pſych. empir.*). Enimvero quæ nos latent, ea, dum præſentia ſunt, nulla clara perceptione menti obvia ſunt, ſeu a nobis clare minime percipiuntur (§. 769.). Quamobrem nec fieri poteſt, ut vi definitionis ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducantur. *Quod erat unum.*

In definitione enumerantur notæ, quæ ad rem agnoſcendam, & ab aliis diſtinguendum ſufficiunt (§. 153. *Log.*), & quas præbet genus atque differentia ſpecifica (§. 185. *Log.*). Quamobrem cum ea, quæ nos latent, vi definitionis ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reduci nequeant (*per demonſtrata*); nec ejus beneficio agnoſci, & ab aliis diſcerni poſſunt. *Quod erat alterum.*

Patet itaque ratio, cur non ſemper ſufficiant definitiones ad res agnoſcendas, & ab aliis, cum quibus facile confunduntur, diſcernendas, adeoque ad ſigna confugiendum ſit, quæ definitionum vicem ſubeunt, etiamſi definitiones accuratæ in promtu ſint.

§. 771.

Cur quæ inſunt animæ definitionum ope non agnoſcantur.

Quoniam nemo non novit, ea, quæ animæ ſuæ inſunt, non percipi poſſe ab aliis, nedum clare, coſequenter nos latere (§. 769.), quæ vero nos latent, ea vi definitionis ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reduci minime poſſunt, adeoque nec beneficio eius agnoſci & ab aliis diſcerni (§. 770.); *Quæcunque animæ noſtræ inſunt, ab aliis vi definitionis ad ſuum genus*

ſuam-

ſuamque ſpeciem reduci, nec ejus beneficio agnoſci, & ab aliis diſcerni poſſunt. Quamobrem cum *affectus* in eorum numero deprehendantur, quæ inſunt animæ noſtræ (§. *603. Pſych. empir.*), *nec iidem ab alio definitionum beneficio ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducuntur, nec earum ope agnoſcuntur, & ab aliis diſtinguuntur.*

Nemo non videt, ſermonem hic eſſe de immediata definitionum applicatione, qualis obtinet, dum vi definitionis trianguli vel rhombi judicamus figuram, quam intuemur, eſſe triangulum vel rhombum.

§. 778.

Quando definitionum in iisdem agnoſcendis ſit uſus.

Si quis, quæ animæ tuæ inſunt, vi definitionum ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducere, adeoque earundem beneficio eadem agnoſcere, & ab aliis diſcernere velit; neceſſe eſt ut notas, quæ eas ingrediuntur, ante aliunde colligat. Etenim ſi quis ope definitionis nomen rei obviæ vindicare, conſequenter eam ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducere (§ *559. Pſych. empir.*) voluerit, judicare debet, eidem convenire notas definitionem ingredientes (§. *356. Pſych. empir.*). Atat cum ea, quæ animæ tuæ inſunt, nemini pateant præterquam tibi; impoſſibile quoque eſt, ut quis intuendo ipſorum ideas cognoſcat notas eorum definitionem ingredientes, quibus eadem agnoſcuntur, & ab aliis diſtinguuntur (§. *153. Log.*). Quoniam itaque notas haſce intuitive cognoſcere nequis (§. *286. Pſych. empir.*); neceſſe eſt, ut eas aliunde colligas.

Propoſitionem hanc jungimus præcedenti, ne quis exiſtimet in iis, quæ animæ inſunt, agnoſcendis, & a ſe invicem diſtinguendis definitionum nullum prorſus eſſe uſum, quem tamen admittendum eſſe ex ſuperioribus conſtat (§. 755.). Ad ea, quæ ſenſu percipimus, & quorum nobis in nobismetipſis con-

conſcii ſumus, definitiones immediate applicare valemus, dum in idea rei, quam habemus, ſucceſſiva attentione diſcernimus notas, quæ in definitione continentur. Enimvero ſi rem quandam nec ſenſu percipimus, nec ejus in nobismetipſis nobis conſcii ſumus, quæ in idea ejus continentur, & tanquam notæ definitionem ingrediuntur, intuitive cognoſci nequeunt, ſed tantummodo ratiocinando innoteſcunt. Ubi vero ratiocinando eadem fuimus aſſecuti, non minus nobis patent, ac ſi intuitive eadem cognoſceremus. Quamobrem definitio utrobique eodem modo applicatur juxta communem ratiocinandi legem (§. 349. *Log.*). Non tamen ſemper in poteſtate noſtra eſt, ea, quæ intuitive cognoſci nequeunt, ratiocinando aſſequi, ut adeo definitionum uſus non ſemper concedatur.

§. 773.

Idem ulterius extenditur.

Immo in genere. *Si notæ definitionem rei ingredientes intuitive cognoſci nequeunt, eius tamen beneficio eandem ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducere, adeoque eandem agnoſcere & ab aliis diſcernere velis; neceſſe eſt ut notas, quæ eas ingrediuntur, aliunde colligas.* Etenim vi definitionis rem nullam ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducere licet, niſi notæ eandem ingredientes fuerint perſpectæ (§. 356. 359. *Pſych. empir.*), nec abſque iis beneficio definitionis rem agnoſcere & ab aliis diſtinguere datur (§. 79. 153. *Log.*). Quoniam autem notæ iſtæ intuitive non cognoſcuntur (*per hypoth.*); adeoque judicium quod rei hæ notæ conveniant, diſcurſivum eſſe debeat, ratiocinio ſcilicet eliciendum (§. 51. *Log.*); neceſſe utique eſt ut eædem aliunde colligantur (§. 366. *Pſych. empir.*).

Equidem in Philoſophia practica nonniſi cum iis nobis negotium eſt, quæ in anima inexiſtunt; placuit tamen principium hoc generale propoſitioni præcedenti ſubjicere, quod alibi, veluti in Medicina, ſuum habere poſſit uſum.

§. 774.

Quomodo latentia agnoſcantur.

Quæ nos latent, per ſigna diagnoſtica agnoſcenda & ab aliis diſcernenda ſunt. Quæ enim nos latent, ea vi definitionis agnoſci & ab aliis diſcerni nequeunt (§. 770.), adeoque quod adſint, aliunde colligendum. Quamobrem cum id ſignum alterius ſit, ex quo ejus præſentia colligitur (§. 952. *Ontol.*); ex ſigno aliquo colligenda. Quoniam itaque ſignum diagnoſticum eſt, quod rei cuidam agnoſcendæ ac ab aliis diſcernendæ adhibetur (§. 767.); quæ nos latent, per ſigna diagnoſtica agnoſcenda & ab aliis diſcernenda ſunt.

Videmus adeo quandonam ſignis diagnoſticis ſit locus, nimirum quando res agnoſcenda & ab aliis diſcernenda non latet: latet autem tamdiu, quamdiu eam nec immediate percipimus, nec notas, quæ definitionem ingrediuntur, aliunde colligere datur, ut eandem per eas nobis repræſentare, adeoque ejus perceptionem in nobis producere valeamus. Ubi nimirum quod latet in apricum producitur, non amplius latet. Probe autem notandum eſt, non unum idemque eſſe, ſive quis per ſigna diagnoſtica rem latentem agnoſcat & ab aliis diſcernat, ſive quis ex aliis, quæ percipit vel aliunde notis colligat notas definitionem ingredientes. Etenim in poſteriori caſu opus ipſi eſt definitione, cujus applicatione perinde ac rem immediate perceptam ad ſuum genus ſuamque ſpeciem reducit; in priori autem nulla opus ad hoc habet definitione, ſed ipſa ſigna diagnoſtica, quæ definitionum vicem ſubeunt, hoc præſtant. Nimirum ea, quæ in notione ſigni continentur, reſpondent notis in definitione contentis, & ſigni notio eodem prorſus modo applicatur, quo definitio applicari ſolet. Quemadmodum vero perinde eſt, ubi definitio applicanda venit, ſive notas eandem ingredientes intuitive conoſcas, ſive eas demum aliunde ratiocinando colligas; ita etiam perinde eſt, ubi per ſigna diagnoſtica res agnoſcenda & ab aliis diſcernenda, utrum ea, quæ ad notio-

notionem ſigni pertinent, immediate percipias, an vero aliunde colligas. Hæc probe perpendi velim, ut non modo certum ſit judicium, num res in dato caſu lateat; verum etiam caſus a ſe invicem rite diſtinguantur, in quibus definitionum & in quibus ſignorum uſus eſt: id quod tum in philoſophia morali, tum in Medicina practica ampliſſimum habet uſum. Quando in philoſophia morali virtutum & vitiorum ſigna trademus, oculatam dabimus fidem, & doctrina ſpecialis principiis generalibus clariſſimam lucem affundet, ut adeo opus non ſit in præſenti hactenus dicta exemplis illuſtrari. Noſtrum potius eſſe exiſtimamus, ut, quæ de ſignis diagnoſticis in genere notanda ſunt, demonſtremus, quo eorundem uſus reddatur expeditior, & ne deſint notiones directrices in inveſtigandis ſignis eorum, quæ ad hominum mores ſpectant. Id enim præſenti inſtituto maxime conſentaneum: ubi id agimus, ut oſtendamus, quomodo hominum mores & conjectando aſſequi, & eorum conjectandorum gratia affectus latentes detegere debeamus.

§. 775.

Quando latentia cognoſci nequeant.

Quoniam quæ nos latent per ſigna diagnoſtica agnoſcenda & ab aliis diſcernenda ſunt (§. 774.), *ſi latentium nulla dantur ſigna diagnoſtica, nec fieri poteſt, ut ea a nobis agnoſcantur, & ab aliis diſtinguantur.*

Non datur modus alius rem agnoſcendi & ab aliis diſcernendi, niſi vel per notionem ſufficienter determinatam ſive completam, quæ, ſi diſtincta fuerit, qualem in diſciplinis deſideramus, definitio eſt (§. *152. Log.*), vel per ſigna diagnoſtica, quæ definitionum vicem tuentur (§. 768.). Quæ nos latent, per definitiones agnoſci & ab aliis diſtingui nequeunt (§. 770.), adeoque non dantur niſi ſigna diagnoſtica, per quæ agnoſci & ab aliis diſcerni poſſunt (§. 773.). Quodſi ergo etiam hæc deficiant; nullum nobis ſuppetit medium ea agnoſcendi & ab aliis diſtinguendi.

Digitized by Google

§. 776.

Quomodo notæ latentes agnoſcantur, quæ definitionem ingrediuntur.

Quia quæ nos latent, per ſigna diagnoſtica agnoſcenda & ab aliis diſcernenda ſunt (§. 774.), iſtiusmodi autem ſignis deficientibus a nobis agnoſci & ab aliis diſtingui nequeunt (§. 775.); *notæ etiam latentes, quæ definitionem ingrediuntur, aut per ſigna diagnoſtica agnoſcendæ & ab aliis diſcernendæ ſunt, aut his deficientibus agnoſci & ab aliis diſcerni nequeunt.*

Ex anterioribus jam liquet, ſi ex quibusdam circumſtantiis, quæ nobis quomodocunque innotuere, ratiocinando aſſequamur notas, tum eas non latere, conſequenter quæ de uſu ſignorum diagnoſticorum hic inculcantur, ad hunc caſum minime extendenda. Ceterum per ſe patet, ſingulas rei latentis notas ſigillatim ſpectatas recte conſiderari tanquam res latentes, conſequenter quæ de rebus latentibus demonſtrantur, de ipſis quoque intelligenda eſſe. Unde porro liquet, fieri poſſe, ut detur ſignum diagnoſticum unius alteriusve notæ, quæ definitonem ingreditur, etſi non dentur ſigna omnium eandem ingredientium.

§. 777.

Quandonam ſigna diagnoſtica ſint propria, quandonam communia.

Si ſigna diagnoſtica generi rei agnoſcendo & ab aliis diſcernendo ſufficiunt, communia ſunt; ſi vero ſpeciei agnoſcendæ & ab aliis diſcernendæ ſufficiunt, propria ſunt. Signa enim communia ſunt, ex quibus colligitur, ſub quonam genere res ſignificata contineatur (§. 758.); propria autem, ex quibus colligitur, ſub quanam ſpecie eadem contineatur (§. 761.). Quodſi ergo ſigna diagnoſtica generi rei agnoſcendo & ab aliis diſcernendo ſufficiunt, communia ſunt; ſi vero ſpeciei agnoſcendæ & ab aliis diſcernendæ ſufficiunt, propria ſunt.

Ita ſigna diagnoſtica, per quæ patet animum tuum affectu moleſto torqueri, communia ſunt ſigna omnium affectuum

Digitized by Google

ctuum moleſtorum; ea autem, per quæ innoteſcit, affectum iſtum moleſtum eſſe pœnitentiam, propria ſunt. Similiter, ſi per ſigna diagnoſtica patet, te morbo quodam laborare, communia ſigna ſunt; aſt ſi per ea conſtat, morbum, quo laboras, eſſe hydropem, propria ſunt.

§. 778.

Si genus aliquod tantummodo agnoſcere & ab aliis diſtinguere intendis; ſignum diagnoſticum, per quod agnoſcitur & ab aliis diſtinguitur, proprium eſt. Etenim ſi genus aliquod tantummodo agnoſcere & ab aliis diſtinguere intendis; ipſum conſideras tanquam ſpeciem ſub alio genere ſuperiori contentam, conſequenter in hoc caſu, ubi nihil amplius deſideratur, perinde eſt ac ſi ſpeciem rei ſignificatæ inde agnoſceres. Quamobrem cum ſignum diagnoſticum proprium ſit, quod ſpeciei agnoſcendæ & ab aliis diſcernendæ ſufficit (§. 761.); ſi genus tantummodo aliquod agnoſcere, & ab aliis diſtinguere intendis, ſignum diagnoſticum, per quod agnoſcitur & ab aliis diſtinguitur, proprium eſt.

Quandonam ſignum commune abeat in proprium.

Haud raro contingit, ut de genere cognoſcendo tantummodo ſimus ſolliciti, ſpeciei vero nullam habeamus rationem, veluti ſi tantummodo noſſe velimus, utrum aliquis ægrotet, non vero quonam præciſe morbo laboret, aut num affectu quodam moleſto urgeatur alterius animus, non vero quinam ſit affectus iſte moleſtus. Quoniam morbus in genere eſt certa quædam ſpecies ſtatuum corporis, quemadmodum affectus moleſtus ſpecies affectuum in genere; in præſenti caſu ſignum morbi aut affectus moleſti in genere eſt ſignum proprium. Hinc quando in diſciplinis de generibus rerum agimus, eaque tanquam peculiaria entia univerſalia conſideramus, nondum ſolliciti de ſpeciebus ſub ipſis contentis; ſigna diagnoſtica eorum, quæ traduntur, ſunt generum iſtorum ſigna propria: ſit ita quod in applicatione pro

communibus habenda, ubi de ſpecie quadam ſub iſtis contenta agnoſcenda & ab aliis diſcernenda quæſtio eſt.

§. 779.

Ratio ſignorum diagnoſticorum communium ubi quærenda.

Signa diagnoſtica communia rationem ſufficientem ſignificatus habent in notione generis, vel dependentia generis & ſigni a communi quodam principio. Etenim ſigna diagnoſtica communia ſunt, quæ generi, ad quod res ſignificata refertur, agnoſcendo & ab aliis diſcernendo ſufficiunt (§. 777.), adeoque poſito genere ponitur ſignum diagnoſticum. Quoniam igitur neceſſe eſt, ut adſit ratio ſufficiens, cur poſita re ſignificata ponatur etiam ſignum, neceſſe eſt ut ea vel inſit notioni generis tanquam rei ſignificatæ (§. 118. *Ontol.*), vel ut genus tanquam res ſignificata & ſignum, quod eandem denotat, dependeat a communi quodam principio (§. 851. 866. *Ontol.*).

Quod rationem ſufficientem habet in notione generis, poſito genere, poni (§. 118. *Ontol.*), conſequenter ex eo colligi poſſe, quod res præſens ſit iſtius generis, adeoque ſignum diagnoſticum ejusdem eſſe, facile intelligitur, ut adeo exemplis non ſit opus. Sed quid ſibi velit dependentia generis & ſigni a communi quodam principio, exemplo ut declaretur opus eſt. Diximus ſuperius ex vultu, geſtu ac voce colligi, quod animus affectu quodam perturbetur, adeoque affectum in genere (§. 754.). Vultus, geſtus ac vox affectui reſpondent propter harmoniam animæ ac corporis, communi principio eorum, quæ in anima ac corpore ſemper coëxiſtunt (§. 539. *Pſych. rat.*). Hoc principium continet rationem generalem coëxiſtentiæ eorum, quæ in anima atque corpore contingunt, adeoque utraque ab eodem dependent (§. 851. *Ontol.*).

§. 780.

Ratio ſignorum di-

Signa diagnoſtica propria rationem ſufficientem ſignificatus habent in notione ſpeciei, vel dependentia ſpeciei & ſigni

ſigni à communi quodam principio. Cum enim ſigna diagnoſtica propria ſpeciei, ad quam res ſignificata refertur, agnoſcendæ ac ab aliis diſcernendæ ſufficiant (§. 777.); poſita ſpecie ponitur ſignum ejus diagnoſticum. Quamobrem quia ratio ſufficiens adeſſe debet, cur hæc ſimul ponantur, neceſſe eſt ut ea vel inſit notioni ſpeciei (§. *118. Ontol.*), vel ut ſpecies tanquam res ſignificata & ſignum, ex quo ea colligitur, dependeant a communi principio (§. *851. 866. Ontol.*), quo ſcilicet poſito ſimul ponuntur (§. *118. Ontol.*). *agnoſticorum propriorum ubi quærenda.*

Propoſitionem præſentem non alio fine in medium afferimus, quam ut conſtet, quomodo ſigna diagnoſtica ſint demonſtranda, ne ſcilicet ignoremus, unde petenda ſint demonſtrationum principia: tum etiam ut appareat, quo vertenda ſit attentio, ubi ſigna hæc eruere voluerimus. Habet tamen præterea hunc quoque uſum, ut intelligatur, cur dentur ſigna diagnoſtica tam communia, quam propria. Immo eluceſcit hinc, cur dentur ſigna diagnoſtica, quæ a re ſignificata nullo prorſus modo dependent. Utilitatem hanc omnem non eſſe contemnendam plenius intelligent, qui, quæ ſuo tempore in philoſophia morali de ſignis tradituri ſumus, accurata mentis lance penſitare voluerint.

§. 781.

Si plura ſigna propria ejusdem rei dentur, ea ſimul ſumta ſignum coacervatum minime conſtituunt. Etenim ſi plura ſigna propria ejusdem rei dantur, ex eorum unoquoque ſigillatim ſumto colligitur, ſub quanam ſpecie res ſignificata contineatur (§. 761. 764.), adeoque non demum ex omnibus ſimul ſumtis. Quoniam itaque plura ſigna ſimplicia demum coacervatum conſtituunt, ſi ex ipſis ſimul ſumtis colligitur, quod colligendum erat (§. 765.); ſi plura ſigna propria ejusdem rei dentur, ea ſimul ſumta ſignum coacervatum minime conſtituunt. *Multitudo ſignorum propriorum cum coacervato non confundenda.*

Aliud

Digitized by Google

Aliud igitur eſt coacervare multa ſigna, aliud eſt coacervare ſignum. Sane non omni ſignorum coacervatione ſignum coacervari, propoſitio præſens aperte loquitur. Si ſigna propria ejusdem rei coacervantur, perinde eſt acſi demonſtrationes coacervantur ejusdem theorematis, quemadmodum enim unaquæque harum ſufficit ad veritatem evincendam, ita quoque quodlibet illorum ſufficit ad rem ſignificandam.

§. 782.

Apertum quid dicatur.

Apertum dicitur, quod non latet, conſequenter quod præſens clare percipimus.

Opponitur nimirùm apertum latenti. Ita vulnus externum corpori inflictum apertum eſt, cum viſui pateat: ulcus externum apertum eſt, cum in oculos incurrat.

§. 783.

Quando ſignis non eſt opus.

Quæ aperta ſunt, nullis ſignis diagnoſticis indigent. Etenim quæ aperta ſunt, ea, dum præſentia ſunt, clare percipimus (§. 782.), conſequenter per ſe agnoſcimus & ab aliis diſtinguimus (§. 31. *Pſych. empir.*), adeoque non opus eſt ut demum aliunde agnoſcantur & ab aliis diſtinguantur. Quoniam itaque ſigna diagnoſtica rebus agnoſcendis & ab aliis diſcernendis adhibentur (§. 767.); quæ aperta ſunt, nullis indigent.

Ita in Medicina non indiget vulnus externum corpori inflictum ſigno diagnoſtico, nec ulcus externum eodem opus habet.

§. 784.

An apertorum dentur ſigna.

Apertorum dantur ſigna diagnoſtica. Etenim ſigna diagnoſtica rationem ſufficientem habent in notione generis ac ſpeciei vel dependentia generis ac ſpeciei a communi quodam principio (§. 779. 780.), adeoque poſita re hujus generis vel ſpeciei, ponitur quoque ſignum diagnoſticum

cum (§. *118. Ontol.*). Quamvis adeo aperta ſit, adeoque præſens clare percipiatur (§. 782.); hoc tamen minime obſtat, quo minus ſignum diagnoſticum ponatur. Apertorum igitur dantur ſigna diagnoſtica.

Signum diagnoſticum ignis eſt fumus aſcendens, cum ex hoc colligatur præſentia ignis. Aſcendit fumus, etiamſi ignem præſentem videas, conſequenter hic apertus ſit (§. 782.). Signum igitur datur diagnoſticum ignis aperti, utut eodem non habeamus opus ad ignis præſentiam, qui per ſe in oculos incurrit, agnoſcendam. Ita tibi apertus eſt affectus, quo perturbaris, & quem prodit vultus, geſtus, vox & ſermo (§. 752.), quæ ſunt ſigna ejus diagnoſtica (§. 754. 767.). Dantur igitur ejus ſigna etiam ex parte tui, etiamſi iisdem non habeas opus ad affectum inde colligendum, cujus tibi conſcius es.

§. 785.

Quando ſigna diagnoſtica occultanda.

Si aperta occultare volueris, ſigna etiam diagnoſtica occultanda. Etenim ſi rem apertam occultas, ut lateat (§. 769.), per ſigna adhuc diagnoſtica agnoſci & ab aliis diſcerni poteſt (§. 774.). Quamobrem cum tunc demum, quod latet, a nemine agnoſci atque ab aliis diſtingui poſſit, ubi nulla dantur ſigna diagnoſtica (§. 775.): ſi aperta occultare volueris, ſigna etiam diagnoſtica occultanda.

Ex. gr. Si ignem occultare volueris, ne quis eum præſentem agnoſcat; neceſſe eſt ut etiam fumum occultes, ne quis aſcendentem videat. Oſtendimus apertorum dari etiam ſigna diagnoſtica non minus, quam latentium (§. 784.), nos tamen ipſis ad ea agnoſcenda & ab aliis diſcernenda non habere opus (§. 783.). Nullus adeo uſus videri poterat ſignorum diagnoſticorum rei apertæ. Quamobrem neceſſe eſt, ut oſtendatur, quemnam ea uſum habere poſſint. Inculcat talem præſens propoſitio, quæ in rebus occultandis quomodo circumſpectos nos gerere debeamus docet.

§. 786.

Caſus alter.

Si qua alterum latent, ab eodem agnoſci nolis, ſigna eorundem diagnoſtica occultanda. Etenim quæ latent, per ſigna diagnoſtica agnoſcuntur & ab aliis diſcernuntur (§. 774.), nec fieri poteſt, ut non agnoſcantur, niſi ſi nulla dentur ſigna diagnoſtica (§. 775.). Quamobrem ſi nolis quæ alterum latent, ab eodem agnoſci, ſigna eorundem diagnoſtica occultanda.

Exemplum habes in occultandis affectibus. Affectus, quo perturbatur animus tuus, alterum latet: ex vultu tamen, geſtu, voce atque ſermone colligitur, quod adſit, atque adeo hæc ſigna diagnoſtica ſunt (§. 767.). Quamobrem ſi affectum occultare volueris, neceſſe eſt ut alium fingas vultum, alios geſtus, aliam vocem, alium ſermonem, quam affectus imperat. Etſi adeo præſens propoſitio non videatur diverſa a præcedente, exemplum tamen diverſitatem aperte loquitur. Nimirum in præſenti caſu nonniſi diligentia adhibenda in ſignis diagnoſticis occultandis, in caſu præcedente ſingularis præterea requiritur cura in ipſa re occultanda.

§. 787.

Quomodo ſigna diagnoſtica a poſteriori detegantur.

Si animum ad ea advertimus, quæ cum re nobis aperta ſimul obſervamus, atque in ea inquirimus, quæ cum eadem ſimul ponuntur; ſigna diagnoſtica a poſteriori detegimus: plurium autem obſervationum collatione propria a communibus diſtinguimus atque ſingula rite determinamus. Etenim ſi animum ad ea advertimus, quæ cum re nobis aperta ſimul obſervamus atque in ea inquirimus, quæ cum eadem ſimul ponantur; tum nobis innoteſcit, quod hiſce poſitis illa etiam ponatur, conſequenter ex horum præſentia illius etiam præſentia colligitur. Quoniam igitur id ſignum rei alterius eſt, ex quo præſentia alterius colligitur (§. 952. *Ontol.*), &

Digitized by Google

& diagnoſticum ſignum eſt, quod rei cuidam agnoſcendæ ac ab aliis diſcernendæ adhibetur (§. 767.); ideo patet, ſigna diagnoſtica rei nobis apertæ innoteſcere, ubi animum ad ea advertimus, quæ cum eadem ſimul obſervamus, atque in ea inquirimus, quæ cum eadem ſimul ponuntur. Enimvero a poſteriori detegitur, quod ex obſervationibus eruitur (§. 457. *Pſych. empir.*). Quamobrem liquet ſigna diagnoſtica rei nobis apertæ hoc pacto a poſteriori detegi. *Quod erat primum.*

Cum porro ex collatione plurium obſervationum appareat, num ſigna iſta cum re illa ſola, an etiam cum aliis ponantur, ſigna autem communia etiam cum aliis, propria nonniſi cum re iſta poni debeant (§. 758. 761.); nemo non videt, obſervationum plurium collatione ſigna diagnoſtica propria a communibus diſtingui. *Quod erat ſecundum.*

Denique quia propter circumſtantias ſingulares ideis ſignorum haud raro admiſcentur peregrina, quæ ex eorundem notionibus rite determinatis exulare debent, quemadmodum neminem fugit, qui notionibus diſtinctis atque determinatis formandis operam impendit (§. 678. *Log.*); collatio autem plurium obſervationum prodit, quæ in diverſis caſibus eadem ſint, quænam diverſa; non minus liquet, ſingula ſigna plurium obſervationum collatione rite determinari. *Quod erat tertium.*

Uſui hic eſſe poſſunt, quæ de notione univerſali ſenſu duce acquirenda præſcripſimus (§. 678. *Log.*). Quæ enim de notione furti a poſteriori inveſtiganda annotavimus, ea etiam in ſignorum notionibus rite determinandis fieri debent. Propoſitio hæc maximam utilitatem ſpondet tum in Philoſophia practica, tum in Medicina practica, cum utrobique ſigna diagnoſtica a poſteriori detegantur, &, ubi a priori inventa fuerint, a poſteriori tamen ad examen revocantur

atque comprobantur. Ceterum ſi quæſiveris, quomodo inquiratur, num ea, quæ cum re tibi aperta ſimul obſervantur, etiam ſimul ponantur, adeoque ſi illa adeſt, etiam hæc ſemper adſint; nonniſi in genere reſpondere hic licet, id non ſemper eodem patere modo, conſequenter particularia reſervanda eſſe arti inveniendi, ad quam etiam pertinent regulæ in ſignis diagnoſticis inveniendis obſervandæ. Interea uſui eſſe poſſunt, quæ de veritate a poſteriori inveſtiganda docuimus, cum uſum Logicæ explicaremus (§. 672. & *ſeqq. Log.*).

§. 788.

Quomodo ſigna diagnoſtica affectuum detegantur a poſteriori.

Quoniam affectus, quibus perturbatur animus noſter, nobis aperti ſunt (§. 782.), experientia teſte, cum iisdem vero ſimul poni obſervamus mutationes vultus, geſtuum, vocis atque ſermonis pro illorum diverſitate diverſas (§. 611. *Pſych. empir.*); *ſi animum ad vultum, geſtus, vocem atque ſermonem advertimus, dum affectus nobis apertus eſt, ejus ſigna diagnoſtica hinc deſumenda detegimus a poſteriori* (§. 787.). Et quoniam tam in diverſo affectu, quam in eodem pro diverſitate ſubjectorum vultus, geſtus, vox atque ſermo variat, in omni tamen caſu generalia inſunt; *obſervationum plurium collatione non modo communia ſigna a propriis diſtinguimus, verum etiam ſingula rite determinamus* (§. *cit.*).

Propoſitio hæc maximæ utilitatis eſt in theoria ſignorum diagnoſticorum affectuum a vultu, geſtu, voce atque ſermone petendorum, hactenus deſiderata, condenda. Quodſi quis hoc opus aggredi voluerit, is ipſo facto experietur, quantum tribuendum ſit obſervationum collationi. Experietur etiam, quantum adjumentum afferant tum quæ de uſu Logicæ in veritate præſertim a poſteriori inveſtiganda docuimus, tum quæ de facultate cognoſcitiva in Pſychologia tradidimus, ubi inquirendum quænam ea ſint, quæ cum re ſimul ponantur, cujus ſigna detegere conamur, & quantum præſidii poſitum ſit in notionibus ontologicis.

§. 789.

Digitized by Google

§. 789.

Status animi affectu occupati explicabilis eſt per Syllogiſmum, cujus minor eſt repræſentatio objecti quoad circumſtantias præſentes, major principium generale, quo quod tale eſt, judicatur bonum vel malum, concluſio vero objecti tanquam boni vel mali hiſce circumſtantiis veſtiti repræſentatio. Etenim affectus omnes ex confuſa repræſentatione boni vel mali oriuntur (§. 605. *Pſych. empir.*), pro cujus diverſitate diverſæ ſpeciei affectus excitantur, quemadmodum ex definitionibus affectuum realibus, quas in Pſychologia empirica tradidimus, eluceſcit. Quoniam rem quandam, quam percipimus, tanquam bonam vel malam nobis non repræſentamus, niſi quatenus eam ad nos ſtatumque noſtrum vel ad alios, quibus bene aut male cupimus, ipſorumque ſtatum referimus (§. 554. 561. 565. 573. *Pſych. empir.*); perceptio iſta ex aliis præviis naſcitur: id quod etiam unicuique ad ſe ipſum animum advertenti, dum affectu quodam urgetur animus, pateſcit. Nimirum dum ad objecti perceptionem præſentem animum advertit, quale iſtud ſit, ſibi conſcius eſt, adeoque experitur (§. 664. *Log.*). Vi imaginationis reproducitur perceptio præterita, qua tale objectum repræſentatur tanquam bonum vel malum (§. 117. *Pſych. empir.*), & beneficio memoriæ eandem recognoſcimus (§. 175. *Pſych. empir.*), adeoque nobis conſcii ſumus, quod eam jam antea habuerimus (§. 173. *Pſych. empir.*). Et ex duabus iſtis perceptionibus naſcitur ea, qua objectum præſens cum ſuis circumſtantiis repræſentatur tanquam malum (§. 360. 361. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo ſtatum animæ alterius, dum affectu quodam corripitur, diſtincte explicare volueris; ex hactenus dictis apparet, quod objectum præſens ſibi repræſentet, tanquam tale, quod

Status animi affectu quodam occupati.

Digitized by Google

tale objectum in genere ſibi repræſentet tanquam bonum vel malum, & quod tandem hoc objectum in ſingulari ſibi tanquam bonum vel malum cum iis, quas percipit, circumſtantiis repræſentet. Ecce igitur ſyllogiſmum, quo explicari poteſt ſtatus iſte. Objectum præſens tale eſt, & hisce circumſtantiis veſtitum. Objectum tale bonum vel malum eſt. Ergo objectum præſens bonum vel malum eſt, idque hiſce circumſtantiis veſtitum. Status adeo animi affectu occupati explicabilis eſt per ſyllogiſmum, cujus minor eſt repræſentatio objecti quoad præſentes circumſtantias, major principium generale, quo quod tale eſt, judicatur bonum vel malum, concluſio vero objecti tanquam boni vel mali hiſce circumſtantiis veſtiti repræſentatio.

Quod objectum præſens ſit bonum vel malum ex principio generali infertur; quod vero bonum vel malum hiſce circumſtantiis veſtiatur, ex perceptione objecti præſentis adjicitur ei, quod infertur: id quod probe notandum, ne quis exiſtimet, inferri concluſionem, quæ vi formæ ex præmiſſis inferri nequit. Neque enim hic diſtincte ratiocinamur, adeoque ratiocinio, cui locus eſſet, ſi intellectui relinqueretur locus, admiſcentur quæ aliunde ſuperveniunt. Enimvero non e re eſſe videtur, ut propoſitionem præſentem exemplo quodam illuſtremus. Pœnitebat Judam, quod Chriſtum prodidiſſet in ſenſu philoſophico. Experiebatur nimirum, Chriſtum, quem innocentem noverat, ultimo ſupplicio eſſe afficiendum, & quod hoc fiat, facto ſuo deberi, ſcilicet quod ipſum prodiderit. Factum igitur ſuum ſibi repræſentabat tanquam tale, quo diſcipulus magiſtrum ſuum innocentem in manus inimicorum ſævientium adduxerat. Principium hoc generale memoriam ipſius ſubibat, quod malefactum ſit, ſi diſcipulus magiſtrum ſuum innocentem in manus inimicorum tradit, ut in eum ſævire poſſint. Unde inferebat, ſe malefeciſſe, quod Chriſtum magiſtrum ſuum, quem innocentem noverat, furori inimicorum ipſius expoſuerit: id quod ipſum apertis

Digitized by Google

apertis verbis confeſſum fuiſſe Hiſtorici ſacri commemorant. Dum vero ita ſentiebat, ſeu factum ſuum tanquam malum repræſentabat, affectus pœnitentiæ animum ejus invadebat. Status igitur animi Judæ, dum pœnitentia moleſtabatur, hoc ſyllogismo explicabilis eſt. Ego diſcipulus magiſtrum innocentem furori inimicorum expoſui, ut ultimo ſupplicio nunc ſit afficiendus. Qui diſcipulus magiſtrum innocentem furori inimicorum exponit, ut ultimo ſupplicio afficiatur malefacit. Ergo ego malefeci. Mox patebit, in conjectandis hominum moribus neceſſe eſſe, ut ſtatum animi affectu quodam correpti per ſyllogismum diſtincte explicare valeamus. Quamobrem qui in hac arte proficere voluerit, is utilem operam ſumet, ſi ſtatum animi ſui, quotiescunque affectus quidam eum invadit, per ſyllogismum diſtincte explicet, & idem in exemplis aliis faciat, quæcunque quocunque modo ipſi ſuggerit vel librorum hiſtoricorum lectio, vel experientia. Neque enim hic habitus aliter quam crebro exercitio, quemadmodum alius quicunque acquiritur (§. 430. *Pſych. empir.*), nec niſi continuo uſu conſervatur atque perficitur (§. 431. *Pſych. empir.*). Abſit itaque, ut quis exiſtimet iſtiusmodi exercitia nonniſi addiſcentibus convenire.

§. 790.

Quomodo ex affectu inveſtigentur mores.

Qui ex affectu mores alterius inveſtigare voluerit, latis concluſione atque minore ſyllogismi, per quem ſtatus animi eodem correpti explicabilis, invenire debet majorem. Etenim qui mores alterius conjectare voluerit, inquirere tenetur in eam notionem, vi cujus agens actionem certi generis vel ſpeciei ſibi repræſentare ſolet tanquam bonam vel malam (§. 705.), adeoque ſi eos ex affectu conjectare voluerit, inquirere tenetur in notionem boni vel mali, quam habet, & qua in bono vel malo dijudicando uti ſolet. Enimvero notio hæc reſpondet majori iſtius ſyllogismi, per quem ſtatus animi affectu correpti explicatur (§. 789.).

Quam

Quamobrem cum major ſyllogiſmi innoteſcat, ſi minor atque concluſio nobis fuerit perſpecta, quemadmodum nemo non novit, qui vel primis labris doctrinam logicam de ſyllogiſmo deguſtavit; qui ex affectu mores alterius inveſtigare voluerit, ex datis concluſione atque minore ſyllogiſmi, per quem ſtatus animi eodem correpti explicabilis (§. 789.), invenire debet majorem.

Videmus adeo artem conjectandi hominum mores ex affectu tandem huc redire, ut ad enthymema, in quo deficit major, hæc ipſa major reperiatur. Enthymema nimirum tale eſt: Objectum hoc eſt tale. Ergo objectum hoc bonum eſt, vel malum. Major, quæ deficit ac ſuppleri debet, hæc eſt: Objectum tale bonum, vel malum eſt. Nimirum duo ſunt affectuum genera, jucundi atque moleſti (§. 608. 609. *Pſych. empir.*), ex quibus componuntur mixti (§. 610 *Pſych. empir.*). Jucundi cum ex boni, moleſti ex mali repræſentatione confuſa oriantur; duo ſunt enthymemata generalia, ſub quibus ſyllogiſmi ſtatum animi affectu correpti explicantes continentur, & quorum alterum habet concluſionem: Objectum hoc bonum eſt; alterum vero hancce: Objectum hoc malum eſt. Sed brevitatis gratia duo in unum contrahimus, tum etiam ut facilius memoria retineatur. Nullo negotio reperitur major, quæ deficit in hoc enthymemate, modo detur enthymema ipſum. Unde liquet, ubi ex affectibus alterius mores inveſtigare volueris, potiſſimum in id incumbendum eſſe, ut enthymema iſtud, hoc eſt, concluſio & minor illius ſyllogiſmi, per quem ſtatus animi affectu correpti explicatur, tibi innoteſcat. Hoc enim ſupponitur, antequam notionem boni vel mali, qua in eo dijudicando utitur alter, aſſequi vales. Neceſſe igitur eſt, ut porro doceamus, quomodo enthymema iſtud, ſeu concluſio & minor ſyllogiſmi explicatoris innoteſcat.

§. 791.

Quomodo *Si ſpecies affectus, quo corripitur animus alterius, nobis*

Digitized by Google

nobis innoteſcit, vi definitionis realis colligitur concluſio ſyllogiſmi explicatoris ſtatus animi ejusdem. Etenim ſi ſpecies affectus, quo corripitur animus alterius tibi innoteſcit, judicium, quod de eadem fertur, præbet minorem, definitio autem realis majorem ſyllogiſmi, quo infertur concluſio, quod objectum affectus ſit bonum vel malum, cum definitiones reales affectuum inſinuent, quod objectum eorundem repræſentetur vel tanquam bonum vel tanquam malum, quemadmodum eas in Pſychologia empirica evolventibus manifeſtum eſt. Sed judicium, quod objectum affectus ſit bonum vel malum, eſt concluſio ſyllogismi explicatoris ſtatus animi affectu correpti (§. 789.). Ergo ſi ſpecies affectus, quo corripitur animus alterius, nobis innotuerit, vi definitionis realis colligitur concluſio ſyllogiſmi explicatoris ſtatus animi ejusdem.

Quomodo concluſio ſyllogiſmi explicatoris innoteſcat.

Ita nimirum argumentamur:

Animus Titii corripitur hoc affectu.
Qui hoc affectu corripitur, objectum eius ſibi repræſentat tanquam bonum, vel tanquam malum;
Ergo Titius ſibi objectum affectus repræſentat tanquam bonum, vel tanquam malum.

Major propoſitio, quam ratiocinium naturali modo enunciantes ſecundo loco ponimus, patet per definitionem affectus realem. Unde ex ſpecie affectus, quam loquitur minor, primo loco poſita, vi definitionis realis colligitur concluſio deſiderata. Patet autem ſi ea uſui eſſe debet in præſenti negotio, objectum affectus cognitum eſſe debere: quod quomodo innoteſcat, docet propoſitio ſequens.

§. 792.

Objectum affectus vel animum ad circumſtantias præſentes, dum excitatur, advertenti patet; vel ope definitionis realis affectus, cujus ſpecies cognita ſupponitur, detegitur; vel

Quomodo objectum affectus innoteſcat.

vel ex ſermone ejus, qui affectu corripitur, colligitur. Etenim ſi animum ad circumſtantias præſentes, dum excitatur, attendentes animadvertimus, quamprimum hæc dicuntur, vel fiunt, animum alterius affectu corripi; evidens eſt affectum ideo excitari, quod hæc dicuntur, vel fiunt, aut quod nunc & hic dicuntur, vel fiunt. Quodſi adeo videmus, affectum excitari, quod hæc dicuntur, vel fiunt; objectum ad circumſtantias præſentes animum advertenti patet, ut nulla ulteriori disquiſitione ſit opus. *Quod erat primum.*

Quodſi vero affectus oriatur, quod hæc hic & nunc dicantur, ex circumſtantiis utique præſentibus vi definitionis realis, quæ objectum affectus generaliter manifeſtat, colligendum, quodnam ſit affectus excitati objectum, cujus ſpecies ideo cognita eſſe debet, ut conſtet, quanam definitione reali ſit utendum in objecto ex circumſtantiis præſentibus eruendo. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi quis vel apertis verbis dicit, quodnam ſit objectum affectus, vel talia profert verba, quæ idem quocunque modo produnt; idem ex ſermone alterius colligitur, quo nempe ſignificantur actus animæ (§. 713.). *Quod erat tertium.*

Ponamus ex. gr. te narrare Titio, quod Mævius vita exceſſerit, ac Titium contriſtari; nemo non inde *agnoſcit* objectum triſtitiæ Titii eſſe obitum Mævii. Objectum adeo affectus patet, dum animum ad circumſtantias præſentes advertimus. Ponamus porro, te narrare Titio, quod Mævius, qui unius horæ ſpatio vix elapſo cum eodem fuerat locutus in platea, morte extinctus fuiſſet, & Titium in terrorem conjici; cum definitio realis terroris inſinuet, eum oriri, ſi quod malum præter omnem ſpem ac opinionem accidat (§. 829. *Pſych. empir.*), ex ea circumſtantia, quod unius horæ ſpatio vix elapſo cum eodem fuerat locutus in platea, vi defini-

finitionis realis colligitur, objectum affectus eſſe mortem Mævii, quatenus ſubitanea eſt. Quodſi autem narres, Mævium, qui morbo diuturno laboravit, vitam cum morte commutaſſe, & idem in terrorem conjectus tandem exclamet: nunc ſolutio debiti mihi facta eſt; ex ſermone Titii colligitur, jacturam pecuniæ creditæ eſſe objectum terroris. Dedimus exempla facilia, ut regulæ intelligantur, & earum applicatio pateat. Diffitendum tamen non eſt, non eadem facilitate objectum affectus detegi in omni caſu: quin potius haud raro non modo multa opus eſſe circumſpectione, ne circumſtantia aliqua attentionem tuam effugiat verum etiam ratiocinatione multa, ut ex circumſtantiis, quæ tibi perſpectæ ſunt, objectum affectus eruatur. Immo ſubinde unus horum modorum ſolus minime ſufficit, ſed duo vel tres omnes ſimul ſunt adhibendi, ſi quidem ſatis certus eſſe volueris, te objectum affectus rite determinaſſe.

§. 793.

Quomodo minor ſyllogiſmi explicatoris detegatur.

Si objectum affectus hujusque ſpecies innotuerit, ex circumſtantiis præſentibus vi definitionis realis colligitur minor ſyllogiſmi explicatoris. Etenim ſi objectum affectus hujusque ſpecies innotuerit, vi definitionis realis colligitur concluſio ſyllogiſmi explicatoris (§. 791.), conſequenter quod qui affectu corripitur, iſtud ſibi repræſentet tanquam bonum, vel tanquam malum (§. 789.). Enimvero cum minor ejusdem ſyllogiſmi ſit repræſentatio objecti cum ſuis circumſtantiis, ubi ſcilicet harum habenda ratio (§. 789.), ex eodem intelligitur, cur objectum iſtud ſibi tanquam bonum, vel malum, aut ſimpliciter, aut propter circumſtantias præſentes repræſentet, conſequenter rationem continere debet, cur hoc faciat (§. 56. *Ontol.*). Minorem adeo ſyllogiſmi explicatoris detecturus in rationem inquirere tenetur, cur objectum iſtud vel ſimpliciter, aut in ſe, vel ſub præſentibus circumſtantiis ſpectatum bonum, vel malum judicetur.

Digitized by Google

Neceſſe igitur eſt, ut id ex circumſtantiis præſentibus & notione objecti colligatur. Quamobrem ubi objectum affectus huiusque ſpecies innotuerit, ex circumſtantiis præſentibus vi definitionis realis colligitur minor ſyllogismi explicatoris.

Ubi ex affectibus mores alterius conjectare volueris, maxima cura eſſe debet, ut minor ſyllogismi explicatoris rite determinetur: cum enim ea contineat rationem, cur objectum affectus judicetur vel bonum, vel malum, in eadem notio boni vel mali, qua in eodem dijudicando utitur, qui affectu corripitur, ad objectum iſtud applicatur. In hac autem detegenda totius rei cardo vertitur (§. 705.). Ipſo autem facto experietur, quantum haud raro negotii faceſſat minoris in ſyllogismo explicatore inveſtigatio, & quod latentibus circumſtantiis, quas in apricum producere non datur, eadem omnem operam noſtram ludat. Ne vero applicatio propoſitionis præſentis difficultates faceſſat; exemplo quodam eandem illuſtrare lubet. Ponamus te narrare Titio, quod Mævius diem ſupremum obierit, & hoc audito Titium in terrorem conjici. Quoniam terror oritur, ſi malum ex improviſo ingruit, ſeu præter ſpem omnem ac opinionem accidit (§. 829. *Pſych. empir.*); ex definitione reali affectus hujus patet, quod Titius mortem Mævii ſibi repræſentet tanquam malum, quod ex improviſo ingruit, ſeu præter ſpem omnem ac opinionem ipſius accidit. Concluſio adeo ſyllogismi explicatoris eſt, quod mors Mævii ſit malum Titio ex improviſo ingruens, ſeu præter ſpem omnem ac opinionem accidens. Quodſi ergo in rationem inquirere volueris, cur mors Mævi a Titio habeatur pro malo ipſi ex improviſo ingruente, ſeu præter ſpem omnem ipſius ac opinionem accidente; id aliunde patere nequit, quam vel ex notione mortis, vel ex circumſtantiis ſingularibus præſentibus. Ponamus itaque ut ante (*not.* §. 792.), Mævium nulla cognatione attingere Titium, nec inter familiares ipſius, nec inter Patronos numerari, ſed obæratum eſſe; ex hiſce utique circumſtantiis colligitur, quod mortem Mævii ſibi repræſentet tanquam

quam cauſam jacturæ pecuniæ ipſi creditæ, aut, ubi hæc circumſtantia patet, quod nummos crediderit Mævio, id tanto certius colligitur. Detegitur itaque vi definitionis realis affectus, cujus obiectum, nempe mors Mævii, & ſpecies, quod ſcilicet ſit terror, innotuit, ex circumſtantiis præſentibus minor ſyllogismi explicatoris, nimirum quod mors Mævii, quam nondum expectaverat Titius, ſit cauſa jacturæ nummorum ſuorum. Quodſi circumſtantiæ hæ tibi non paterent, nimirum quod Mævius, quem mortuum eſſe narras, neque ulla cognatione attingat Titium, neque Titius Mævio familiari vel Patrono utatur, nec quod Mævius obæratus ſit, & Titius eidem pecuniam crediderit, nec fieri poſſet, ut rationem detegeres, cur mors Mævii Titio habeatur malum ex improviſo ingruens, conſequenter nec minorem ſyllogismi explicatoris inveſtigare valeres. Ceterum hoc ipſum exemplum docet, non modo cirumſtantiarum poſitivarum, verum etiam privativarum hic habendam eſſe rationem. De probabili conjectura nihil addimus; cum ea ad Logiacm probabilium pertineat: ſit ita, quod ex probabilitatis notione in Logica (§. *578. & ſeqq.*) evoluta deduci queant, quæ hic uſui eſſe poſſunt. Atque ita docuimus, quænam obſervanda ſint, ſiquidem ex affectibus mores alterius conjectare volueris: quæ enim hæc methodus communia habet cum altera, qua ex actionibus iidem conjectantur, poſthac explicanda, in ſequentibus ſubjiciemus. Sed lubet in uſum futurum recapitulatione quadam ea comprehendere propoſitione ſequente.

§. 794.

Mores ex affectibus.

Si quis ex affectu morem alterius conjectare voluerit, Methodus is 1) ſpeciem affectus (§. 754. & ſeqq.) & objectum ejus detegere conjectandi ſtudeat (§. 792.), 2) definitionem ejusdem realem ſibi in memoriam revocet, 3) in concluſionem (§. 791.) & 4) in minorem ſyllogismi explicatoris ſtatus animi eius, qui affectu corripitur, inquirat (§. 793.), tandemque 5) in enthymemate deficientem adhuc majorem adjiciat. Etenim qui ex affectu mores alte-

 rius

rius inveſtigare voluerit, ex datis concluſione atque minore ſyllogismi, per quem ſtatus animi eodem correpti explicatur, invenire debet majorem (§. 790.). Quamobrem neceſſe eſt, ut minor ejusdem ſyllogismi atque concluſio ipſi ſit perſpecta, conſequenter in utramque inquirere tenetur. Enimvero ad concluſionem eruendam requiritur, ut nota ſit affectus ſpecies, & in promptu ſit definitio ejusdem realis (§. 791.), & ad minorem inveſtigandam neceſſe eſt ut obiectum & ſpeciem affectus cognoſcas, ac denuo in promptu ſit definitio affectus realis (§. 793.). Quamobrem neceſſe eſt ut non minus objectum, quam ſpeciem affectus antea detegere conetur, atque definitionem realem affectus, quæ cognita ſupponitur, in memoriam ſibi revocet.

Equidem ſubinde facillimum eſt ex affectibus colligere mores alterius, ut hoc nullo negotio faciat vel vulgus; non tamen ideo exiſtimandum eſt, quaſi rem per ſe facilem præter omnem neceſſitatem difficultatibus implicemus. Quodſi enim periculum facere volueris, eandem facilitatem non ubivis deprehendes, quin potius experientia domeſtica convinceris, maximas haud raro, immo inſuperabiles nonnunquam objici difficultates. Quodſi in harum rationes inquirere volueris, eas manifeſtabunt, quæ hic præcipiuntur. Immo ubi certus reddi volueris, num difficultates, quæ objiciuntur, ſuperare valeas, & quomodo ſuperandæ ſint, addiſcere flagraveris; ad ea, quæ hic præcipiuntur, denuo confugiendum eſſe patebit. Enimvero cum methodus, quæ hic traditur generalis ſit, qualem exigit Philoſophia practica univerſalis, in conjectandis autem hominum moribus ex affectibus cum affectuum ſpeciebus nobis ſit negotium; vel me tacente agnoſcitur, ſpeciales dari pro ſingulis affectuum ſpeciebus methodos, quibus uti datur, ne ad generalem confugere opus habeamus. Neque diffitemur, methodos ſpeciales eſſe clariores, & earundem uſum faciliorem: qua de cauſa noſtrum quoque eſſe exiſtimamus eas tradere in Philoſophia morali. Non

Digitized by Google

Non tamen exiſtimandum eſt, methodum generalem ideo eſſe nihili faciendam. Etenim ea uſui eſt in ſpecialibus inveniendis ac demonſtrandis, atque memoria facilus retinendis. Immo iuvat methodus generalis ſpecialium applicationem. Præterea velim eos, qui ſibi aliisque perſuadere conantur, quaſi nulla prorſus methodo opus ſit in hominum moribus conjectandis ex affectibus, quod ſine methodo hoc præſtet vulgus naturali acumine quodam, probe notare quod vulgo haud raro præcipitentur judicia, & per præcipitantiam errori reddantur obnoxia. Hanc autem præcipitantiam naſcendumque inde errorem evitare valet, qui certa methodo utitur. Immo ſi inquirere volueris, quomodo, qui nulla methodo in detegendis moribus per affectus uti videntur, inde eosdem detegant; faventibus circumſtantiis ea omnia fieri, quæ hic præcipiuntur, etſi qui faciunt diſtincte eadem non cognoſcant. Nos igitur hæc diſtincte explicamus, ut, quæ caſui debentur, ſint in poteſtate noſtra.

§. 795.

Dum affectu corripitur animus, mutatio vultus impediri nequit. Etenim quando anima affectibus commovetur, ſanguis ac fluidum nerveum in corpore motu extraordinario agitatur, a quo mutatio vultus pendet (§. *611. Pſych. empir.*), ut adeo poſito affectu ponatur etiam mutatio vultus. Quoniam igitur ab arbitrio tuo minime pendet, utrum velis eam poni, nec ne, immo affectus tam ſubito corripiunt animum, ut arbitrio nullus relinqueretur locus, etiamſi ea ab eodem penderet, quemadmodum obvia experientia nemini non conſtat; vultus mutatio, dum affectu corripitur animus, impediri nequit (§. *726. Ontol.*). *Mutatio vultus dum affectu corripitur animus num impediri poſſit.*

Cum caſu præſente minime confundendus eſt alius, quo affectus prævilus cohibetur, ne oriatur. Etſi enim vi definitionis realis ex circumſtantiis præſentibus colligas, adeſſe affectus rationem ſufficientem, adeoque eum poni debere; non tamen valet illatio niſi cum hac reſtrictione, niſi cohibeatur,

beatur, ne animum invadat. Per ſe autem patet, ſi affectus ſupprimitur ne oriatur, ceſſare quoque ea, quæ eidem in corpore reſpondent, conſequenter etiam mutationem vultus. Qui in Pſychologia rationali cum laude fuerit verſatus, ut, quæ in eadem demonſtrantur, animo probe comprehenderit; eidem circa propoſitionem præſentem ne minimum quidem dubium ſuboriri poteſt. Abunde nimirum convictus ſit neceſſe eſt, nihil contingere in anima, cui non quædam in corpore reſpondeat mutatio indivulſo quaſi nexu eidem cohærens.

§. 796.

Num geſtus ab affectu pendentes cohiberi poſſint.

Geſtus ab affectu pendentes cohiberi poſſunt, ſi, dum is oritur, ſtatim adſit animus eos cohibendi. Etenim geſtus ſunt motus brachiorum determinato ſitu partium ad eadem pertinentium facti (§. 709.). Experientia autem domeſtica unusquisque convincitur, brachia eorumque partes mobiles arbitrio noſtro ita ſubjici, ut, prout nobis viſum fuerit, moveri motusque eorundem ſiſti, immo motus jam naſcens cohiberi poſſit. Quamobrem dubitandum non eſt, quin geſtus ab affectu pendentes cohiberi poſſint, ſi, dum is oritur, ſtatim adſit animus eos cohibendi.

Experientia veritatem propoſitionis præſentis confirmat. Videmus ex. gr. quosdam homines furore agitatis ſimiles ſeſe præbere, ubi ad iram provocantur, ut ideo ira furor brevis jam olim dici ſueverit, hoc tamen non obſtante geſtus conſuetos ob aliorum præſentiam cohibere: quos quod cohibeant, ex confeſſione ipſorum colligitur, quod ægre ſeſe continere potuerint. Dantur autem rationes complures, cur cum affectu naſcente ponatur animus geſtus ab eodem pendentes cohibendi. In earum numero eſt propoſitum firmum eos cohibendi, quod in ipſo ortu affectus animum ſubit (§. 117. *Pſych. empir.*).

§. 797.

Vocis mu-

Vocis mutatio in primo impetu affectus, præſertim vehe-

vehementioris, impediri nequit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo paulo ante evicimus, dum affectu corripitur animus, mutationem vultus impediri minime poſſe. *tatio num impediri poſſit ubi affectu corripitur animus.*

Quæ paulo ante monuimus de ſtudio Pſychologiæ rationalis (*not.* §. 795.), ea etiam hic repetenda ſunt. In præſenti ſufficit, ſi experientiam conſulamus, præſertim domeſticam. Abunde enim convincemur, mutationem vultus impediri a nobis minime poſſe, niſi affectu jam langueſcente ſua quaſi ſponte ceſſet. Quamobrem cum caſu præſente non confundendus eſt alter, quo affectus quaſi in ortu ſuo ſupprimitur, aut ſtatim ſedatur, antequam in verba erumpis.

§. 798.

Verba præmeditata dicuntur, quæ quod proferre velis decreviſti, nec niſi debita attentione profers, ne ſint decreto contraria. *Verba præmeditata quænam dicantur.*

Decretum aut poſitivum eſt, quo vel in genere determinatur, qualia verba proferre velis, vel in ſpecie ipſa verba proferenda deſignantur: aut privativum, quo ſtatuitur, qualia vel quænam verba proferre nolis.

§. 799.

Affectus ſuggerit verba, quæ appetitionem vel averſionem præſentem, aut voluptatem vel tædium eidem conjunctum ſignificant. Etenim affectus ſuggerere nequit verba, niſi quæ ſignificant quidpiam, quod eidem ineſt: alias enim non per affectum intelligitur, cur hæc jam proferas verba, non alia; conſequenter in eodem non continetur ratio, cur ea proferas (§. 56. *Ontol.*), adeoque nec eadem ab affectu dependent (§. 851. *Ontol.*). Verum enimvero affectus jucundi in appetendo conſiſtunt, & cum magno voluptatis gradu conjunguntur (§. 608. *Pſych. empir.*); moleſti in averſando conſiſtunt, & cum inſigni tædii gradu conjunguntur *Qualia verba ſuggerat affectus.*

Digitized by Google

(§. 609. *Pſych. empir.*) ; mixti denique cum ex jucundis conſtent, actus volitionis & averſionis includunt, & voluptas ac tædium in iisdem permiſcentur (§. 610. *Pſych. empir.*). Quamobrem verba, quæ affectus ſuggerit, appetitonem vel averſionem, aut voluptatem vel tædium eidem conjunctum ſignificant.

Verba pendere ab affectu, ut eundem ſignificent, obvia experientia confirmatur, dudumque obſervatum fuit, ita ut etiam Rhetores orationem ab affectibus pendentem diſtinxerint a reliqua. Figuræ enim rhetoricæ, quæ dicuntur, non ſunt niſi modi loquendi, quibus latitantes animi affectus exprimuntur. Ceterum ne cui ſcrupulus ſuboriatur circa demonſtrationem, dum in ea conjunguntur, quæ in definitionibus (§. 608. & ſeqq. *Pſych. empir.*) disjunguntur; tenendum eſt, in definitione ideo hæc disjungi, quæ hic conjunguntur, quia alterutrum affectui agnoſcendo & ab alio alterius generis diſcernendo ſufficit, adeoque perinde ſit, quodnam in applicanda definitione attendere velis: hic vero ubi quæritur, quænam ſint ea, quæ affectibus inſunt, conſequenter verbis ſignificari poſſunt, conjungi, quæ in definitione disjunguntur, cum ex ipſa definitionis notione pateat eadem conſtanter ſimul adeſſe. Qui igitur quod facimus carpere voluerit, defectum acuminis ſui logici quin prodat dubitandum non eſt. Si quis exterorum miretur, talia moneri; ei perſpecti non ſunt Germanorum mores.

§. 800.

Quomodo ſermo prodat affectum.

Sermo affectum prodit, quatenus verba profers, quæ appetitionem vel averſionem præſentem, aut voluptatem vel tædium eidem conjunctum ſignificant. Etenim ſermo conſtat ex vocabulis, quibus actus facultatum animæ, veluti perceptiones, appetitiones & averſiones ſignificantur (§. 713.). Quamobrem cum ſermo prodat affectum, ut is ex eodem colligatur, ejusque ſpecies dignoſcatur (§. 754.); ea pro-

Digitized by Google

profers verba, quæ affectus ſuggerit. Suggerit autem affectus verba, quæ appetitionem vel averſionem præſentem, aut voluptatem vel tædium eidem conjunctum ſignificant (§. 799.). Sermo igitur affectum prodit, quatenus verba profers, quæ appetitionem vel averſionem præſentem, aut voluptatem vel tædium eidem conjunctum ſignificant.

Quibus hoc fieri poſſit modis, in præſenti non inquirimus. Pertinet hæc diſquiſitio ad philoſophiam moralem, ubi de ſignis affectuum cum in genere, tum cujuslibet affectus in ſpecie agitur. Cum enim inter hæc ſigna principem fere locum obtineat ſermo, quin ejus inprimis habenda ſit ratio nullo modo dubitari poteſt.

§. 801.

Quomodo actiones affectum prodant.

Si id facis, vel non facis, ad quod agendum vel non agendum affectus tendit; actiones eundem produnt. Etenim ſi id facis, vel non facis, ad quod agendum vel non agendum affectus tendit (§. 535.); per affectum intelligitur, cur hoc facias, vel non facias, conſequenter ratio in eodem continetur actionis ſive poſitivæ, ſive privativæ (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum conſtet ratione ſufficiente actionis poſita poni actionem (§. 118. *Ontol.*); ex actione colligitur poni affectum. Quamobrem cum actio affectum prodat, quatenus eum ex eadem colligis; evidens eſt, actionem prodere affectum, ſi id facis, vel non facis, ad quod agendum vel non agendum tendit affectus.

Nemo dubitat, facta & non facta prodere affectus, cum prodant appetitionem & averſionem, cui eadem reſpondent, & in quibus affectus conſiſtit (§. 603. *Pſych. empir.*). Neque negandum eſt, hinc affectum, cui indulget animus, haud raro nullo negotio agnoſci, ita ut hoc modo eundem colligat vulgus. Diffitendum tamen non eſt, ſubinde multa opus eſſe circumſpectione, ut actiones dijudices, num ſint eæ, ad

Digitized by Google

quas affectus tendit. Etſi enim actio omnis, quæ ab affectu procedit, aliquid ab eodem trahat, quod abeſt, ſi aliunde procedit ejusdem generis ac ſpeciei actio; artis tamen eſt, ut hoc ipſum detegas. Sed accurata talium explicatio ad philoſophiam moralem ſpectat. Duo nimirum ſi faciunt idem, non eſt idem, ubi alter agit impetu affectus impulſus, alter alia de cauſa agit. Referendum hoc eſt ad ea, quæ hactenus non ſatis expenſa ob neglectum Pſychologiæ.

§. 802.

Quomodo affectus diſſimuletur.

Si affectum diſſimulare volueris, neceſſe eſt ut impedias, ne vultus mutatus obſervetur, ut cohibeas geſtus, qui ab eodem pendent, ut pauliſper taceas, donec tibi redditus fueris, ſeu affectus langueſcat, ne de objecto affectus verba miſceas cum altero, niſi præmeditata, & ne vel facias, vel non facias, ad quod agendum vel non agendum tendit affectus. Etenim ſi affectum diſſimulare volueris, eum occultare vis, ne alius quis norit, eundem animum tuum occupare (§. 717.). Enimvero affectum (§. 752.), ipſamque ſpeciem produnt vultus, geſtus, vox atque ſermo (§. 753.), ex quibus non modo in genere colligitur, quod animus affectu perturbetur, ſed ipſa etiam ſpecies dignoſcitur (§. 754): produnt etiam actiones, ſi id facis, non vel facis, ad quod agendum vel non agendum tendit affectus (§. 801.). Quamobrem ſi affectum diſſimulare volueris, neceſſe eſt ut impedias, ne vultus, geſtus, vox atque ſermo, vel actiones eundem prodant. Quoniam igitur mutatio vultus impediri nequit, dum affectus oritur (§. 795.); ubi eum diſſimulare volueris, neceſſe eſt ut impedias, ne vultus mutatus ab aliis obſervetur. Similiter, quia vocis mutatio in primo impetu affectuum, præſertim vehementiorum, impediri nequit (§. 797.); ne voce affectum prodas, neceſſe eſt ut, ubi eum diſſimulare volueris, pauliſper taceas, donec ſcilicet

cet langueſcente affectu tibi redditus fueris. Cumque porro geſtus ab affectu pendentes cohiberi poſſint, ſi, dum is oritur, ſtatim adſit animus eos cohibendi (§. 796.); ubi affectum diſſimulare volueris, geſtus, qui ab eodem pendent, cohibendi. Similter, quoniam affectum prodit ſermo, quatenus verba profers, quæ appetitionem, vel averſationem præſentem, aut voluptatem vel tædium cum affectu conjunctum ſignificant (§. 800.), conſequenter quæ affectus ſuggerit (§. 799.); ſollicite cavendum, ne talia proferas verba, ubi affectum diſſimulare intendis, adeoque neceſſe eſt, ut vel nulla de objecto affectus cum altero verba miſceas, vel quando circumſtantiæ aliud jubent, probe perpendas, num vocabula, quibus uteris, ſint talia, quæ ſuggerit affectus. Quamobrem cum verba præmeditata ſint, quæ quod proferre velis decreviſti, nec niſi debita attentione profers, ne ſint decreto contraria (§. 798.); ſi affectum diſſimulare volueris, de ejus objecto cum aliis miſcenda ſunt verba nulla niſi præmeditata. Denique quia actiones affectum produnt, ſi id facis, vel non facis, ad quod agendum vel non agendum affectus tendit (§. 801.); per ſe patet, ſi affectum diſſimulare volueris, requiri, ut ne facias, vel non facias id, ad quod agendum vel non agendum affectus tendit.

Nimirum affectus, quibus animus tuus corripitur, alterum latent (§. 769.), adeoque ſi nolis eos ab altero agnoſci, ſigna eorundem diagnoſtica occultanda ſunt (§. 786.). Quoniam itaque ſigna diagnoſtica deſumuntur a vultu, geſtu, voce, ſermone atque actionibus (§. 754. 801. 767.); nil hic præcipi patet, quam ut ſigna diagnoſtica affectuum occultentur. Signa hæc diagnoſtica ponuntur independenter ab arbitrio animæ, & vulgo parum ad ea animum attendunt, qui affectu corripiuntur. Quamobrem haud adeo facile eſt ea-

dem occultare, neque exiſtimandum eſt absque multa exercitatione atque uſu ſatisfieri poſſe iis, quæ hic præcipiuntur. Facilius eſt impedire ne affectus oriantur, etſi adſit cauſa iis excitandis ſufficiens, vel eosdem in ipſo ortu ſuo ſupprimere, quamvis & hoc maxime arduum ſit ac difficile, ſi in ſe ſpectetur. Accidit nonnunquam, ut ob circumſtantias præſentes cum affectu aliquo ſuſcitetur adhuc alius, qui ſigna quædam diagnoſtica tollit, veluti ſi pudor reprimit geſtus inordinatos ad iram provocati, aut ſilentium imperat, ne verba injurioſa evomantur. Non diffiteor, quod caſu contingit, poteſtati noſtræ ſubjici poſſe, ut ad affectus diſſimulandos proſit: ſed quænam ſit affectus unius vis in alterum in Philoſophia morali expendemus.

§. 803.

Determinatio voluntatis ad affectum diſſimulandum.

Qui affectum diſſimulare debet, ei vel propoſitum eſſe debet eundem diſſimulandi, antequam is oritur, aut dum oritur, vi circumſtantiarum præſentium ipſe determinandus eſt ad eum diſſimulandum. Si quis enim affectum diſſimulare debet, neceſſe eſt ut eum diſſimulare velit; id quod per ſe patet. Quoniam itaque cum affectu poni debet volitio eum diſſimulandi; neceſſe eſt ut voluntas jam ante determinata ſit ad eum diſſimulandum, quam affectus oritur, aut ut tunc demum, quando oritur, determinetur. Quodſi voluntas jam ante determinata fuit ad affectum diſſimulandum, quam is oritur, neceſſe eſt ut ante decreverimus eum diſſimulare, vel in genere in aliorum præſentia ſive ſimpliciter, ſive ſub certis circumſtantiis, vel in ſpecie affectum prævisum in dato caſu (§. 497. *Part. I. Theol. nat.*), ut hujus memores decreti (§. 117. *Pſych. empir.*) ipſum, dum affectus oritur, exequi velimus, conſequenter propoſitum eum diſſimulandi adeſſe debet (§. 503. *Part. I. Theol. nat.*). Si vero tum determinanda eſt voluntas ad affectum diſſimulandum,

dum, dum is oritur, cum ratio aliqua adeſſe debeat, cur determinetur (§. *70. Ontol.*), per ſe vero pateat hanc aliunde quam a circumſtantiis præſentibus deſumi minime poſſe; quin vi circumſtantiarum præſentium affectum diſſimulaturus determinandus ſit ad eundem diſſimulandum dubitandum non eſt. Evidens adeo eſt, qui affectum diſſimulare debet, ei vel prpoſitum eſſe debere eundem diſſimulandi, antequam is oritur, aut, dum oritur, vi circumſtantiarum præſentium determinandum eſſe ad eum diſſimulandum.

Ex demonſtratione liquet, triplici modo determinari voluntatem ad affectum diſſimulandum, vel per propoſitum generale, vel per propoſitum ſpeciale, vel denique per circumſtantiarum præſentium momenta. Affectus avertunt attentionem a circumſtantiis præſentibus (§. 531.), atque adeo non facile eſt vi earum determinare voluntatem ad diſſimulandum. Iidem vero attentionem trahunt in objectum, circa quod verſantur (§. 530.), ut adeo propoſitum eosdem diſſimulandi, quod jam ante nobis fuit, quam orirentur facilius memoriam ſubeat (§. *117. Pſych. empir.*). Propoſitum ſpeciale aut, ſi mavis, ſingulare ſupponit affectum prævifum. Enimvero nemo diffitebitur affectum, quem diſſimulari conſultum eſt, non ſemper prævideri poſſe. Quamobrem præſtat propoſitum generale affectum diſſimulandi. Atque adeo patet, ſi quis affectus diſſimulare voluerit, conſultiſſimum eſſe, ut propoſito generali eosdem diſſimulandi utatur. Etſi enim non ſemper conſultum ſit, ut affectus diſſimuletur, immo interdum e re ſit, ne diſſimuletur, facilius tamen eſt ex circumſtantiis præſentibus judicare, num a propoſito hic & nunc ſit recedendum, quam absque iſtiusmodi propoſito vi circumſtantiarum præſentium ad diſſimulandum affectum ſeſe determinare. Immo cum affectus diſſimulare artis ſit (§. 802.), nihil omnino profeceris, niſi in iisdem diſſimulandis multum operæ colloces. Vix autem iis diſſimulandis ſtudebis, niſi tibi fuerit propoſitum diſſimulandi generale. Quamobrem com-

Digitized by Google

commodiſſimum eſt, ſi ope hujus ad diſſimulandum te determines in dato caſu. Equidem dantur caſus particulares, in quibus determinatio ad diſſimulandum vi circumſtantiarum ſingularium eadem facilitate procedit, quemadmodum colligere licet partim ex iis, quæ de vitanda culpa præcepimus in ſuperioribus, partim ex iis, quæ ſuo loco ſuoque tempore de prudentia inculcabuntur: enimvero hic nobis negotium eſt cum iis, quæ univerſalitate ſua ceteris præſtant. Nemo autem non videt me vel tacente, propoſitum diſſimulandi familiare eſſe debere, ut veluti ſponte ſua tibi ſuccurrat, dum affectus, quo corripitur animus, tibi conſcius es. Unde percommodum accidit hoc propoſitum cum ſtudio diſſimulandi conjungi, quo ipſum familiare reddatur.

§. 804.

Præſentia animi ad diſſimulationem affectus, dum oritur, requiſita.

Qui affectum diſſimulare debet, præſentis animi ſit neceſſe eſt, dum oritur. Etenim qui affectum diſſimulare debet, ei vel propoſitum eſſe debet eundem diſſimulandi, antequam oritur, conſequenter ejus meminiſſe tenetur, dum oritur, vel vi circumſtantiarum præſentium, dum oritur, ad ſimulandum ſeſe determinare debet (§. 803.). In caſu itaque primo mentis acies in ipſum affectum præſentem intendenda (§. *109. Pſych. empir.*), adeoque attentio in eum dirigenda (§. *237. 235. Pſych. empir.*); in ſecundo judicaturi bonum eſſe ut affectum diſſimulemus (§. *891. Pſych. empir.*) ad circumſtantias præſentes animus attendendus (§. *361. Pſych. empir.*). Quoniam itaque animo præſens eſt, qui omnem affert, &, quamdiu opus eſt, conſervat attentionem ad id, quod ipſi præſens eſt, conſequenter ad actionem præſentem (§. 648.); qui affectum diſſimulare debet, præſentis animi ſit neceſſe eſt, dum oritur.

Qui mediante affectu, quo corripitur, propoſitum diſſimulandi in memoriam ſibi revocare debet; is judicare tenetur, ſe nunc hoc affectu corripi, ſaltem actus animæ, circa affe-

Digitized by Google

affectum præſentem ſeſe exerit, per hoc judicium diſtinctè explicabilis ſit neceſſe eſt. Secus enim deficit ratio ſufficiens recordationis propoſiti, non ponendæ niſi iſta poſita (§. *118. Ontol.*). Et qui vi circumſtantiarum præſentium appetitum determinare debet ad affectum, dum oritur, diſſimulandum; quales ſint hæ circumſtantiæ, & quomodo ſeſe habeant ad ipſum perpendere, atque hinc colligere tenetur, quod eundem diſſimulare bonum ſit, conſequenter aut diſtincto ratiocinio inferre debet hanc concluſionem, aut ſtatus animæ per ſyllogiſſimum explicabilis ſit neceſſe eſt, cujus minor exprimit relationem circumſtantiarum præſentium ad ipſum, major vero eſt notio boni, qua ob tales circumſtantias diſſimulatio judicatur bona. Hæc per naturam animæ adeo evidentia ſunt, ut in dubium revocari minime poſſint niſi ab eo, qui in Pſychologia hoſpes ac peregrinus rationem eorum, quæ in anima contingunt, ignorat. Experientia quoque veritatem propoſitionis præſentis abunde confirmat, ſi quando caſu contingit affectum diſſimulari, &, ſi quis experimentum in ſeipſo capere voluerit, veritatis convincetur.

§. 805.

Præſentia animi in primo affectus impetu difficillima. Etenim qui præſentis animi eſſe voluerit, cum affectu quodam corripitur, is attentionem omnem afferre, &, quamdiu opus eſt, conſervare tenetur tum ad affectum ipſum, tum ad circumſtantias præſentes (§. 648.). Enimvero affectus omnium maxime attentionem trahunt in objectum, circa quod verſantur (§. 530.), conſequenter etiam ad id, ad quod agendum & non agendum tendunt (§. 535.), atque adeo obſtant, quo minus ad affectum ipſum atque circumſtantias præſentes animum attendamus (§. 377. *Pſych. rat.*). Quamobrem facile patet in primo affectus impetu præſentiam animi difficillimam eſſe. *Cur ea ſit difficilis.*

Forſan non deerunt, qui ſibi perſuadent, ad affectum, quo animus corripitur, omnem afferri attentionem, tum quia

affectus, dum oritur, nobis ſumus conſcii, tum quia idem attentionem omnem trahit in objectum, circa quod verſatur (§. 530.), ac conſequenter etiam ad cetera, ad quæ tendit. Enimvero hi erunt, qui ignorant quid ſibi velit attentio, & perperam colligunt ex eo, quod quis ad affectus objectum & ad ea, ad quæ is tendit, animum advertat, quod ad ipſum etiam affectum eundem attendat. Ad attentionem non ſufficit, ut nobis rei perceptæ conſcii ſimus: alias enim actus apperceptionis cum actu attentionis idem eſſet (§. 25. *Pſych. empir.*), cum tamen ab illo diverſus ſit, eundemque præſupponat (§. 237. *Pſych. empir.*). Non minus vero liquet, aliud eſſe attendere animum ad objectum affectus, & ad ea, ad quæ hic tendit, aliud ad affectum ipſum. Etenim qui animum ad affectum ipſum attendit, is ſibi conſcius eſt, hunc affectum nunc occupare animum ſuum, veluti quod nunc iraſcatur, & quidem magis quam ceterorum, quæ ſimul percipit (§. *cit.*); qui vero ad objectum affectus & ad ea, ad quæ is tendit, eundem advertit, is magis ſibi conſcius eſt horum, quam ipſius affectus, veluti verborum injurioſorum, quæ iram provocarunt, & actionum, quibus injuriam ſibi illatam vindicari poſſit. Quodſi diverſitatem hanc rite expenderis, abſque ulla ulteriori ratione largieris, difficillime conſervari attentionem ad affectum ipſum & circumſtantias præſentes, quarum in diſſimulando eodem habenda ratio eſt.

§. 806.

Difficultas diſſimulandi affectum præſentem.

Affectus præſentis diſſimulatio difficillima. Qui enim affectum præſentem diſſimulare voluerit, præſentis animi eſſe debet, dum oritur (§. 804.). Quamobrem cum præſentia animi in primo affectuum impetu difficillima ſit (§. 805.); ipſa quoque affectus diſſimulatio difficillima.

Nimirum ſermo hic eſt de diſſimulatione conſiſtente, ne ulla affectus pateant ſigna diagnoſtica. Atque tum patet omnia pendere a præſentia animi. Etenim impedire debes, ne vultus mutatio obſervetur, cohibere debes geſtus, qui ab eodem pen-

Digitized by Google

pendent, tacere debes, donec tibi fueris redditus, nec de objecto affectus miſcere verba cum altero, nec edere actionem ullam, ad quam affectus tendit. Ecquis vero non videt, niſi naturam animæ ignoret, te in ipſo ortu affectus ſtatim meminiſſe debere, quod vultus, vox, atque hic geſtus, hæc verba, hæ actiones eum prodant, conſequenter ad affectum ipſum omnem afferre debere attentionem, qua in re præſentia animi conſiſtit (§. 648.). Immo ſuo tempore oſtendemus in Philoſophia morali, dum perpendis hæc omnia, & quid fieri debeat decernis, affectum vel in ipſo ortu ſupprimi, vel jam ortum ſopiri. Quodſi vero alterutrum horum fiat, tum diſſimulatione opus non eſt. Pendent etiam quoad vultum, vocem, geſtus, verba atque facta nonnulla ab impetu affectus, quæ ceſſant, dum eidem reſiſtitur, ne vires acquirat. Enimvero hoc denuo cum diſſimulatione affectus minime confundendum. Suo autem loco conſtabit, nec facile eſſe, affectum naſcentem in ipſo ſuo ortu ſupprimere, vel jam natum ſopire, ejusve impetum inhibere. Quamobrem ſi quis vel maxime cum affectus diſſimulatione hæc confundat, quatenus proſunt ei, e cujus re eſt diſſimulatio; non tamen ideo affectus diſſimulati difficultatem negare poterit. Hinc etiam videmus, quod vulgo affectum diſſimulare dicantur, qui ſibi tantummodo temperant a verbis, geſtibus & factis, quæ affectus imperat, etſi ipſum prodat vultus vel etiam vox, manifeſto indicio quod affectus occultatio plenaria, qualis nobis eſt diſſimulatio, pro impoſſibili habeatur. Tantum itaque abeſt, ut difficultas diſſimulandi affectum in dubium vocetur, ut potius metuendum ſit, ne plerique affectus diſſimulationem, qualem nos requirimus, inter ea referant, quæ fieri nullo modo poſſunt. Supponit nimirum exercitationem, de qua hactenus nemo cogitat. Unde non mirum, quod diſſimulationem affectuum poteſtati noſtræ minime ſubjici exiſtimetur.

§. 807.

Affectus præteritus diſſimulatur, ſi nulla proferas verba, nec quicquam facias, unde colligitur, cum animum tuum *Quomodo affectus*

Yy yy 2 in-

præteritus diſſimuletur. *invaſiſſe.* Etenim quamprimum ceſſat affectus nec vultus, geſtus & vox ſubſiſtunt, qui eidem reſpondent; quod per ſe patet. Quamobrem alteri, qui præſentem obſervare non potuit, innoteſcere nequit, animum tuum eidem obnoxium fuiſſe, veluti te facto alterius ad iram fuiſſe provocatum, niſi vel verbis, vel factis eundem prodas, quatenus ſcilicet ea profers verba, vel ea facis, unde colligitur, affectum aliquem animum tuum occupaſſe. Quodſi ergo a verbis iſtis atque factis abſtines, affectum, qui jam præteriit, occultas, ne ſcilicet alter reſciſcat, tibi eundem fuiſſe. Quoniam hæc occultatio diſſimulatio eſt (§. 717.); affectus præteritus diſſimulatur, ſi nulla proferas verba, nec quicquam facias, unde colligitur, eum animum tuum invaſiſſe.

Diſſimulatio affectus præſentis cum diſſimulatione præteriti minime confundenda, omnium autem minime, quando de difficultate diſſimulandi quæſtio eſt. Etenim ubi affectus præteriit, ceſſat illa perturbatio animi, quæ poteſtati tuæ ſubducit alias eidem ſubjecta. Verba autem, quibus affectus, qui jam præteriit, manifeſtatur, vel aperta ſunt, veluti ſi disertis verbis ſignifices, animum tuum hoc affectu fuiſſe commotum, v. gr. te in terrorem fuiſſe conjectum, vel minus aperta, ſi ex iis demum colligendum, quod eodem commotus fuerit animus, veluti ſi conquераris de injuria tibi facta, eamque exaggeres, & vindictam miniteris abſque ulla animi commotione. Definitio enim realis iræ inſinuat, quod ad eam fueris provocatus, ubi primum injuria tibi facta tibi innotuit (§. 868. *Pſych. empir.*).

§. 808.

Cur diſſimulatio conſequens affectus fa- Quoniam ſedatus eſt animus, ubi affectus præteriit, nec attentionem ad diſſimulationem conſequentem afferendam impedit (§. 532. 745.), adeoque minime impediris, ne perpendas, num affectus diſſimulatio e re ſit tua, & quænam

nam ſint verba, quænam facta, a quibus abſtinendum, ubi cum diſſimulare volueris (§. 807.); *diſſimulatio conſequens affectus magis in poteſtate noſtra eſt quam conſiſtens.* *cilior conſiſtente.*

Diſſimulatio affectus conſequens non majorem habet difficultatem, quam diſſimulatio cujusvis alterius. Ceſſat enim ſingularis illa ratio, quæ diſſimulationem conſiſtentem difficillimam reddit (§. 806.), ac ſtatus animi idem eſt, qui in diſſimulatione conſiſtente rei cujuscunque alterius obtinet, nempe nullo affectu perturbatus. Equidem fieri poteſt, ut, ubi de diſſimulatione rei alicujus agitur, affectus quidam invadat animum; ſed tum ſeſe habet per modum impedimenti, quod omni actionum determinationi ac directione objici poteſt ac ſolet (§. 540.). Ejus igitur in præſenti non habetur ratio, ubi ea ſeponimus, quæ ad diſſimulationem affectus conſequentem nil faciunt, ſed ex accidente ſuperaccedunt. Quando vero affectus per modum impedimenti ſuperaccedit, ea tenenda ſunt, quæ de dominio in affectus acquirendo ſupra demonſtravimus (§. *568. & ſeqq.*). Quamvis autem a diſſimulatione conſequente affectus eam difficultatem removeamus, quæ conſiſtentem comitatur; non tamen ideo exiſtimandum eſt, diſſimulationem conſequentem nihil prorſus habere difficultatis; neque enim adeo facile eſt dijudicatu, num verba atque facta nihil ab affectu trahant.

§. 809.

Qui affectum ſimulare voluerit, is fingere debet vultum, vocem, geſtus, ſermonem atque facta eidem respondentia. Cum enim in ſimulatione actio externa internæ ſit contraria (§. 716.); ubi affectus ſimulari debet, externa adeſſe debent, quæ ab eodem pendent, dum animus ab eo liber eſt. Enimvero pro varietate affectuum variant vultus, geſtus, vox, ſermo (§. 753.), & ab iisdem certæ pendent actiones, quæ eundem produnt (§. 801.). Quamobrem ſi affectum ſimulare volueris, vultus ita compoſitus eſſe de- *Quanam ad affectum ſimulandum requirantur.*

 bet,

Digitized by Google

bet, qualis in eodem eſſe ſolet, ii eſſe debent geſtus, ea vox, is ſermo, eæ actiones, quæ eidem conveniunt. Qui itaque affectum ſimulare voluerit, is fingere debet vultum, vocem, geſtus, ſermonem atque facta eidem convenientia.

Acutiores facile vident in affectu ſimulando eorum omnium habendam eſſe rationem, quæ in propoſitione præſente commemorantur. Etenim ſi quid horum aliter ſeſe habuerit, inter ſigna diagnoſtica datur contrarietas, quæ affectum abſentem loquitur, adeoque ſimulationem prodit. Hæc probe perpendi velim, ne quis ſimulationem affectus in poteſtate ſua ſibi eſſe perſuadeat, quæ tamen eidem non ſubjicitur, & ne incautus prodat, quod occultare intendit.

§. 810.

Qualis ad hanc ſimulationem requiratur theoria.

Quoniam affectum ſimulaturus fingere debet vultum, voces, geſtus, ſermonem atque facta eidem reſpondentia (§. 809.); *qui affectum ſimulare voluerit, ei perſpectum eſſe debet, quomodo in eodem componendus ſit vultus, qualis eſſe debeat vox, quinam geſtus, quinam ſermo, quænam facta eidem reſpondeant*, conſequenter cum veritatum univerſalium conplexus theoria ſit (§. 467. *Pſych. rat.*), *qui affectum ſimulare voluerit, is theoria de vultu, voce, geſtibus, ſermone atque factis cuilibet affectui convenientibus inſtructus eſſe debet.*

Deſideratur hactenus theoria iſta, adeoque non eſt quod miremur, ſi in affectibus ſimulandis parum circumſpectos ſeſe præbeant, qui eidem operam dant. Videmus ſane oratores tam ſacros, quam profanos, atque actores in theatro habere animum ſimulandi affectum, quo minime commoventur, ſed vultum ac vocem ab eo, quem ſimulant, affectu eſſe alienum, nunc geſtus, nunc verba parum eidem convenire, aut ſaltem admiſceri, quæ eidem contraria ſunt. Inde eſt, ut, ſi eadem verba proferantur ab eo, cujus animus affectu commovetur, & ab alio, qui eundem ſimulare inten-

Digitized by Google

tendit, differentiam magnam percipiant auditores, etſi ignari, unde ea proveniat. Hinc dudum invaluit conſilium, ſi vis flere alios, ipſe fleto: quo ſane ſignificatur, ſi alterum ad affectum quendam commovere, ſeu eundem in ipſius animo excitare volueris, eundem in te ipſo excites opus eſſe; quod quantum ſit in poteſtate noſtra, ut excitatio affectus in locum ſimulationis ſuccedat, hic non inquirimus. Abſit autem, ut tibi perſuadeas, affectum ſimulari, qui intentione ſimulandi excitatur. Qui enim hoc facit, non affectum ſimulat, quippe qui adeſt, ſed vel objectum affectus, vel ſuum de eodem judicium, vel quodcunque aliud, veluti convictionem, aut gradum ejusdem.

§. 811.

Quoniam affectus ſimulatio ſupponit theoriam de vultu, voce, geſtu, ſermone atque factis cuilibet affectui convenientibus (§. 810.), hæc autem theoria adhuc deſideratur (*not.* §. *cit.*), immo ſi eadem completa proſtaret, multa tamen exercitatione opus foret, ut eandem prompte ad praxin transferres (§. *430. Pſych. empir.*), de qua tamen hactenus nemo cogitat; *affectus præſentis ſimulatio parum in poteſtate noſtra eſt.* *Cur affectus ſimulatio parum ſit in poteſtate.*

Quam parum affectuum ſimulatio in poteſtate noſtra ſit, quilibet proprio experimento ſtatim addiſcere valet, &, ne aliis tribuat, quod ſibi deeſſe experitur, ad exempla tantummodo advertendus eſt animus, ad quæ modo provocavimus (*not.* §. *810.*). Qui affectus ſimulare nituntur, ad geſtus, ſermonem & facta confugiunt, ſed vultus & vocis nullam rationem habent, ſaltem non perpendunt, num vultui atque voci inſint affectui contraria: id quod absque theoria difficulter judicaveris. Immo nec inquirunt, an ipſi etiam geſtus, ſermo & facta in nonnullis deficiant, ut, qui ſufficientem ad ea attentionem affert, abſentiam affectus, qui ſimulatur, inde colligere queat: quemadmodum nec curant, ſiquidem hiſce admiſceantur affectui contraria. Qui hæc dijudicare

Digitized by Google

care voluerit, is diſtinctas ſingulorum notiones habere debet, quibus deſtitui ſimulatores nemo non novit. Inprimis autem maxima objicitur difficultas, quod ſingula talia præciſe eſſe debeant, qualia imperat affectus. Qui affectus ſimulare intendunt, notiones confuſas conſulunt, quas antea experti ſunt. Ecquis vero eſt qui neſciat, eas minime ſufficere, ubi ſatis circumſpectum te præbere volueris, &, cum per eas diverſa tanquam eadem appareant, lapſum in errorem eſſe longe facillimum? Non urgemus (quod deinceps oſtendemus), omni ſimulationi ineſſe, quæ eam produnt, modo ſufficiente acumine uti valeas ad diſcernendum diſcrimen quod inter id, quod ſimulatur, & inter id, quod ſincerum eſt, intercedit.

§. 812.

Affectus præteriti ſimulatio quomodo fiat.

Si affectum præteritum ſimulare vis, hoc eſt, *ſi ſimulare intendis, quaſi affectu aliquo fueris correptus, vel verbis id ſignificandum eſt apertis, vel talibus, ex quibus is colligitur, aut actiones committendæ, quales ab eodem pendent.* Etenim ſi ſimulare intendis affectum, fingere debes vultum, vocem, geſtum, ſermonem atque facta eidem reſpondentia (§. 809.). Enimvero vultus, vox atque geſtus tantummodo ponuntur cum affectu præſente (§. *611. Pſych. empir.*), conſequenter ceſſant, ubi affectus præteriit. Quamobrem affectum præteritum ſignificare nequis niſi verbis, vel apertis, quando dicis te affectu iſto fuiſſe correptum, vel talibus, ex quibus id colligi poteſt, aut iſtiusmodi factis, qualia ab affectu pendent. Quodſi ergo affectum præteritum ſimulare volueris, aut id ſignificandum eſt verbis apertis, vel talibus, ex quibus is colligitur, aut actiones edendæ, quæ ab eodem pendent.

Non confundenda eſt cum ſimulatione affectus præteriti ſimulatio affectus adhuc ſubſiſtentis, ubi etiam vocis mutationi & geſtibus locus eſt, veluti ſi quis ſimulet terrorem,

in

Digitized by Google

in quem modo fuerit conjectus, voce anhela & artubus tremulis. Etenim ſi omnis terror iterum evanuit, ut animus prorſus ſit ſedatus, nec vox anhela eſt, nec tremuli amplius ſunt artus.

§. 813.

Cur ſimulatio affectus præteriti potestati magis ſubjiciatur, quam præſentis.

Quoniam vel ſola experientia conſtat, magis ab arbitrio noſtro pendere, quænam verba proferre, & quamnam actionem committere velimus, quam mutationem vultus, ſedato præſertim animo, ſeu nullo affectus impetu agitato; in ſimulatione autem affectus præteriti verbis tantummodo atque factis locus eſt (§. 812.), cum ad ſimulationem præſentis requiratur etiam mutatio vultus (§. 809.); *ſimulatio affectus præteriti magis in poteſtate noſtra eſt, quam præſentis.*

Hinc etiam videas, affectus præteritos ſucceſſu feliciori ſimulari, quam præſentes: ſit ita, quod in ſimulando non ſatis cautos ac circumſpectos ſeſe præbeant, qui ſimulant affectus præteritos. Hoc vero omni ſimulationi accidit.

§. 814.

Quomodo circumſpectos nos præbeamus in ſimulandis affectibus præteritis.

Quia ad affectum præteritum ſimulandum requiritur ſermonis uſus, requiruntur facta, ex quibus colligitur affectus (§. 812.), qui vero affectum ſimulare vult, ei perſpectum eſſe debet, quinam ſermo, quænam facta eidem conveniant, conſequenter theoria inſtructus ſit neceſſe eſt de ſermone atque factis affectui convenientibus (§. 810.); *qui affectum præteritum ſimulare voluerit, is ponderare debet verba & facta, num affectui ſignificando conveniant, & cavere, ne quid admiſceatur, quod eidem contradicat*, conſequenter *circumſpectum ſeſe præbere tenetur non modo in agendo, verum etiam in ſermone.*

Quamvis adeo ſimulatio affectus præteriti magis in poteſtate noſtra ſit, quam præſentis (§. 813.); non tamen ideo

Digitized by Google

difficultate caret. Etenim quia adhuc deſideratur theoria, qua opus eſt, ubi ſatis circumſpectum in ſimulando te præbere volueris (*not.* §. 754.), &, ſi vel maxime completa proſtaret, in ejus tamen applicatione non contemnenda requiritur diligentia, inprimis etiam cautio adhibenda, ne quid contradictorii admiſceatur, haud raro multum negotii faceſſit, & præſentiam animi requirit; haud exiguæ artis eſt in ſimulando præterito affectu non peccare, præſertim ſi tibi fuerit negotium cum eo, qui in detegenda ſimulatione multum induſtriæ poſuit, ſatisque acutum ſeſe præbuit. Utut enim contingat ſimulationem multiplici defectu laborantem non carere ſuo ſucceſſu, propterea quod ii, cum quibus negotium eſt, facile ſibi imponi patiantur, non tamen hinc concludi poteſt, ſimulationem eſſe facilem, ubi in genere de eadem pronunciandum, qualis ſit. Neque enim hic quæſtio decidenda ex circumſtantiis extrinſecis, quæ ex accidente ſuperveniunt, ſed ex ipſa notione rei. Idem notandum eſt in aliis caſibus.

§. 815.

Simulatio affectus futuri quomodo ſeſe habeat.

Affectus futurus ſimulatur eodem modo, quo præteritus. Nimirum qui affectum præteritum ſimulat is non ſimulat eum, quo jam commovetur animus, & qui affectum futurum ſimulat, is ſimiliter non ſimulat, in præſenti eodem commoveri animum ſuum, conſequenter in utroque caſu ea ceſſant, quæ affectum tantummodo præſentem comitantur, atque adeo non relinquuntur alia, niſi quæ ad abſentem nunc ſignificandum facere poſſunt. Affectus itaque futurus eodem modo ſimulatur, quo præteritus.

Affectus etiam futuros ſimulari ignotum non eſt. Ita ſimulat gaudium futurum, qui verbis ſive apertis, ſive minus apertis ſignificat, ſe lætitia exultaturum, quando hoc evenerit, quod eventurum eſſe vel certo conſtat, vel ſaltem probabile, vel ut eveniat in votis eſt. Similiter nihil fere frequentius eſt, quam ut triſtitia futura ſimuletur ſub iſtiusmodi conditione.

§. 816.

Digitized by Google

§. 816.

Quoniam affectus futurus eodem modo ſimulatur, quo præteritus (§. 815.), qui vero affectum præteritum ſimulare vult, vel verbis eum ſignificare debet apertis, vel talibus, ex quibus is colligitur, aut actiones committere, quæ ab eodem pendent (§. 812.), probe autem ponderare tenetur verba & facta, num affectui ſignificando conveniant, & cavere ne quid admiſceatur, quod eidem contradicat (§. 814.); *Qui affectum futurum ſimulare voluerit, vel verbis eum ſignificare debet, ſive apertis, ſive talibus, unde is colligitur, vel factis, probe autem ponderare tenetur tam verba, quam facta, num eidem ſignificando conveniant, & cavere, ne quid admiſceatur, quod eidem contradicat.* *Idem ſpecialius docetur.*

§. 817.

Qui ex affectibus mores alterius conjectare voluerit, is certus eſſe debet eos non ſimulari. Etenim qui ex affectu alterius mores conjectare voluerit, is ſumit alterum hoc affectu hac de cauſa commoveri, vel commotum fuiſſe, & inde colligit judicium de moribus alterius (§. 794.). Quamobrem ſi, quod ſumit, falſum fuerit, quod inde colligitur, cum veritate conſentiens haberi nequit. Enimvero ſi quis affectum ſimulat, ab eodem immunis eſt (§. 716.), conſequenter, quod hac de cauſa fuerit excitatus, falſum eſt. Neceſſe igitur eſt, ut certus ſis affectum non ſimulari, ſi ex eo mores alterius conjectare volueris. *Cautio adhibenda in conjectandis moribus ex affectu.*

Propoſitionem hanc, quam nemo non admiſerit, non alio fine in medium adducimus, quam ut memores ſimus cautionis in conjectandis hominum moribus adhibendæ, ne incauti fallamur.

§. 818.

Quænam in eligendis affectibus ad mores conjectandum obſervanda. Quoniam affectum præſentem omnium certiſſime prodit vultus, quippe cujus mutatio, dum oritur, impediri nequit (§. 795.), idemque ſtatuendum de voce (§. 797.), in ſimulatione autem affectus præteriti (§. 814.), vel etiam futuri verbis tantummodo atque factis locus eſt (§. 814. 815.), & præteriti, conſequenter etiam futuri (§. 815.) ſimulatio magis in poteſtate noſtra ſita, quam præſentis (§. 813.); *Qui ex affectibus mores alterius conjectare voluerit, is ad præſentes potius, quam ad præteritos vel futuros reſpicere debet*, ſeu *in conjectandis hominum moribus affectus præſentes præferendi ſunt præteritis atque futuris* (§. 817.).

Nimirum cum certus eſſe debeas affectum non ſimulari, niſi in conjectandis moribus a veritate aberrare volueris (§. 817.); ii omnino affectus præferendi ſunt, quos minus ſimulari poſſe conſtat, ceteris, quorum facilis eſt ſimulatio, quoniam in priori caſu non modo rarior eſt ſimulatio, verum etiam facilior detectu. Ceterum affectibus præſentibus in præſenti negotio æquipollent ii, quos dudum præteritos aliorum fide accepimus, modo vera narrari certum ſit. Inde eſt, quod quæ de affectibus aliorum ab Hiſtoricis narrantur, quorum fides ſuſpecta non eſt, ad mores eorundem conjectandos proſint. Quæ enim fide digna narrantur, ea perinde ſeſe habent, ac ſi ipſimet præſentes eadem vidiſſemus. Quamobrem ubi & teſtimonium de affectu præterito vel futuro proprium ſuſpectum non eſt, nec quoad hoſce & affectum præſentem in præſenti negotio ulla eſt differentia.

§. 819.

Idem ulterius expenditur. Quoniam in affectibus, qui ex improviſo, poſita ratione ad eum ſuſcitandum ſufficiente vi definitionum realium, invadunt alterius animum, ſimulationi vix ac ne vix

qui-

Digitized by Google

quidem locus eſt; *affectus ex improviſo alterius animum occupantes moribus ejus conjectandis tutiſſime adhibentur* (§. 817.).

Si quis ea nullo modo prævidere potuit, quæ cauſam dant affectui; nec ulla adeſt ratio, cur ſuſpicari velimus ſimulationem, ubi nulla interjecta mora ponitur, poſita ejus cauſa. Hæc quidem tenenda ſunt, ubi ſimulatos affectus a ſinceris dignoſcere non valueris. Subinde autem utilitate ſua minime caret, ſi vel maxime ex affectibus, quos ſimulatos non eſſe certo non noſti, immo quos ſimulatos eſſe ſuſpicaris, alterius mores conjectes: conjectura enim vel fallax uſui eſſe poteſt, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet. Quemadmodum in omni cognitione conjecturis contenti eſſe debemus, ubi ad veritatem liquidam pervenire non datur, ac iſtiusmodi conjecturæ multum habent uſum tam in theoria, quam praxi; ita ſimiliter in præſenti negotio conjecturæ non ſunt contemnendæ, ubi certa morum cognitio nobis denegatur.

§. 820.

Adhuc alterius idem expenditur.

Denique quia affectus aperti omnem ſimulationis metum excludunt (§. 782. *h.* & §. 31. *Pſych. empir.*); *affectus aperti hominum moribus conjectandis maxime inſerviunt* (§. 817.).

Affectus plerumque eſſe apertos, modo in ſpeciebus diſcernendis fueris ſatis exercitatus, experientia loquitur. Ita nemo non hoc videt, ſi quis ira exardeſcit, ſi quis triſtitia afficitur, ſi gaudio exultat, ſi odium adverſus alterum ſpirat.

§. 821.

Quando affectus ab imaginatione dependeat.

Si imaginatio ſuggerit ea, per quæ objectum repræſentatur ut tale, quale notio boni, vel mali tibi familiaris requirit, ſive omnia, ſive aliqua; affectus ab eadem dependet. Etenim affectus oritur ex repræſentatione boni vel mali (§. 605. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi imaginatio ſuggerit ea vel omnia, vel aliqua, per quæ objectum repræſentatur ut tale, quale notio boni vel mali tibi familiaris requirit,

Digitized by Google

per actum imaginationis intelligitur, cur oriatur affectus, conſequenter in eodem continetur ratio, cur oriatur (§. 65. *Ontol.*). Affectus igitur ab imaginatione dependet (§. 851. *Ontol.*).

Affectus ab imaginatione pendere, quatenus ejus vi ideæ præteritæ reproducuntur, experientia confirmat. Quamobrem in conjectandis hominum moribus ex affectibus imaginationis quoque habenda eſt ratio. Etenim mores alterius conjecturi inquirimus in notionem, vi cujus quid ſibi repræſentat tanquam bonum, vel malum (§. 705.). Quoniam itaque affectus ab imaginatione dependet, quatenus hæc ea ſuggerit, per quæ objectum affectus tanquam bonum vel malum repræſentatur, mores alterius conjectaturus utique inquirere tenetur, quænam ad affectus geneſin conferat imaginatio. Ad eam qui animum non advertunt, vel nihil agunt, vel in errorem prolabuntur. Neque diffitendum eſt, imaginationem haud raro magnas, immo inſuperabiles objicere difficultates in præſenti negotio, cum non facile ſit detegere ea, quæ objectum affectus vel circumſtantiæ præſentes idem comitantes in memoriam revocant, quemadmodum vel ex lege imaginationis liquet. Affectus ſæpe apertus eſt, ut in ejus ſpecie detegenda nulla arte opus ſit, aperta quoque eſt cauſa, cur fuerit ſuſcitatus; ad definitionem vero realem animum advertens capere nequis, cur ea de cauſa affectus invaſerit alterius animum. Quodſi ergo detegere nequeas, quid imaginationi debeatur; ejus nullus uſus eſt in detegendis moribus. Qui artem conjectandi aliorum mores exercere voluerit, veritatem eorum, quæ hic dicuntur, propria experientia docebitur. Immo eadem addiſcet, qui tantummodo ad affectus, quibus alios commoveri videt, animum advertere, ac qua de cauſa fuerint excitati, inquirere voluerit.

§. 822.

Unde hoc nobis in-

Si per circumſtantias præſentes objectum affectus ut tale repræſentari nequit, quale requirit definitio realis affectus; ima-

imaginatio ea ſuggerit, per quæ ut tale repræſentatur. Etenim cum definitio affectus realis doceat, quomodo objectum repræſentari debeat, ut oriatur affectus; ubi eodem alterius animum occupari obſervamus, quin objectum ut tale repræſentetur, quale requirit definitio realis affectus, dubitandum non eſt. Quodſi ergo per circumſtantias præſentes ut tale repræſentari nequit; neceſſe eſt ut vi earundem mentem tuam ſubeant, quæ ad hanc ejus repræſentationem requiruntur. Patet itaque imaginationem ea ſuggerere, per quæ ut tale repræſentatur (§. *117. Pſych. empir.*). *noteſcat.*

Diximus in conjectandis hominum moribus rationem quoque habendam eſſe eorum, quæ imaginatio ad repræſentationem objecti affectus ſuggerit. Doceri igitur debebat, undenam innoteſcat, imaginationem quædam ſuggerere ad objectum ita repræſentandum, ut oriatur affectus. Notandum vero duplicem eſſe caſum, quo objectum affectus per circumſtantias præſentes ut tale repræſentari nequit, quale definitio realis ejusdem requirit, vel quia prorſus non apparet, cur objectum haberi poſſit bonum vel malum, aut cur bonum vel malum non cenſeri queat tantum, quantum requirit gradus affectus. In caſu priori imaginatio omnia ſuggerit, per quæ ut tale repræſentatur; in poſteriori aliqua. Ne vero in applicando principio præſente lapſum committas; probe perpendendum, num omnes circumſtantiæ tibi ſint perſpectæ, & num ſingulas ſatis excuſſeris. Latent haud raro circumſtantiæ, quas adeo obſervare nequis, quantamcunque ad præſentia afferas attentionem, veluti ſi in circumſtantiarum numero ſit, quod Mævius Titio utatur inimico, hoc vero a te ignoretur, vel quod hic præditus ſit moribus tibi minime perſpectis, & quænam ſunt hujusmodi cetera alia.

§. 823.

Si per circumſtantias præſentes objectum affectus ut tale *Difficultas*

id detegendi. *tale repræſentari nequit, quale requirit definitio realis affectus; ut inde colligatur minor ſyllogiſmi explicatoris, vi legis imaginationis eruenda ſunt, quænam ſuggerat imaginatio, aut, ubi hoc fieri nequit, minor ſyllogiſmi explicatoris a nobis determinari nequit.* Etenim minor ſyllogiſmi explicatoris vi definitionis realis affectus, quo animus alterius corripitur, ex circumſtantiis præſentibus colligenda (§. 793.). Aut igitur per circumſtantias iſtas in ſe ſpectatas patet, objectum affectus ut tale repræſentari, quale requirit definitio affectus realis, aut non, conſequenter cum minor ſyllogiſmi explicatoris objectum affectus repræſentet tale, quale eſſe debet, ut vi notionis boni vel mali, quæ tibi eſt, tanquam bonum vel malum repræſentetur (§. 789.), aut minor ſyllogiſmi explicatoris ex circumſtantiis in ſe ſpectatis colligi poteſt, aut inde colligi nequit. Quoniam itaque ſi per circumſtantias præſentes objectum affectus repræſentari nequit ut tale, quale requirit definitio realis affectus, imaginatio ea ſuggerit, per quæ ut tale repræſentatur (§. 822.); neceſſe eſt, ut minor ſyllogiſmi explicatoris ex iis colligatur, quæ imaginatio ſuggerit. Enimvero quæ imaginatio ſuggerit, ex circumſtantiis præſentibus vi legis imaginationis eruenda ſunt (§. *117. Pſych. empir.*). Quamobrem ſi per circumſtantias præſentes objectum affectus ut tale repræſentari nequit, quale requirit definitio realis; ut inde colligatur minor ſyllogiſmi explicatoris, vi legis imaginationis eruenda ſunt, quænam imaginatio ſuggerat. Quodſi ergo hoc fieri a te nequit, fieri quoque non poteſt, ut minor ſyllogiſmi explicatoris a te determinetur.

Diximus ſuperius, ſi objectum affectus hujusque ſpecies innotuerit, ex circumſtantiis præſentibus vi definitionis realis colligi debere minorem ſyllogiſmi explicatoris (§. 793). Nunc autem patet, id duplici modo fieri debere, prout affectus

Digitized by Google

fectus vel ab imaginatione dependet, vel tantummodo ab iis, quæ nunc ſenſu percipiuntur. Etenim minor ſyllogismi aut ex circumſtantiis præſentibus immediate colligitur, quando ſcilicet ortus affectus non referendus ad imaginationem, aut nonniſi mediate, quatenus ex circumſtantiis præſentibus vi legis imaginationis eruuntur, quæ imaginatio ſuggerit, & ex his tandem colligitur minor ſyllogismi explicatoris. Qui legem imaginationis perſpectam habet (§. 117. *Pſych. empir.*), ei ignotum non eſt, ea, quæ ſuggerit imaginatio occaſione circumſtantiarum præſentium, ab hiſce per ſe non pendere, ut notiones eorundem ſufficiant explicandæ mutuæ a ſe invicem dependentiæ, ſed ex accidente eſſe, ut perceptio eorum, quæ imaginatio ſuggerit, dependeat a perceptione circumſtantiarum præſentium. Quamobrem quænam alteri occaſione circumſtantiarum præſentium ſuggerat imaginatio, ut ad affectum concitetur, cui circumſtantiæ per ſe cauſam non dant, plerumque magis divinando, quam certo ratiocinio aſſequi licet, & ubi ad divinandum ſufficientia data non adſunt, nihil efficere datur. Videmus adeo, quasnam difficultates in conjectandis moribus ex affectibus cauſetur imaginatio, vel difficulter tollendas, vel prorſus inſuperabiles. Divinationem eorum, quæ imaginatio occaſione circumſtantiarum præſentium ſuggerit, non eſſe facilem quivis experiri poteſt, præſertim cum ea hactenus nullis regulis ſit adſtricta, quippe quæ Logicæ probabilium ſunt.

§. 824.

Quandonam morum ex affectibus conjectatio certior.

Quoniam ad conjectandum hominum mores ex affectibus minor ſyllogismi explicatoris perſpecta eſſe debet (§. 794.), quando autem per circumſtantias præſentes objectum affectus ut tale repræſentari nequit, quale requirit definitio realis affectus, imaginatio difficultates faceſſit ſubinde inſuperabiles (§. 823.); *Si ex affectibus aliorum mores inveſtigandi, id fieri expedit, quando ex circumſtantiis præſentibus minor ſyllogismi explicatoris immediate colligitur.*

Nimirum cum imaginatio difficultates faceſſat, eædem ceſſant, ubi ejus in ſuſcitando affectu nullæ ſunt partes, ut ejus in ſtatu animi, qui tunc obtinet, nulla habenda ſit ratio: Favent circumſtantiæ conjectandis moribus ex affectibus, ubi minor ſyllogismi explicatoris ex iisdem immediate colligi poteſt.

§. 825.

Remedium adverſus impedimenta ab imaginatione objecta.

Similiter quia imaginatio morum ex affectibus conjectationem ſæpe difficilem, ſubinde prorſus irritam reddit (§. 823.); *detecturus in caſu dato, num quædam & quænam ſuggerat imaginatio, circa idem ſubjectum plures inſtitutas obſervationes inter ſe conferre, & in examinandis affectibus propriis in ea inquirere debet, quæ imaginationi tribuenda.*

Nimirum qui per conjecturas veritatem aſſequi voluerit, ei & materia conjectandi in promptu eſſe debet, & ars ipſa conjectandi familiaris ſit neceſſe eſt. Quænam ad conjectandum neceſſaria ſint principia, ipſo uſu addiſcitur, & quæ iisdem applicandis occaſionem præbent experientia ſuggerit, ipſaque ars nonniſi multo uſu acquiritur & perficitur (§. 430. 431. *Pſych. empir.*). Proderunt autem ad iſtiusmodi exercitia principia ſpecialia, quæ in Philoſophia morali ſtabilienda.

§. 826.

Ars conjectandi mores hominum ex actionibus ſinceris poſſibilis.

Ex actionibus hominum ſinceris tam poſitivis, quam privativis mores eorundem conjectare licet. Etenim actio ſincera externa cum interna conſentit (§. 714.), adeoque ſi actionem committimus, certum eſt nos eam qua talem committere velle, & ſi eandem omittimus, non minus certum eſt, nos eam qua talem omittere velle, ſeu committere nolle. Enimvero quoties quid volumus, id nobis repræſentamus tanquam bonum, & quoties quid nolumus, id nobis repræſentamus tanquam malum (§. 892. *Pſych. empir.*): id

id quod etiam de appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva valet (§. 893. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi actionem ſinceram committimus, neceſſe eſt ut eandem nobis repræſentemus tanquam bonam; & ſi committere nolumus, neceſſe eſt, ut eandem nobis repræſentemus tanquam malam. Quoniam itaque hinc patet, bonum haberi, quod tale judicatur, malum vero, quod tale exiſtimatur; ex actionibus hominum ſinceris colligere licet notionem, vi cujus agens actionem certi generis vel ſpeciei ſibi repræſentare ſolet tanquam bonam vel malam. Sed qui mores alterius conjectat, in hanc potiſſimum notionem inquirit, (§. 705.). Patet itaque ex actionibus hominum ſinceris tam poſitivis, quam privativis, quarum ſcilicet illæ in committendo, hæ in omittendo conſiſtunt (§. 24. *Part. I. Phil. pract. univ.*), mores hominum conjectare licere.

Homines quoque aliorum mores ex ipſorum actionibus conjectare ſolent: ſed cum non ſatis circumſpectos ſe gerant, mirum videri haud quaquam debet, ſi ſæpius fallantur. Abſit autem ut quis hinc inferat ipſam conjectandi artem lubricam eſſe atque fallacem: neque enim arti tribuenda ſunt, quæ artifici imperito aut incauto, immo non artifici tribuenda. Sane qui non ſatis circumſpecti ſunt, actiones ſinceras a ſimulatis non diſcernunt, adeoque promiſcue iisdem utuntur. Ceterum nemo non videt, ſpecialem actionum theoriam, quæ philoſophiæ morali reſervatur, plurimum uſui eſſe, ſiquidem ex actionibus aliorum mores conjectare volueris. Unde cui hæc ars curæ cordique eſt, is eandem ſibi familiarem reddere tenetur. Etſi enim generalia, quæ hic tradimus, utilia ſint, immo ad ſpecialia intelligenda faciant; non tamen ſufficiunt.

§. 827.

Quoniam actiones conſuetæ ſinceræ ſunt (§. 734.), eædemque moribus conformes (§. 747.), ex ſinceris autem actionibus mores hominum conjectare licet (§. 826.); *Cur hic ad actiones in conſuetas*

Digitized by Google

recurren- dum. *conjectandis hominum moribus ex ipſorum actionibus uſui inprimis ſunt actiones conſuetæ.*

In conjectandis hominum moribus ex eorundem actionibus certi eſſe debemus, quod hæ ſint ſinceræ, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet. Unde ſi optio datur, tales ſeligendæ ſunt actiones, de quibus nullum nobis ſupereſt dubium, quod ſint ſinceræ. Quamobrem cum de conſuetis idem extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit (§. 734.); eædem præſenti inſtituto maxime accommodatæ. Quænam vero actiones ſint conſuetæ, facile patet, ubi cum aliis multa nobis intercedit conſuetudo, ut quænam in eodem caſu conſtanter fieri ſoleant conſtet (§. 729.). Conſueto enim modo agunt homines, niſi rationes ſingulares aliud ſuaſerint.

§. 828.

Cur ad indeliberatas. Similiter quia actiones indeliberatæ conſuetæ ſunt (§. 738.), & moribus conveniunt (§. 750.); *in conjectandis hominum moribus actiones indeliberatæ maxime uſui ſunt* (§. 827.).

Sunt actiones indeliberatæ in conſuetarum numero (§. 738.), adeoque per præcedentem propoſitionem patet, quod in conjectandis hominum moribus maxime uſui ſint. Immo ſuperfluum videri poterat demum moneri, ad conjectandos hominum mores facere actiones indeliberatas, ubi conſtat hoc fine potiſſium ſeligendas eſſe actiones conſuetas. Enimvero facilius agnoſcitur, actionem aliquam eſſe indeliberatam, quam conſuetam, cum hoc ſupponat multam cum agente conſuetudinem, in priori autem caſu ſingulares etiam dignoſcantur actiones, & haud raro ex eo colligatur, actionem aliquam eſſe conſuetam, quia indeliberatam deprehendimus (§. 738.).

§. 829.

Status ani- *Status animi agentis, dum actionem ſinceram commit-*

mittit, explicabilis eſt per ſyllogiſmum, cujus minor eſt re- mi agentis præſentatio actionis qua talis, major principium generale, dum actio- quo, quod tale eſt, judicatur bonum, concluſio vero judicium, quo nem ſince- actio, qua committitur, judicatur bona. Qui enim actionem *ram com-* ſinceram edit, ejus actio cum interna conſentit (§. 714.), *mittit.* adeoque dum eam committit, eam qua talem committere vult. Quamobrem neceſſe eſt, ut actionem qua talem judicet bonam (§. *892. 893. Pſych. empir.*). Judicat igitur actionem eſſe talem. Succurrit ipſi principium, quo, quod tale eſt, pronunciatur bonum. Et hinc colligitur, actionem, quam committit, eſſe bonam (§ *393 Pſych. empir.*). Videmus adeo ſtatum animi explicabilem eſſe per ſyllogiſmum, cujus minor eſt repræſentatio actionis qua talis, aut, ſi mavis, judicium, quod actio hæc ſit talis: Major principium generale, quo, quod tale eſt, judicatur bonum. Concluſio denique judicium, quo actio, quæ committitur, bona judicatur.

Syllogiſmus nimirum explicatorius hic eſt:

Actio, quæ committenda, talis eſt.
Actio, quæ talis, bona eſt;
Ergo actio, quæ committenda, bona eſt.

Non eſt, quod objicias, agentem hujus ratiocinii ſibi minime conſcium eſſe, conſequenter nos defendere, quod ab experientia abhorret (§. *664. Log.*). Tenendum enim in caſibus particularibus ſyllogiſmum catholicum generalem abire in ſpecialem caſus dati, ubi ſpecialius determinatur, quid ſibi velit eſſe tale, veluti:

Actio hæc lucrum parit.
Actio lucrum pariens bona eſt;
Ergo actio hæc bona eſt.

Immo quia bonum repræſentatur per lucrum, nec termino boni opus eſt in ſyllogiſmo explicatore; ſed ejus potius concluſio eſt, quod actio hæc lucrum pariat, veluti ſi ita argumenteris:

Actio hæc amplam ſpondet mercedem.
Actio amplam mercedem ſpondens lucroſa eſt;
Ergo actio hæc lucroſa eſt.

Præterea probe notandum eſt, nos non contendere, quod ita ſemper ratiocinetur agens; ſed tantummodo ſi ſtatum mentis diſtincte explicare volueris, eas in eadem deprehendi perceptiones, quæ ſingulis ſyllogiſmi explicatoris propoſitionibus reſpondent, ſive eædem diſtinctæ fuerint, ſive confuſæ, ſive prorſus obſcuræ. Relegenda hic ſunt, quæ eodem fine jam alias inculcavimus (*not.* §. 393. *Pſych. empir.*).

§. 830.

Status animi actionem privativam ſincere edentis.

Status animi ſincere agentis, dum actionem omittit, explicabilis eſt per ſyllogiſmum, cujus minor eſt repræſentatio actionis qua talis, major principium generale, quo, quod tale eſt, judicatur malum, concluſio vero judicium, quo actio, quæ omittitur, judicatur mala. Qui enim actionem ſinceram edit, ejus actio cum interna conſentit (§. 714.), adeoque dum eam non committit, ſeu omittit, actionem qua talem non vult committere. Neceſſe igitur eſt, ut actionem qua talem judicet malam (§. 892. 893. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet, quod judicet actionem eſſe talem, dumque hoc facit, ipſi ſuccurrat principium, quo, quod tale eſt, pronunciatur malum, & hinc colligat actionem, quam committere non vult, ſeu quam omittit, eſſe malam (§. 393. *Pſych. empir.*). Videmus itaque ſtatum animi explicabilem eſſe per ſyllogiſmum, cujus minor eſt repræſentatio actionis qua talis, aut, ſi mavis, judicium, quod hæc actio ſit talis; major principium generale, quo, quod tale eſt, judicatur malum; concluſio denique judicium, quo actio, quæ omittitur, judicatur mala.

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, de præſenti quoque intelligenda eſſe me non monente intelligitur.

§. 831.

Digitized by Google

§. 831.

Qui ex actionibus mores alterius inveſtigare voluerit, datis concluſione atque minore ſyllogismi, per quem ſtatus animi agentis explicabilis, invenire debet majorem. Qui enim mores alterius conjectare voluerit, inquirere tenetur in eam notionem, vi cujus agens actionem certi generis vel ſpeciei ſibi repræſentare ſolet tanquam bonam, vel malam (§. 705.), adeoque ſi eos ex actionibus conjectare voluerit, inquirere tenetur in notionem boni vel mali, quam habet, & qua in bono, vel malo dijudicando uti ſolet. Enimvero notio hæc reſpondet majori iſtius ſyllogismi, per quem ſtatus animi agentis, ſeu actionem ſive poſitivam, ſive privativam edentis, explicatur (§. 829. 830.). Quoniam itaque major ſyllogismi innoteſcit, ſi minor atque concluſio nobis innotuit; qui ex actionibus mores alterius inveſtigare voluerit, datis concluſione atque minore ſyllogismi, per quem ſtatus agentis explicabilis, invenire debet majorem. *Quomodo ex affectu inveſtigentur mores.*

Nimirum ad enthymema: Actio hæc talis eſt; Ergo hæc actio bona, vel mala eſt: inveniri debet major, quæ deficit, ſcilicet quod talis actio ſit bona. Convenit adeo methodus inveſtigandi hominum mores ex actionibus poſitivis ac privativis cum methodo eosdem conjectandi ex affectibus (§. 790.). Quamobrem quæ de hac annotavimus (*not.* §. *cit.*); de illa quoque tenenda ſunt, mutatis nempe mutandis. Ceterum & tenenda ſunt ea, quæ de ſyllogismo explicatore monuimus (*not.* §. *823.*). Prærerea notandum eſt, actionem privativam non conſiſtere in ſolo defectu actionis externæ, verum conjunctum habere actum nolitionis poſitivum, qui includit actum volitionis non committendi actionem. Si enim actio externa tantummodo deficit, nullo actu nolitionis eidem reſpondente, ea nec tanquam bona, nec tanquam mala repræſentatur agenti, conſequenter iſtiusmodi actionis omiſſio aut potius defectus nihil facit ad mores alterius detegendos

gendos (§. 705.). Cautione igitur in præſenti negotio opus eſt, ne defectum actionis poſitivæ confundas cum actione privativa. Ita ex eo, quod quis a venere abſtinet, caſtum eundem eſſe non colligitur, ubi Veneri litandi occaſio denegatur.

§. 832.

Quomodo concluſio ſyllogismi explicatoris innoteſcat.

Si conſtat actionem eſſe ſinceram, concluſio ſyllogismi explicatoris per ſe patet. Etenim ſi conſtat actionem eſſe ſinceram, cum ea conſentiat cum interna (§. 714.), certus es, actionem, qua talem, velle, aut nolle agentem, prouti nempe vel poſitiva, vel privativa fuerit. Enimvero cum id, quod volumus, nobis repræſentemus tanquam bonum, quod vero nolumus tanquam malum (§. 892. 893. *Pſych. empir.*); per ſe patet, agentem judicare, quod bona, vel mala ſit hæc actio, ſcilicet in ſe ſpectata, non vero quatenus ad occultandum aliud quid adhibetur. Quoniam itaque concluſio ſyllogismi explicatoris eſt judicium, quod hæc actio ſit bona, vel mala (§. 829. 830.); concluſio ſyllogismi explicatoris per ſe patet, ſi conſtet, actionem eſſe ſinceram.

Nulla igitur arte opus eſt ad concluſionem ſyllogismi explicatoris eruendam, ubi conſtat actionem eſſe ſinceram. Quamobrem patet, cur in moribus hominum conjectandis actiones ſinceras a ſimulatis diſcerni opus ſit, atque huic inſtituto inprimis ſerviant actiones, a quibus omnis ſimulationis ſuſpicio abeſt.

§. 833.

Quomodo minor ſyllogismi explicatoris

Minor ſyllogismi explicatoris per circumſtantias præſentes patet, ad quas animum advertere agentem conſtat. Minor enim ſyllogismi explicatoris eſt judicium, quod actio ſit talis, ſeu repræſentatio actionis, quæ committitur, vel omit-

omittitur, ut talis (§. 829. 830.). Per ſe patet actionem ut talem repræſentari non poſſe niſi per circumſtantias præſentes (§. 95.), nec per eas ut talem repræſentari, niſi ad eas animum advertas; ubi autem nulla ratio habetur, vel habenda eſt circumſtantiarum, actionem non ſpectari, niſi qualis in ſe eſt, vi determinationum intrinſecarum. Per circumſtantias igitur præſentes, ad quas animum advertere agentem conſtat, minor ſyllogiſmi explicatoris patet. *innoteſcat.*

Nimirum agens vel actionem abſolute ſpectat, qualis eſt vi determinationum intrinſecarum, vel ſub conditione præſente, qualis eſt vi circumſtantiarum præſentium, quemadmodum res omnis conſiderari poteſt ac ſolet vel abſolute, vel ſub certa conditione. Quamobrem ubi in ſyllogiſmi explicatoris minorem inquiris, ad circumſtantias animus advertendus, ut appareat, num earum in agendo habita fuerit ratio, an non. Multum quis bibit: cur hoc faciat, non ſemper eadem ratio eſt, conſequenter motivum non ſemper idem eſt (§. 887. *Pſych. empir.*). Qualem igitur ſibi repræſentet hanc actionem ignoras, ſi circumſtantiarum nulla habetur ratio. Per eas igitur dirimendum, num hoc faciat, quia voluptatem ex vino, vel ex ipſo vini hauſtu percipit, vel quia alia quædam ratio adeſt, quæ ipſum ad hoc faciendum determinat, veluti quod faciat in gratiam nonnullorum præſentium, aut ad inſtantiam aliorum. Antequam tibi ratio iſta conſtat, nec ſtatuere vales, quænam ſit minor ſyllogiſmi explicatoris, in qua de actione prædicanda ſunt, quæ notionem boni, vel mali ingrediuntur, ab agente ad determinandam appetitionem, vel averſionem adhiberi ſolitam.

§. 834.

Si ex circumſtantiis præſentibus minor ſyllogiſmi explicatoris eruenda, eadem referenda ſunt ad agentem ac ſtatum ejusdem. Etenim minor ſyllogiſmi explicatoris talem repræſentat actionem, qualem ſibi repræſentet neceſſe eſt, ut vi notionis boni, vel mali ſibi familiaris eandem judicet *Quomodo ea eruatur.*

Digitized by Google

bonam, vel malam (§. 829. 830.), conſequenter in eadem de actione prædicanda ſunt ea, quæ notionem boni, vel mali ingrediuntur (§. 356. 360. 361. *Pſych. empir.*). Enimvero bonum quid exiſtimatur, quatenus facit ad perfectionem agentis, vel ſtatus ejusdem (§. 554. 557. *Pſych. empir.*); malum vero, quatenus facit ad imperfectionem agentis, vel ſtatus ejusdem (§. 565. 568. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi ex circumſtantiis præſentibus minor ſyllogismi explicatoris eruenda, eædem referendæ ſunt ad agentem atque ſtatum ejusdem.

Quodſi homines omnes nunquam appeterent niſi bonum verum, nec averſarentur niſi malum verum, conſtans ac certa foret ex circumſtantiis determinatio minoris ſyllogismi explicatoris, nec ulla reſtaret difficultas, niſi in determinandis iis circumſtantiis, ad quas agens animum advertit, iisque ſeparandis a ceteris, quæ attentionem ejusdem ſubterfugiunt. Enimvero frequentius accidit, ut bonum appetant tantummodo apparens, immo ſi eos verum appetere contingit, idem non appetant, niſi quatenus ut apparens ſpectari poteſt, ſeu ut bonum verum appetant ſub ratione boni apparentis, & ſimiliter ut malum averſentur, quod tandummodo apparet, immo ſi eos verum averſari contingit, idem tamen non averſentur niſi quatenus ipſum ut apparens ſpectari poteſt, ſeu ut malum verum averſentur ſub ratione mali apparentis. Notio boni & mali apparentis non eadem eſt omnibus. *Quamobrem* dum circumſtantiæ præſentes, ad quas animum advertit agens, ad ipſum ejus ſtatum referuntur, multa circumſpectione opus eſt, ne motivum male determines, ſeu ut ea præciſe reperias, per quæ actio tanquam bona vel mala, ſeu ut talis repræſentatur, qualis repræſentanda, ut ipſius judicio bona vel mala haberi poſſit. Naſcuntur inde haud raro difficultates non exiguæ, immo nonnunquam inſuperabiles, etiamſi in te deſiderari non patiaris acumen ac attentionem. Neque adeo eſt, quod miremur, eſſe vulgo præcipitata hominum judicia, ubi de minore ſyllogismi explicato-

catoris quæſtio incidit. Notandum tamen, difficultates, quæ hic comparent, diminui per ea, quæ de ſemiotica morali virtutum ac vitiorum in Philoſophia morali demonſtrabuntur.

§. 835.

Unde innoteſcat, ad quasnam circumſtantias agens animum advertat.

Ad quasnam circumſtantias, quarum in repræſentanda actione qua tali haberi poteſt ratio, animum advertat agens, tum ex aliis circumſtantiis, tum ex verbis agentis colligendum. Attentio eſt actus internus animæ, cujus ſibi conſcius eſſe nequit, niſi agens, adeoque cum lateat alterum (§. 769.), ex aliis, quæ patent, colligendus. Non patent niſi verba, quæ profert alter, atque circumſtantiæ præſentes, quas quilibet præſens obſervare poteſt. Quamobrem ſi aliunde colligendum, ad quasnam circumſtantias, quarum in repræſentanda notione qua tali ratio haberi poteſt, animum advertat agens, id tum ex aliis circumſtantiis, tum ex verbis agentis colligendum.

Inter haſce circumſtantias locum etiam habent vultus atque geſtus: per hoſce enim prodi attentionem a poſteriori ſatis conſtat, ut id demonſtrari non ſit opus.

§. 836.

Quando actio ſimulata ad mores conjectandum inutilis.

Si actio ſimulata habetur pro ſincera, mores alterius hinc colligere non datur. Etenim cum actio ſincera cum interna conſentiat (§. 714.), ſimulata ab eadem diſſentiat (§. 716.); qui actionem ſimulatam habet pro ſincera, is ſumit quod falſum eſt (§. *507. Log.*). Quoniam itaque quod inde colligitur, verum non eſt (§. *96. Ontol.*), nec mores inde colligere datur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Actio ſimulata ab interna diſſentit (§. 716.), adeoque agens eam per ſe non vult, conſequenter falſum eſt, quod actionem iſtam per ſe ſibi repræſentet tanquam bonam (§. *586. Pſych. empir.*).

Digitized by Google

Falſa igitur eſt concluſio ſyllogismi explicatoris (§. 829.), unde pendet morum conjectatio (§. 831.). Quamobrem ſi actio ſimulata habetur pro ſincera, mores alterius hinc colligere non datur.

Nemo non novit, qui artis demonſtrandi peritus eſt, ex falſo aſſumto non poſſe deduci quod verum eſt. Dubium quod moveri poterat ex eo, quod ſubinde in demonſtratione apogogica ex propoſitione falſa colligitur ejus contradictoria vera, ſuſtulimus alibi (§. 98. *Ontol.*). Falſæ Philoſophorum hypotheſes ſunt aſſumta falſa: nemo autem contenderit iis eſſe utendum ad veritatem latentem inveſtigandam. Hæc quidem notanda ſunt ad demonſtrationem priorem, ne principiorum logicorum & ontologicorum non ſatis gnarus circa eandem hæreas. Ipſa etiam experientia abunde confirmat, quantum fallantur, qui actiones ſimulatas habent pro veris in ſuis, quæ de hominum moribus feruntur, judiciis. Et ſine actionibus ſimulatis imponere aliis ſtudent hypocritæ, ut videantur qui non ſunt. Clariſſime hæc eluceſcent ex Philoſophia morali, ubi ſigna virtutum & vitiorum modoſque ſimulandi virtutem expoſituri ſumus.

§. 837.

Cura in diſtinguenda actione ſincera a ſimulata adhibenda.

Quoniam ex actionibus hominum ſinceris mores eorundem conjectare licet (§. 826.), eos autem minime conjectare datur, ſi ſimulata habetur pro ſincera (§. 836.); *Qui mores aliorum conjectare voluerit, ei maxima cura eſſe debet, ut actiones ſimulatas a ſinceris accurate diſtinguat.*

Hæc cura difficultate ſua minime caret, ubi in Philoſophia morali, quæ hactenus nondum adeo exculta eſt, ut principia ad praxin ſufficientia inde peti poſſint, non ſatis fueris verſatus. Atque adeo patet, quam neceſſe ſit eandem excoli, ne fallacia ſint de aliorum moribus judicia: id quod noſtro inprimis ævo apprime neceſſarium, quo Phariſæi ab inferis reſuſcitati pietatem in hypocriſin convertunt, & ſub prætextu pietatis libidini ſuæ litant.

Digitized by Google

§. 838.

Si quis ex actionibus morem alterius conjectare voluerit, 1) neceſſe eſt ut actiones ſimulatas a ſinceris diſcernat, 2) conjectandi conclusionem ſyllogiſmi explicatoris hinc eruat (§. 832.), *3) ex circumſtantiis præſentibus, ad quas animum advertit agens, minorem ejusdem inveſtiget* (§. 833. & *ſeqq.*) *tandemque 4) in enthymemate adhuc deficientem majorem adjiciat.* Etenim qui ex actionibus mores alterius inveſtigare voluerit, ex datis concluſione atque minore ſyllogismi, per quem ſtatus animi agentis explicatur, invenire debet majorem (§. 831.), maximam autem adhibere debet curam, ne ſimulatam actionem pro ſincera habeat (§. 837.), cum alias morum conjectatio non ſuccedat (§. 836.). Quamobrem neceſſe eſt, ut minor ejusdem ſyllogismi atque concluſio ipſi ſit perſpecta, adeoque in utramque inquirere tenetur. *Methodus conjectandi mores ex actionibus.*

Subinde facillimum eſt ex actionibus colligere aliorum mores, ut etiam nullo negotio hoc faciat vulgus: non tamen exiſtimandum eſt, eandem ſemper obtinere facilitatem. Undenam naſcantur difficultates, omnium optime agnoſcetur, ubi Philoſophiam moralem noſtro more dederimus explicatam. Etenim actiones hominum ad certas virtutum & vitiorum ſpecies referuntur, ut earundem quoque motiva ſpecialia ſint, ex quibus demum generalia eruenda. Unde principia generalia de eo, quod bonum eſt, vel apparet, itemque de eo, quod malum eſt, vel apparet, ad conjectandos mores minime ſufficiunt: ſit ita quod ſubinde in iis acquieſcere valeamus. Quæ ſupra de methodo conjectandi mores ex affectibus annotavimus (*not.* 794.); eorum nonnulla de præſenti etiam intelligenda, quemadmodum attente eadem relegenti facile patebit.

§. 839.

Ad actionem ut talem repræſentandam, qualem requirit notio boni vel mali, imaginatio concurrit, ſi ea ſuggerit, *Concurſus imaginatio-*

nis ad actionem ut talem repræſentandam, qualem requirit notio boni vel mali.

rit, quæ ex ea quoad agentem aut ſtatum ejus vel aliàs fuere ſecuta, vel quæ ſequi poſſe is alias didicit. Etenim ſi imaginatio ea ſuggerit, quæ ex actione data quoad agentem aut ſtatum ejus vel alias fuere ſecuta, vel quæ ſequi poſſe didicit; agens actionem refert ad ſe aut ſtatum ſuum, ut pateat, num ad ejus perfectionem vel imperfectionem tendat. Quamobrem cum bonum quid judicetur ex eo, quod ad nos ſtatumque noſtrum perfectiores reddendum tendat (§. *554. Pſych. empir.*), malum vero ex eo, quod ad nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddendum tendat (§. *565. Pſych. empir.*); ſi imaginatio ea ſuggerit, quæ ex actione data quoad agentem aut ſtatum ejus vel alias fuere ſecuta, vel quæ ſequi poſſe is alias didicit, ea ſuggerit, quæ ad actionem ut talem repræſentandam faciunt, qualem requirit notio boni vel mali, conſequenter ad hoc modo eandem repræſentandam concurrit (§. *872. Part. I. Theol. nat.*)

Videmus adeo in conjectandis moribus ex actionibus rationem quoque habendam eſſe imaginationis, ut ſcilicet minor ſyllogismi explicatoris rite determinetur (§. 829.). Oriuntur haud raro hinc difficultates non exiguæ, ad quas tollendas multa circumſpectione opus eſt. Neque enim nobis conſtare poteſt, quænam ſint ea, quæ alter vel ipſemet expertus, vel ab aliis referri audivit, vel denique alio modo didicit, ut pateret, quænam præſentia in memoriam ipſi revocare potuerint. Præterea notandum eſt, homines bonum apparens cum vero plerumque confundere ſolere, & in applicatione boni veri notionis aberrare, bonique apparentis multiplices eſſe notiones. Atque hac de cauſa imaginatio haud raro difficultates haud contemnendas faceſſit, præſertim ubi theoria ſpecialis deficit, nec defectum experientia ſupplet. Ceterum quæ de notione boni dicta, eadem quoque de notione mali intelligenda veniunt.

§. 840.

Digitized by Google

§. 840.

Intellectus ad actionem ut talem repræſentandam concurrit, qualem requirit notio boni vel mali, ſi ratiocinando ea aſſequimur, quæ ex illa quoad agentem aut ſtatum ejus, vel ad actionem abſolute, vel ſub circumſtantiis præſentibus conſequi poſſunt. Etenim ſi ratiocinando ea aſſequimur, quæ ex actione quoad agentem aut ſtatum ejus vel abſolute, vel ſub circumſtantiis præſentibus conſequi poſſunt; agens actionem refert ad ſe aut ſtatum ſuum, ut pateat, num ad ejus perfectionem vel imperfectionem tendat. Quamobrem cum bonum quid judicetur ex eo, quod ad noſtram aut ſtatus noſtri perfectionem tendat (§. *554. Pſyh. empir.*), malum vero ex eo, quod ad noſtram aut ſtatus noſtri imperfectionem tendat (§. *565. Pſych. empir.*); ſi ratiocinando ea aſſequimur, quæ ex illa quoad agentem aut ſtatum ejus vel abſolute, vel ſub circumſtantiis præſentibus conſequi poſſunt, actione intellectus ea aſſequimur, quæ ad actionem ut talem repræſentandam faciunt, qualem requirit notio boni vel mali (§. *325. Pſych. empir.*), conſequenter intellectus ad eam hoc modo repræſentandam concurrit.

Concurſus intellectus ad actionem ut talem repræſentandam, qualem requirit notio boni vel mali.

Ratiocinio eruimus ea, quæ imaginatio ſuggerit aliis, vel ſubinde ea, quæ nonniſi ratiocinando innoteſcere poſſunt. Quamobrem eadem eſt ratio, cur in conjectandis moribus habenda ſit intellectus ratio, quæ urget ut in eisdem rationem habeamus imaginationis, ubi minor ſyllogismi explicatoris determinanda (§. 829.). Quæ vero hic ex parte imaginationis objiciuntur difficultates, eædem quoque locum habent ex parte intellectus. Ceterum nec intellectus ſemper ratiocinatur ex principiis veris, verum etiam falſis, & hæc admodum variant, prout caſus tulerit. Ideo nonnunquam difficultates inſuperabiles ſunt, præſertim ubi theoria actionum ſatis exaſciata deficit. Etſi adeo methodus conjectandi hominum mores ex ipſorum actionibus nihil difficultatis habere vide-

Digitized by Google

videatur; ubi tamen eadem uti volueris, eam pluribus obſeptam deprehendes, quam putaveras. Nec alleganda ſunt exempla in contrarium, quando homines mores ſuos produnt.

§. 841.

Quomodo ea innoteſcant, quæ imaginatio & intellectus ad repræſentandam actionem ſuggerant.

Si ea detegere volueris quæ imaginatio & intellectus ſuggerit, probe perpendenda ſunt, quænam vi circumſtantiarum præſentium actionem comitari, vel ex ea conſequi poſſint, & ex aliis circumſtantiis præſentibus colligendum, quænam horum imaginatio & intellectus ſuggerat, atque animo recolendi, quænam agens expertus fuerit. Quodſi hoc fieri nequeat, nec ea detegere in poteſtate tua eſt. Etenim imaginatio ſuggerere nequit ad actionem ut talem repræſentandam, qualem requirit notio boni vel mali, niſi quæ ex ea quoad agentem aut ſtatum ejusdem alias fuere ſecuta, vel quæ ſequi poſſe is alias didicit (§. 839.), & vi legis imaginationis agenti non ſuccurrunt, niſi quatenus ad circumſtantias præſentes animum advertit (§. *117. Pſych. empir.*). Ea igitur detecturus probe perpendere tenetur, quænam vi circumſtantiarum præſentium actionem comitari, vel ex ea conſequi poſſint: certum nimirum eſt, ſi hæc omnia tibi fuerint explorata, quæſita in eorundem numero contineri. Enimvero cum imaginatio non reproducat niſi ante percepta (§. *92. 117. Pſych. empir.*), porro inquirendum venit, quænam illorum, quæ actionem comitari vel ex ea ſequi poſſe noſti, agens expertus fuerit. Hæc itaque ſi te minime latent, animo recolenda ſunt. Quodſi vero ignores, quænam expertus fuerit alter, cum aliunde id colligere nequeas niſi ex circumſtantiis præſentibus (§. 393. *Pſych. empir.*), quemadmodum & forma demonſtrationis aperte loquitur, quæ modum exhibet per ratiociniorum concatenationem eruendi quod latet (§. *551. 552. Log.*);

ea

Digitized by Google

ex præſentibus circumſtantiis divinandum, quænam illorum imaginatio agenti ſuggerat. Hæc divinatio ſi in poteſtate tua non eſt, cum nullus ſuperſit facultatum uſus alius in iis detegendis, quæ quæris, eadem quoque detegere haud vales.

Non abſimili modo idem oſtendi de intellectu facile conſtabit, ubi ad modum continuationis ſeriei perceptionum, quem cum forma demonſtrandi coincidere conſtat (§ 395. *Pſych. empir.*), animum attendere volueris (§. 393 394 *Pſych. empir.*).

Non negamus, artem conjectandi ſeu divinandi alterius cogitationes regulis adſtringi, quæ ad Logicam probabilium ſpectant, conſequenter praxin fore faciliorem, ubi ars iſta fuerit exculta. Ceterum patet, quam parum ſucceſſus reſpondeat votis, ſi tibi cum agente nulla interceſſit conſuetudo, nec in ratiocinando ſatis fueris verſatus, nec in obſervandis ac perpendendis, quæ præſentia ſunt, ſatis acutus. Forſan non ſuperfluum eſt, denuo moneri, quod nobis hic ſermo ſit de latentibus divinandis, non vero de apertis, veluti ſi quis ſermone prodit aut affectu, quæ hic quæruntur.

§. 842.

Remedium adverſus impedimenta ab imaginatione & intellectu objecta.

Quoniam imaginatio & intellectus morum ex actionibus conjectationem ſæpe difficilem, ſubinde prorſus irritam reddit (§. 841.); *detecturus in caſu dato, quanam imaginatio & intellectus ad repræſentandam actionem ſuggerant, circa idem ſubjectum plures inſtitutas obſervationes inter ſe conferre, & in examinandis actionibus propriis in ea inquirere debet, quæ imaginationi & intellectui tribuenda. Inprimis autem uſui eſt, ſi ea, quæ ex actione vi circumſtantiarum præſentium conſequi poſſunt, & eandem comitantur, ad mores jam aliunde cognitos referas, modo ſatis circumſpe-*

Digitized by Google

ctum te præbueris in diſcernendis circumſtantiis, ad quas animum advertit agens (§. 835.).

Idem remedium jam ſupra (§. 825.) commendavimus adverſus impedimenta, quæ objicit imaginatio in conjectandis hominum moribus ex affectibus: utraque enim methodus impedimenta hæc communia habet, niſi quod in geneſi affectuum nullæ ſint partes intellectus, hoc ſolo caſu excepto, quo ea, quæ intellectu aſſequimur, imaginationi ad reproductionem idearum occaſionem præbent: id quod facile dignoſcitur, quia inter cauſam affectus, quæ datur, & ejus ortum mora aut ſaltem morula interjicitur.

§. 843.

Quantum in ea re nos juvet theoria motivorum ſpecialium.

Quoniam detecturus, quænam imaginatio & intellectus ſuggerat ad actionis repræſentationem, probe perpendere tenetur, quænam vi circumſtantiarum præſentium actionem comitari, vel ex ea conſequi poſſint (§. 842.), hæc, vero demonſtrata ſunt in Philoſophia morali, ubi de motivis actionum ſpecialibus agitur, quemadmodum ſuo loco conſtabit; *ad ſuperandas difficultates, quas imaginatio & intellectus in conjectandis hominum moribus faceſſit, plurimum confert theoria motivorum ſpecialium demonſtrata.*

Methodus adeo conjectandi hominum mores ex actionibus manus auxiliatrices, quemadmodum in aliis, ita etiam in præſenti negotio a Philoſophia morali expectat, quam nondum adeo excultam eſſe, ut huic uſui inſervire poſſit, conſtat. Noſtrum adeo erit in id eniti, ut pro virili defectui huic medeamur.

§. 844.

Modus detegendi ſimulationem ad

Qui ex actionibus aliorum mores conjectare voluerit, ei modus detegendi ſimulationem perſpectus eſſe debet. Etenim qui mores aliorum ex actionibus conjectare voluerit, ei maxima cura eſſe debet, ut actionem ſimulatam a ſincera

acc

accurate diſtinguat (§. 837.). Quoniam vero hoc facere nequit, qui modum detegendi ſimulationem ignorat, quod per ſe patet; qui ex actionibus aliorum mores conjectare voluerit, ei modus detegendi ſimulationem perſpectus eſſe debet. *Conjectandos mores requiſitus.*

Videmus adeo, in id jam nobis inquirendum eſſe, quomodo ſimulatio detegatur: id quod non ſolum in conjectandis moribus, verum etiam in aliis uſui eſſe poteſt.

§. 845.

Actio ſimulata editur occultandæ actionis internæ ac ab ea pendentis externæ gratia. Etenim actio ſimulata diſſentit ab interna, adeoque eidem contraria eſt (§. 716.), conſequenter quod facere mallemus, non facimus, ſed contrarium, aut aliquid facimus, ne pateat, quod facere intendimus. Patet itaque actionem edi ſimulatam, ne alteri pateat quod volumus ac intendimus, conſequenter etiam quid judicemus (§. 892. *Pſych. empir.*), adeoque eandem edi actionis cujusdam internæ aut externæ ab eadem pendentis occultandæ gratia. *Cur ſimulatio fiat.*

Cur actionem ſimulatam edamus, ratio aliqua adeſſe debet. Quodſi vellemus, aut ſaltem non curaremus, alteri innoteſcere, quænam ſit actio mentis interna, aut quidnam facere intendamus, vel jam fecerimus, nulla eſſet ratio, cur ſimulatam ederemus actionem. Enimvero quoniam e re noſtra eſt, ne alter norit, quid facere velimus, aut mallemus, aut quid fecerimus, ideo ad ſimulationem confugimus, ut occultum maneat, cujus alterum gnarum eſſe nolumus. Ita pudicitiam verbis factisque ſimulat, qui, cum impudicus ſit, alterum ejus conſcium eſſe non vult, adeoque verba ſimulata proferuntur, & facta ſimulata fiunt, ut appetitiones, quæ ab impudico animo proficiſcuntur, occultentur, vel etiam ut occultentur actus impudici vel præteriti, vel futuri.

§. 846.

Quamobrem cum nulla adeſt ratio, cur quis volitio- *Quando*

Digitized by Google

ſimulationi non ſit locus. nem aut nolitionem, veram animi ſui ſententiam, vel facta occultare voluerit, nulla ipſi ſimulandi ratio eſt (§. 845.). Quoniam itaque nec locus ſimulationi eſt, ubi nulla ſimulandi ratio (§. 70. *Ontol.*); *Si nulla fuerit ratio, cur quis vel actus internos animæ, veluti volitionem aut nolitionem, aut veram animi ſui ſententiam, vel actionem quandam externam occultare velit; ſimulatio quoque ulla metuenda non eſt.*

Principium hoc in notionum communium numero eſt. Vulgo enim audimus homines contendere, quod nulla adſit ſimulationis ſuſpicio, quia nullam ſe perſpicere poſſe rationem affirmant, cur alter vera animi ſui ſenſa celare velit, aut cur nolit, nos eſſe conſcios ejus, quod fecit, vel facere intendit. Non tamen diffitendum eſt, multam omnino requiri circumſpectionem, ne abuſu hujus principii per præcipitantiam judicemus, præſertim ubi cum moribus hominum conjectandis nobis eſt negotium, ne ſcilicet rationem nullam adeſſe putemus, ubi nullam nobis perſpicere datur. Teſtatur experientia, quantum hic haud raro fallantur, qui hæc duo a ſe invicem probe diſtinguenda minime diſtinguunt. Quoniam vero in conjectandis hominum moribus, in conjecturis acquiescimus, principium præſens utile eſt ad removendum ſimulationis ſuſpicionem.

§. 847.

Quænam diſſimulatio inſit ſimulationi. *Actio ſimulata editur actionis internæ ac ab eadem pendentis externæ diſſimulandæ gratia.* Editur enim actionis internæ ac ab eadem pendentis externæ occultandæ gratia (§. 845.). Sed actionis tam internæ, quam externæ occultatio quomodocunque facta diſſimulatio eſt (§. 717.). Ergo actio ſimulata editur actionis internæ ac ab eadem pendentis externæ diſſimulandæ gratia.

Ita qui pudicitiam ſimulat, cum ſit maxime impudicus, impudicitiam diſſimulat, & ejus diſſimulandæ gratia illam ſimulat. Similiter qui temperantiam ſimulat, cum ſit intemperans, intemperantiam diſſimulat, & hujus diſſimulandæ gratia

Digitized by Google

tia illam ſimulat. Oſtendimus jam in ſuperioribus in ſimulatione intendi occultationem actionis ſinceræ (§. 743.), ac ideo ſimulationi omni ineſſe diſſimulationem ſinceræ actionis (§. 744.); ſed hic urgemus diſſimulandi veri gratia fieri ſimulationem, ita ut, ſi abeſſet intentio diſſimulandi veri, nullus ſimulationi locus relinqueretur.

§. 848.

Finis ſimulationis & Medium diſſimulationis.

Quoniam finis agentis eſt id, propter quod agit (§. 932. *Ontol.*), actio autem ſimulata editur actionis internæ ac ab eadem pendentis externæ diſſimulandæ gratia (§. 847.); *Diſſimulatio actionis internæ ac ab eadem pendentis externæ*, ſeu in genere loquendo, *diſſimulatio ejus, quod eſt, ſive veri, eſt finis ſimulationis*, conſequenter *ſimulatio medium diſſimulationis* (§. 937. *Ontol.*).

Finem ſimulationis noſſe refert, tum ubi in ſimulando te ſatis circumſpectum præbere volueris, tum ubi eam detegere ſtudueris. Finem enim conſecuturus eligere debet media, quæ ad eundem ducunt, & ubi finis ſimulationis detegitur, ipſa ſimulatio latere amplius nequit, ubi vero is tantummodo poſſibilis intelligitur, nondum tamen demonſtrari poteſt, quod ab altero intendatur, ſimulationis ſuſpicio adeſt.

§. 849.

Contrarietas appetitionum atque averſionum in ſimulatione.

In ſimulatione contraria ſunt ſimulatori appetitiones & averſiones. Actio enim ſimulata contraria eſt internæ (§. 716.), adeoque ſimulans eam, quam committit, omittere, & ex adverſo eam, quam committere non vult, committere mallet, niſi faceret ad occultandam actionem internam vel externam (§. 847.). Quoniam vero ſimulator actionem ſimulatam edit, neceſſe eſt ut eam edere velit. Actus igitur appetitus, qui tendit ad actionem ſimulatam poſitivam, contrarius eſt actui, qui tendit ad ſinceram, cui iſta contrariatur (§. 723.), & ſimiliter actus averſationis, qui tendit ad actionem privativam,

 con-

Digitized by Google

contrarius eſt actui appetitus, qui ad ſinceram contrariam tendit (§. *cit.*). In ſimulatore igitur adeſt appetitio actionis poſitivæ ſimpliciter ſpectandæ, averſio ejusdem, quatenus ſpectatur ut occultanda (§. 847.), appetitio actionis ſimulatæ, quatenus ſpectatur ut medium diſſimulationis (§. 848.), averſio ejusdem, quatenus ſimpliciter ſpectatur. Similiter in ſimulatore adeſt averſio actionis privativæ ſimpliciter ſpectatæ, & appetitio poſitivæ contrariæ, quatenus ſpectatur ut occultandæ illius medium (§. *cit.*). Patet itaque in ſimulatione contrarias eſſe ſimulatori appetitiones & averſiones.

Ut propoſitio præſens rectius intelligatur, uno alteroque exemplo eam illuſtrari fas eſt. Ponamus itaque Titium, inimico erga Mævium eſſe animo, quem tamen diſſimulandum judicat. Cum alias eum inviſere conſueverit, nunc non inviſere mallet, adeoque adeſt averſio inviſendi Mævium. Quatenus tamen, ubi inviſerit eundem, hoc conſiderat tanquam medium diſſimulandi inimicum animum, eum inviſit, adeoque adeſt appetitio inviſendi contraria averſioni. In ſimulatione igitur ſimulatori adeſt averſioni contraria appetitio. Similiter ponamus Titio eſſe animum inviſendi Mævium, ſed quod amico utatur in eundem animo diſſimulandum Cajo cenſere, conſequenter nullis precibus adduci poſſe a Gracho ad Mævium inviſendum. Adeſt hic appetitio inviſendi Mævium, quatenus hæc actio ſimpliciter ſpectatur, ſed averſio ejusdem, quatenus ſpectatur ut occultanda Cajo, ne prodatur amicus in Mævium animus. Adeſt appetitio illarum actionum, quibus Grachi precibus reſiſtit, quo minus iisdem annuat, quia actiones iſtæ ſimulatæ, cum veram cauſam Grachum latere velit, ſunt medium hanc diſſimulandi, averſio vero eorundem actuum, quatenus ſpectantur ut contrarii ei, quod facere mallet Titius. Patet itaque in ſimulatione contrarias adeſſe appetitiones & averſiones; plurimæ haud raro appetitiones & averſiones contrariæ in ſimulatione con-

Digitized by Google

concurrunt, quas in caſu dato detegere haud difficile eſt, modo animum ad ſingula attendere velis. Et, ſi obiter ſaltem ſimulationem expendere velis, facile patet appetitionem actionis ſimulatæ contrariari appetitioni vel averſioni ejus, quam occultare intendis (§. 847.).

§. 850.

Vultus ac vocis mutatio appetitionibus & averſionibus reſpondens.

Vultui ac voci inſunt, quæ appetitionibus & averſionibus reſpondent, adeoque pro earundem diverſitate variant. Vultui enim ac voci inſunt, quæ affectus produnt (§. 752.), & pro horum varietate variant (§. 753.). Sunt autem affectus appetitiones ac averſiones vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*), adeoque ab aliis appetitionibus ac averſionibus nonniſi gradu differunt. Quamobrem cum etiam ea, quæ vultui inſunt ac voci, quoad quantitatem differentiam admittant, & hæc ipſa differentia in ipſis affectibus notetur pro eorundem gradu, ac præterea conſtet, vultum ac vocem exprimere quoque ſtatum animi extra caſum affectuum; dubium ſupereſſe poteſt nullum, quin vultui ac voci inſint, quæ appetitionibus & averſionibus reſpondent, adeoque pro earundem diverſitate variant.

Cui perſpecta eſt perpetua harmonia inter modificationes animæ ac corporis, quæ non minus experientia comprobatur, quam ex omni Pſychologia rationali elucet, is quoque nullus dubitabit, vultum ac vocem continere, quæ reſpondent appetitionum & averſionum diverſitati. Experientia enim docet, vultum ac vocem exprimere ſtatum animæ, & affectus omnium clariſſime monſtrant, quod hoc maxime fiat quoad appetitiones & averſiones. Quamobrem qui perpetuam illam harmoniam inter modificationes animæ ac corporis non ignorat; vultum ac vocem variari debere agnoſcit pro diverſitate appetitionum atque averſionum. Qui ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ admittit, hanc dependentiam vultus ac vocis neceſſariam eſſe intelligit ad harmoniam inter animam & corpus conſervandam. Sed nolumus inde oſtendere

dere, quod aliunde tanquam verum agnoſcitur, neque adeo in dubium vocari poteſt ab ullo, quocunque tandem modo commercium inter menten atque corpus explicet. Obſervare licet in brutis, quæ in præſenti propoſitione affirmantur. Etenim experientia loquitur, quod vocem varient pro diverſitate appetitionum & averſionum: quæ cum numero paucæ ſint, nec multæ ſunt voci varietates atque obſervatu facile, quibusnam appetitionibus variatæ voces reſpondeant. Immo quatenus vultus mutationem quandam etiam in brutis admittit, eandem appetitionibus atque averſionibus convenienter fieri obſervamus. Quoniam in brutis minor eſt varietas, obſervationes faciliores ſunt. Non igitur inconſultum eſt, ut ad eas primum animum advertamus. Ingenerantur enim animæ ideæ confuſæ, quæ obſervationes in hominibus inſtituendas facilitant.

§. 851.

Signa diagnoſtica contrarietatis appetitionum & averſionum.

Quoniam vultui ac voci inſunt, quæ appetitionibus & averſionibus reſpondent, ac pro earundem diverſitate variant (§. 850.); *Si qua datur in anima appetitionum & averſionum contrarietas, tum vultui ineſſe debent, quæ iſtam contrarietatem loquuntur, tum vox vultui, tum vultus & vox verbis atque factis contrariari poſſunt.*

Videmus adeo dari contrarietates appetitionum & averſionum, quæ in anima ſimul inſunt, ſigna diagnoſtica (§. 767.): ſit ita, quod hactenus diſtincte cognita non fuerint. Quoniam ſigna iſta, quemadmodum mox patebit, uſum inſignem habent in praxi morali, non inanem operam ſumerent, qui in ea omni cum cura inquirerent, ut certa tandem proſtaret theoria, qua adhuc caremus. Inveſtiganda autem ſunt a poſteriori, cum deſint principia ex quibus a priori deduci poterant.

§. 852.

Signa diagnoſtica ſimulationis.

Simulationem prodit vultus & in ea vox vultui, vultus & vox verbis contrariari poſſunt. In ſimulatione enim contrariæ ſunt appetitiones & averſiones (§. 849.). Sed ſi qua datur

Digitized by Google

tur in anima appetitionum & averſionum contrarietas, tum vultui ineſſe debent, quæ iſtam contrarietatem loquuntur, tum vox vultui, tum vultus & vox verbis contrariari posſunt (§. 851.). Quamobrem in ſimulatione inſunt vultui, quæ eam produnt, & in eadem vox vultui, vultus & vox verbis contrariari poſſunt.

In nonnullis caſibus ſigna diagnoſtica ſimulationis, quæ a vultu, voce & verbis inter ſe collatis deſumuntur, aperta ſunt, ut iisdem vulgo utamur ad eam agnoſcendam. Hactenus tamen non agnoſcitur, in omni caſu ineſſe vultui ac voci verbisque, quæ ſimulationem produnt. Monui alias Sinis hæc ſigna diagnoſtica fuiſſe perſpecta, & eos iisdem feliciter uſos fuiſſe in exploranda veritate in judiciis, in quibus nullum erat juramentum. Etſi enim nullam habuerint theoriam, experientia tamen conſecuti ſunt notiones confuſas, illius vicarias, quæ ad exercendam artem detegendi ſimulationem per ſigna iſta diagnoſtica ſufficiunt.

§. 853.

Simulationem prodit ſermo actioni ſimulatæ contrarius: produnt actiones aliæ eidem contrariæ. Actio enim ſimulata contraria eſt internæ (§. 716.) & ſinceræ externæ (§. 723.), cujus occultandæ gratia ſimulatur (§. 847.). Quamobrem ſi ſermo fuerit actioni ſimulatæ contrarius, adeoque verba profers eidem contraria (§. 713.), vel ſi agis, quæ eidem quomodocunque contrariantur; verba iſta & hæ actiones ſincera ſunt, conſequenter ſimulationem produnt (§. 714. 715.). *Alia ſigna.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Si actio fuerit ſincera, in actionibus externis nulla locum habet contrarietas (§. 715.), conſequenter ubi talis deprehenditur, actio ſincera non eſt, ſed ſimulata (§. 714. 716.). Quodſi ergo ſermo fuerit contrarius actioni ſimulatæ, ſi actiones edun-

Digitized by Google

tur eidem contrariæ; ſimulationem prodit ſermo actioni ſimulatæ contrarius: produnt actiones aliæ eidem contrariæ.

Signa diagnoſtica ſimulationis, quæ a verbis & factis deſumuntur, faciliora ſunt, quam quæ vultus ſuppeditat atque vox, ſi in genere de iisdem pronuncianda ſententia eſt. In caſibus enim particularibus contingit, ex vultu & voce cuivis vel levi attentione utenti ſimulationem, ex adverſo autem non ſine arte atque acumine ex verbis & factis eandem colligi.

§. 854.

Quando metus ſimulationem prodat.

Si quis metuit, dum actionem ſimulatam edit, ne ſimulatio detegatur ab altero; vultui, voci, geſtibus & actionibus externis aliis inſunt, quæ a metu pendent. Etenim vultus, geſtus, vox & ſermo variant pro varietate affectuum (§. 753.), & actiones quoque eosdem produnt (§. 801.), conſequenter vultui, geſtibus, voci, ſermoni & actionibus ineſſe etiam debent, quæ a metu præſenti pendent, ubi animus agentis eodem occupatur. Quamobrem ſi quis metuit, dum actionem ſimulatam edit, ne ſimulatio detegatur ab altero; vultui, voci, geſtibus & actionibus externis aliis inſunt, quæ a metu pendent.

Vides adeo metum præſentem prodere ſimulationem. Experientia loquitur, metum hunc ſeſe diffundere in omnes actiones ſimulatoris, ut in modo agendi aliqua appareat diverſitas, atque hoc ſigno diagnoſtico in detegenda ſimulatione commodiſſime utamur.

§. 855.

Quando eandem prodant

Si ſimulatoris animus affectu ſimulationi contrario occupatur, dum actionem ſimulatam edit; vultui, voci, geſtibus & actionibus externis aliis inſunt, quæ ab affectu pendent, e

dir

deoque ſimulationem produnt. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. *affectus alii.*

Caſus propoſitionis præcedentis ſub caſu præſentis non continetur tanquam ſpecies ſub ſuo genere. Etenim metus, ne ſimulatio detegatur ab altero, ex ipſa ſimulatione naſcitur, affectus autem alii ex accidente ſuperveniunt, nec per ſe ſimulationem attingunt. Si ambitioſi animum invidia torquet, dum cum altero verba facit de ſplendidis conditionibus eidem oblatis, vultus & vox, geſtusque invidiam ſpirant, immo verba ſimulata labe quadam inficiuntur, ut ſimulator abunde prodat, quod occultare intendit.

§. 856.

Si quis ſimulationem per ſigna diagnoſtica ſeu obſervando detegere voluerit, is animum ad vultum, vocem, geſtus, ſermonem atque actiones ſimulatoris attendere debet, ut judicet, num vultus ſit is, quem habet ſimulatio, num inter vocem & vultum, inter vocem, vultum atque ſermonem, inter actionem ſimulatam & ſermonem ac alias actiones detur contrarietas, & num animum occupet affectus ſimulationi contrarius. Quoniam enim ſimulatio, perinde ac affectus quilibet (§. 753.), ſuum habet vultum, & in ſimulatione vox vultui, vultus & vox ſermoni contrariari poſſunt (§. 852.), ac præterea ſimulationem produnt ſermo, actiones aliæ, affectus actioni ſimulatæ contrarii (§. 855.), inprimis etiam metus, ne ſimulatio detegatur ab altero (§. 854.); ſi quis ſimulationem per ea, quæ obſervare licet in ſimulatore, ſeu per ſigna diagnoſtica detegere voluerit, is animum utique eo fine attendere debet ad vultum, vocem, geſtus, ſermonem, ea ſcilicet obſervaturus, quæ ſimulationi contrariantur.

Quomodo ſimulatio per ſigna diagnoſtica detegatur.

Deſtituimur hactenus theoria vultus, ad quam etiam ſpectat diſtincta ejus explicatio, quem habet ſimulatio, non eundem in omni ſimulatore, etiamſi nullum adeſſe ſuppo-

nas affectum, qui eundem alterat. Vultus, quem habet ſimulatio, contrariatur ſimulationi, quatenus ſimulator vult actionem externam haberi internæ conſentientem, inſunt tamen vultui, quæ diſſenſum arguunt, ut actio ſimulata pro ſincera haberi nequeat, quemadmodum vult ſimulator. Contrariatur adeo vultus ſimulationi, quatenus alius eſſe debebat, ſiquidem actio ſimulata foret ſincera, qualem videri vult ſimulator. Quæ de vultu annotavimus de voce quoque dicenda ſunt, nimirum quod quomodo ſimulatio eandem alteret, ejus diſtincta explicatio pertineat ad theoriam vocis hactenus deſideratam, cujus tamen uſus eſt in Philoſophia practica, & uſus eſſe poterat in Arte Oratoria. Quoniam tamen experientia theoriam ſupplet, ideo hoc Catone contenti eſſe debemus, donec Philoſophia practica eo usque fuerit promota, ut ad talia deſcendere detur. Si Ars Oratoria ſatis eſſet exculta, quod tamen fieri nequit, niſi Philoſophia moralis ad aliquem perfectionis gradum fuerit perducta, ut nomen ſuum tueatur; peti inde poterant, quæ ad ſermonem faciunt. Dabimus autem in Philoſophia morali, quæ hic uſui eſſe poterunt. Verum enimvero abſit, ut quis ſibi perſuadeat exaſciatam talium theoriam fore inutilem, cum contenti eſſe poſſimus notionibus confuſis, quas experientia domeſtica ſuggerit, ac regulis hinc abſtractis! Quamvis enim hæ ad conjecturam latentis ſimulationis ſufficiunt, & ſæpe ope earum ſimulationem non infeliciter agnoſcimus; uſus tamen reſtrictior eſt, quam theoriæ, quæ latius diffunditur, & certiorem ſpondet cognitionem. Ceterum hic modus detegendi ſimulationem per ſigna diagnoſtica coincidit cum eo, quo in affectibus detegendis uſi ſumus (§. 754.): utrobique enim ſigna eadem ſunt, etſi differentiæ quædam accidentales adeſſe poſſint.

§. 857.

Motivorum cognitio a cognitione

Si mores hominum cognoſcimus, eorum motiva ordinaria tam generalia, quam ſpecialia nobis innoteſcunt. Etenim ſi mores hominum cognoſcimus, notiones boni vel mali, qui-

quibus in dijudicandis actionibus certi generis vel ſpeciei utuntur, nobis innoteſcuut (§. 705.). Quamobrem cum repræſentationes boni ac mali motiva ſint (§. *890. Pſych. empir.*), dum mores hominum cognoſcimus, motiva eorum innoteſcunt, per quæ ſeſe determinare ſolent ad agendum & non agendum, tum quatenus actiones tanquam ſub certo genere contentæ, tum quatenus tanquam ſub certa ſpecie comprehenſæ ſpectantur. Enimvero motiva ordinaria ſunt, per quæ agens ſe determinare ſolet ad agendum & non agendum, niſi rationes ſingulares adſint, cur hic & nunc aliter agat, vel non agat (§. 726.), eaque generalia, per quæ voluntas & noluntas determinatur, quatenus actiones in genere ſpectantur; ſpecialia vero, per quæ determinatur voluntas & noluntas, quatenus actiones ſpectantur in ſpecie, ſeu tanquam ſub certa quadam ſpecie contentæ (§. 727.). Patet itaque ſi mores hominum cognoſcimus, eorum motiva ordinaria tam generalia, quam ſpecialia nobis innoteſcere. *morum dependent.*

Ideo dantur mores ſeu conſtantes ac perpetui modi actiones determinandi (§. 687.), quia dantur motiva ordinaria, a quibus non receditur, niſi ob rationes admodum ſingulares, ita ut ſub generalibus motivis ordinariis hæc ipſa etiam ſingularia contineantur. Unde cum de moribus ſumus ſolliciti, revera motivorum cognitionem intendimus. Inquirimus enim in notiones agenti familiares, quarum ope actiones ſibi repræſentat tanquam bonas, vel malas. Hæ autem ipſæ notiones motiva ſuppeditant (§. *890. Pſych. empir.*).

§. 858.

Quomodo motiva ordinaria alterius deteriius

Quoniam motiva alterius ordinaria, tam generalia, quam ſpecialia nobis innoteſcunt, ubi mores ejus cognoſcimus (§. 857.); *motiva alterius ordinaria tam generalia, quam ſpecialia eadem methodo inveſtigantur, qua mores alterius*

 rius

Digitized by Google

gantur. *rius conjectantur.* Immo ſi animum advertere lubet tum ad *methodum conjectandi alterius mores ex affectibus* (§. 789. 794.), tum ad *methodum eosdem conjectandi ex actionibus* (§. 829. 838.); extemplo conſtabit, utramque methodum *revera non eſſe niſi methodum inveniendi motiva ordinaria, quæ alteri ſunt, tam generalia, quam ſpecialia.*

Modum adeo inveſtigandi motiva agendi & non agendi ordinaria alterius jam expoſuimus, ut nihil amplius addi ſit opus.

§. 859.

Quomodo ſimulatio detegatur ejus, cujus mores nobis ſunt perſpecti.

Si motiva ordinaria ſpecialia alterius vel ex affectibus, vel ex actionibus conſuetis ac indeliberatis eruis (§. 858. 827. 828.), *& actionem datam iisdem contrariam deprehendis; eam ſimulatam eſſe intelligis.* Etenim actio ſimulata motivis ſpecialibus ordinariis contraria eſt (§. 737.). Quamobrem ubi inquirere volueris, num actio alterius data ſit ſimulata; neceſſe eſt ut eandem componas cum motivis ipſius ordinariis ſpecialibus. Quodſi ergo motiva hæc vel ex affectibus, vel ex actionibus eruis juxta methodos ſupra traditas (§. 794. 838.), & actionem cum iisdem conferens deprehendis, eam eſſe iisdem contrariam; hinc omnino intelligis eam eſſe ſimulatam.

Atque adeo patet, quomodo detegatur ſimulatio *ejus*, cujus mores jam aliunde nobis ſunt perſpecti, conſequenter quomodo ea detegatur absque ſignis diagnoſticis. Si mores alterius fuerint cogniti & explorati, hoc modo ſimulationem vulgo detegere communiter ſolemus. In praxi tamen circumſpectione opus eſt, cum etiam ſubinde phyſica impedimenta adſint, cur a motivis ordinariis ſpecialibus recedamus, veluti ſi quis ob infirmitatem corporis, quam ſentit, a largiori potu abſtinere cogitur, utpote quæ appetitum bibendi vel aufert, vel ſaltem minuit; tum etiam aliæ adeſſe poſſint cauſæ, quæ nos impellunt, ut agamus, quod motivis iſtis con-

tar-

Digitized by Google

trariari videtur: id quod inprimis in caſu colliſionis motivorum contingit.

§. 860.

Dantur etiam motiva ſimulationis. Etenim qui actionem ſimulatam edit, eam edere vult. Enimvero ſine motivis nulla datur in anima volitio (§. 889. *Pſych. empir.*). Ergo neceſſe eſt ut dentur etiam motiva, cur actionem ſimulatam edere velis, ſeu motiva ſimulationis dantur. *Dari motiva ſimulationis.*

In Philoſophia igitur morali, ubi ſingula actionum humanarum genera earundemque ſpecies conſiderantur, inquirendum quoque eſt in motiva, cur in quolibet actionum genere & qualibet earundem ſpecie ſimulationibus locus ſit. Inprimis ibidem doceri debet, quænam ſint motiva ſimulandi mores, quorum in numero etiam ſunt virtutes & vitia. Vitiorum ſimulatio rarior eſt ſimulatione virtutum: ſuo tamen patebit loco, nec illam ad ea referendam eſſe, quæ nunquam fiunt.

§. 861.

Quoniam motiva in repræſentatione boni & mali conſiſtunt (§. 890. *Pſych. empir.*), adeoque omnia ex notionibus boni veri & apparentis, itemque mali veri atque apparentis generalibus deducuntur; *Motiva ſimulatonis in quolibet actionum genere & qualibet earundem ſpecie reperiuntur, ſi ex notionibus generalibus boni veri & ſingulorum generum bonorum apparentium colligas, cur actionem cujuslibet generis vel ſpeciei ſimulari bonum judicari poſſit, itemque ex notionibus generalibus mali, cur ſimulationem omitti malum cenſeri queat.* *Quomodo eadem reperiantur.*

Hæc pars Philoſophiæ moralis hactenus deſerta jacuit: unde non mirum, quod morum ſimulationibus confidant homines, qui videri volunt, qui non ſunt. Exemplo ſunt Neo-Phariſæi, quos Eccleſia Proteſtantium fovet, pietate pompoſa ſe omnibus fucum facere poſſe ſibi perſuadentes.

§. 862.

Digitized by Google

§. 862.

Modus detegendi ſimulationem per theoriam motivorum.

Si motiva ſimulationis, quibus in dato caſu locus eſſe poteſt, conferantur cum motivo generali & ſpeciali agentis in eodem caſu ordinario, & illorum unum conveniat motivo generali, contrarium vero fuerit ſpeciali; actionem datam eſſe ſimulatam conſtat. Quonim enim actio ſimulata motivis ſpecialibus ordinariis contraria, ſed generalibus convenit (§. 737.); motivum actionis ſimulatæ contrarium eſt motivo ſpeciali, ſed convenit generali ordinario, adeoque poſito iſtiusmodi motivo ponitur ſimulatio (§. *118. Ontol.*). Quamobrem ſi motiva ſimulationis, quibus in dato caſu locus eſſe poteſt, conferantur cum motivo generali & ſpeciali agentis in eodem caſu ordinario, & illorum unum conveniat motivo generali, contrarium vero fuerit ſpeciali, quin motivo iſto uſus fuerit agens in determinanda actione ſua, nulla adeſt ratio dubitandi, adeoque conſtat actionem eſſe ſimulatam.

Exemplum quod ſuperius in medium attulimus (*not.* §. *736.*), propoſitioni præſenti illuſtrandæ inſervit. Ex hac autem intelligitur, quantum faciat exaſciata motivorum theoria, ad conjectandum hominum mores & artem hanc longe utiliſſimam, quemadmodum ſuo tempore ſuoque loco conſtabit, facilitandam. Non eſt quod excipias, cum nondum proſtet, theoriam motivorum inter moraliter impoſſibilia referendam eſſe (*not.* §. *875. Log.*), adeoque propoſitionis præſentis nullum eſſe in praxi uſum (§. *cit.*). Etenim in Philoſophia practica univerſali ſufficit generales tradi ſimulationis detegendæ regulas, ut doceatur, quænam in Philoſophia morali ſint tradenda, & eædem in praxi dirigant facultates animæ ad faciendum legitimum earum uſum: ſufficit itaque non præcipi, niſi quæ fieri poſſunt, modo in Philoſophia morali excolenda non deſiderari patiamur induſtriam noſtram. Immo regulas generales, quæ in hac Philoſophiæ parte præ-

ſcri-

Digitized by Google

ſcribuntur, in multis caſibus ſufficere, experientia docebit, modo eas ad praxin transferre volueris. Earum quoque beneficio in aliis, ubi non ſufficiunt, intelliges, cur, quod quæris, invenire non ſit in poteſtate tua: id quod etiam uſibus adſcribendum.

§. 863.

Si quis in aliquo actionum genere vel aliqua earundem ſpecie continuo ſimulat, ſimulatio in morem abit. Etenim qui in aliquo actionum genere vel aliqua earundem ſpecie continuo ſimulat, is quoties agendi occaſio offertur actionem ſimulatam edit, niſi ſingularis quædam ratio contrarium ſuaſerit, adeoque conſtanter ac perpetuo actionem iſtius generis vel ſpeciei eodem modo determinat (§. *1062. Part. I. Theol. nat.*). Quamobrem cum modus conſtans ac perpetuus determinandi actionem mos ſit (§. 687.); quin ſimulatio in morem abeat, ſi quis in aliquo actionum genere vel aliqua earundem ſpecie continuo ſimulat, dubitandum non eſt. *Quando ſimulatio mos ſit.*

Ita hypocriſis, qua pietas ſimulatur, inter mores refertur: hypocritæ enim in omnibus actionibus externis pietatem ſimulant, quæ ad eam referuntur. Similiter, qui in præſentia aliorum conſtanter ſimulat caſtitatem, cum ſit libidini deditus; ejus ſimulatio in morem abit. Hoc probe notandum eſt, ne circa quædam, quæ in ſuperioribus fuere demonſtrata, naſcantur difficultates, veritatem eorum ſuſpectam reddentes.

§. 864.

Hinc mores diſtinguuntur in ſimulatos & veros, quos etiam *infucatos* appellare ſolemus, ſi boni fuerint. Nimirum *Mores ſimulati* ſunt conſtans quædam & perpetua voluntas edendi actiones ſimulatas: *Veri* autem conſtans quædam & perpetua voluntas edendi actiones ſinceras. *Mores veri & ſimulati.*

Digitized by Google

Exemplum morum ſimulatorum eſt pietas ſimulata, ſive hypocriſis, & virtus ſimulata quæcunque alia. Aſt pietas ab omni fuco immunis, & virtus quævis alia ab eodem libera mores veri ſunt.

§. 865.

Quomodo ſe habeat appetitus in moribus ſimulatis.

Mores ſimulati ſupponunt generalem determinationem appetitus ad aliquid, quod non eſt, ſimulandum, ſeu ad actiones ſimulatas certi generis vel ſpeciei committendas. Etenim mores ſinguli animi ſupponunt generalem quandam determinationem appetitus ad actiones certi generis vel ſpeciei certæ (§. 697.). Quamobrem cum mores ſimulati ſint mores animi (863. 864.); iidem quoque ſupponunt generalem determinationem appetitus ad aliquid, quod non eſt, ſimulandum, ſeu ad actiones ſimulatas certi generis vel certæ ſpeciei committendas.

In hac determinatione generali appetitus ad ſimulandum proprie conſiſtit mos ſimulandi. Unde morem ſimulatum per conſtantem ac perpetuam voluntatem definivimus (§. 864.).

§. 866.

Quomodo ſe habeat facultas cognoſcendi in moribus ſimulatis.

Mores ſimulati ſupponunt notionem quandam boni vel mali. Talem enim ſupponunt ſinguli mores hominum (§. 699.). Quamobrem cum mores ſimulati ſint mores (§. 863. 864.); mores quoque ſimulati ſupponunt notionem quandam boni vel mali.

Nimirum cui mos eſt ſimulandi in aliquo actionum genere, vel aliqua earundem ſpecie; is bonum judicat ſimulare, vel malum non ſimulare (§. 880. 881. *Pſych. empir.*). Neceſſe igitur eſt, ut ſimulationem quoad iſtud genus, vel iſtam ſpeciem actionum ſibi vi notionis cujusdam repræſentet tanquam bonam, aut ejus omiſſionem tanquam malam.

§. 867.

Digitized by Google

§. 867.

Notio boni vel mali, quam ſupponunt mores ſimulati, convenit notioni generali, adeoque multo magis generaliſſimæ boni vel mali, quæ alias eſt ſimulanti. Etenim actiones ſimulatæ conveniunt motivis generalibus, adeoque multo magis generaliſſimo agentis (§. 737.), conſequenter cum motiva in repræſentatione boni vel mali conſiſtant (§. *890. Pſych. empir.*), notioni generali, adeoque multo magis generaliſſimæ boni & mali. Quamobrem notio boni vel mali, quam ſupponunt mores ſimulati (§. 866.), convenit notioni generali, adeoque multo magis generaliſſimæ boni vel mali, quæ alias eſt ſimulanti. *Qualis ea ſit.*

Ex. gr. Si quis in genere bonum judicat id, ex quo lucrum percipit: moris quoque ſimulati motivum eſt lucrum, quod ex ſimulatione ſperat, ſeu ideo appetitum generaliter determinat ad ſimulandum, quia lucrum inde ſperat. Similiter, qui bonum judicat, quod honorem parit; is quoque bonum judicat in aliquo actionum genere, vel aliqua earundem ſpecie conſtanter ſimulare, quia hoc cum honore ſuo conjunctum arbitratur.

§. 868.

Motivum ſimulationis eſt ratio, cur quis ſimulare velit, vel ſimulationem omittere nolit. Simulationis enim dantur motiva (§. 860.). Motiva vero ſunt ratio ſufficiens actuum volitionis, vel nolitionis (§. *886. Pſych. empir.*). Ergo etiam motiva ſimulationis ſunt ratio, cur quis ſimulare velit, vel ſimulationem omittere nolit. *Ratio ſimulationis.*

Ratio, cur quis ſimulet, ſeu cur ſimulare velit, aut ſimulationem omittere nolit, non confundenda eſt cum fine ſimulationis, qui eſt diſſimulatio ejus, quod eſt (§. 848.). Ratio nimirum, cur quis, quod eſt, diſſimulare, adeoque hac actione occultare velit, non idem eſt cum occultatione ejus,

 quod

Digitized by Google

quod eſt, & in genere ratio, cur quis agere velit propter hunc finem, non eſt finis, cujus gratia agere vult.

§. 869.

Modus conjectandi alterius mores ex ſimulatione.

Si ratio ſimulationis innoteſcit, mores alterius ex ſimulatione colligere licet. Etenim ſi ratio ſimulationis innoteſcit, motivum ſimulationis apertum eſt (§. 868.), conſequenter conſtat, cur ſimulationem ſibi repræſentet tanquam bonam, vel ejus omiſſionem tanquam malam (§. *890. Pſych. empir.*). Quoniam itaque hoc pacto notio boni vel mali, qua in bono vel malo dijudicando utitur, perſpecta eſt (§. *360. 361. Pſych. empir.*), dum vero mores alterius conjectamus, in eam notionem inquirimus, vi cujus agens actionem certi generis, vel ſpeciei ſibi repræſentare ſolet tanquam bonam vel malam (§. 705.); ſi ratio ſimulationis innoteſcit, mores alterius ex ſimulatione colligere licet.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Actio ſimulata convenit motivis generalibus, adeoque multo magis generaliſſimo (§. 737.). Quamobrem cum motivum ſimulationis apertum ſit, ubi ratio ſimulationis innoteſcit (§. 868.), per motiva autem generalia notio boni vel mali generalis, & per generaliſſimum notio generaliſſima pateat (§. 735.); ſi ratio ſimulationis innoteſcit, nec ratio boni vel mali generalis, & generaliſſima latere poteſt. Quoniam itaque in hanc notionem inquirimus; dum mores alterius conjectare volumus (§. 705.); ſi ratio ſimulationis innoteſcit, mores alterius ex ſimulatione colligere licet.

Patet autem, quomodo ex ſimulatione conjectare liceat mores alterius, nimirum ſi in rationem ſimulandi, motivum ſimulationis (§. 868.), inquiras; quam tanto facilius reperire datur, ubi finis ſua veluti ſponte ſeſe manifeſtat in ſimulatione conſequente (§. 746.).

§. 870.

Digitized by Google

§. 870.

Qui ſimulare vult, is ſibi cavere debet, ne vultu, voce, verbis aut factis vel affectu quodam ſimulationi contrariis eandem prodat. Etenim qui ſimulat, veri diſſimulandi gratia hoc facit (§. 847.), conſequenter quod ſimulat alterum ignorare vult. Enimvero ſimulationem prodit vultus, prodit vox vultui contraria, produnt vultus & vox verbis contrarii (§. 852.), produnt denique ſermo & facta (§. 853.), atque affectus ſimulatæ actioni contrarius (§ 854 855.). Quamobrem qui ſimulare vult, is ſibi cavere debet, ne vultu, voce, verbis aut factis, vel affectu quodam ſimulationi contrariis eandem prodat.

Circumſpectio in ſimulatione adhibenda.

Videmus adeo, qua circumſpectione opus ſit, ne ſimulator prodat ſimulationem. Quam ſit hoc ſubinde difficile, experientia loquitur, & cur vultus atque vox haud raro inſuperabiles objiciant difficultates, ex ſuperioribus patet (§. 795. 797.); quæ enim de affectibus dicta ſunt, ad ſimulationem quoque trahi poſſe, ex demonſtratione quadam ſuperiori liquet (§. 850.). Videas inter Neo-Phariſæos ſimulatores, qui, cum in ſimulando artifices ſibi videantur, ſimulationem tamen vultu, verbis, factis & affectu continuo produnt una cum moribus ceteris, quibus debetur hypocriſis. Singularia mihi ſunt exempla, a quibus tamen recenſendis abſtinemus, ne in re obvia prolixiores ſimus, quam par erat. Ceterum in præſenti nobis negotium non eſt cum moralitate ſimulationis. Abſit itaque, ut quis ſibi perſuadeat nos hypocriſi favere, dum docemus, quanam circumſpectione ſit utendum in ſimulatione. Conſtat enim, ſuoque loco demonſtrabitur, ſimulationem dari etiam licitam, quam in multis caſibus neceſſariam deprehendimus non modo in negotiis publicis, quo ſpectat pervulgatum iſtud: Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare; verum etiam in privatis. Ex præſente autem propoſitione intelligitur, quantæ utilitatis foret theoria, cujus ſuperius meminimus (*not.* §. 856.).

Digitized by Google

§. 871.

Diligentia in ſimulando adhibenda.

Quoniam adeo magna circumſpectione opus eſt, in ſimulatione, ne incautus eam prodas (§. 870.); *ubi ſimulare volueris, quod non eſt, ad actiones ſimulatas magnam attentionem afferre teneris, omnemque facias neceſſe eſt facultatum uſum ad recte ſimulandum requiſitum, & quid vi circumſtantiarum præſentium fieri conſultum ad verum occultandum, probe perpendendum.*

Videmus adeo, quanta diligentia opus ſit, ſi in ſimulando ſatis circumſpectum te præbere volueris, ne culpa tua eandem prodas. Novi homines, quibus ſimulatio admodum familiaris eſt, quoties cum aliis negotium ipſis eſt, & qui in ea magnam fiduciam collocant hoc tamen non obſtante ab iis ſibi minime cavent, a quibus, quod ſibi cavere debeat ſimulator, in propoſitione antecedente oſtendimus. Vultum inprimis ad ſimulationem rite componere non didicerunt, ut, dum eundem ſimulant, contrarietas ſimulationem prodens in oculos incurrat, etſi ab iis non animadvertatur, qui ad vultum aliorum animum advertere minime ſolent, aut non norunt, quænam in eodem inſint ſigna diagnoſtica. Nec etiam vocem regere norunt, ut ſimulationis indicium ab eadem removeant, & ut verbis eandem attemperent prorſus ſolliciti non ſunt. Homines incauti, præſertim juvenes, qui experientia deſtituuntur, facile ſibi imponi patiuntur: inde autem nemo inferat, ſe eadem facilitate imponere poſſe omnibus. Diligentia autem in ſimulando tanto major adhibenda erit, quanto ſigna diagnoſtica ejus magis erunt explorata, ne quemvis lateat, niſi ſua culpa, ad quæ animum attendere debeat, ut ſimulationem advertat.

§. 872.

Quænam culpa in

Quoniam incogitans eſt, qui ſufficientem ad actiones ſuas attentionem minime affert (§. 748. *Part. I. Phil. pract.*

ſimulando inprimis vitanda, ne prodatur.

pract. univ.); incurioſus, qui de rectitudine actionis ſuæ prorſus non ſollicitus eſt (§. 778. *Part. I. Phil. pract. univ.*), præcipitanter vero agit, qui ſepoſito omni facultatum uſu cognoſcendi ad rectitudinem actionis requiſito ad agendum ſeſe determinat (§. 772. *Part. I. Phil. pract. univ.*), incogitantia vero, incuria & præcipitantia in agendo culpæ ſpecies ſunt (§. 749. 780. 774. *Part. I. Phil. pract. univ.*); *Qui ſua culpa ſimulationem intempeſtive prodere non vult, ab incogitantia, incuria & præcipitantia in agendo inprimis ſibi cavere debet* (§. 871.).

Quemadmodum omnis actio ſuam habet rectitudinem, ita quoque ſimulatio in genere ſpectata, ſepoſito omni reſpectu ad moralitatem. Unde culpa quoque admittitur in ſimulando, quemadmodum in omni actione alia. Nulla igitur datur culpæ ſpecies, quæ in ſimulando non admittatur. Inde eſt quod in ſimulatione illicita etiam modum ſimulandi reprehendamus culpæ cuidam obnoxium. Quamobrem nec opus videbatur moneri, quod a culpa in ſimulando ſibi cavere debeat ſimulator, ſi eam prodere non vult. Enimvero quia culpæ quædam ſpecies inprimis obſtant ſimulationi, ut eas, a quibus ſibi præ ceteris cavere debeat ſimulator, hic commemoraremus non inconſultum duximus.

§. 873.

Quando ex actione inſueta colligatur ſimulatio.

Si nulla adeſt ratio, cur a conſuetudine agendi recedat agens: actio inſueta ſimulata eſt. Etenim cum nihil ſit absque ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*); ratio etiam aliqua adeſſe debet cur agens a conſuetudine agendi recedat. Quamobrem ubi ratio nulla adeſt, cur hoc faciat; non relinquitur alia, niſi quod actionem conſuetam, quæ ſincera eſt (§. 734.), eidem contraria occultare velit. Quoniam itaque ſimulata actio eſt, quæ editur alterius occultandæ gratia (§. 847.); ſi nulla adeſt

adeſt ratio, cur a conſuetudine agendi recedat agens, actio inſueta ſimulata eſt.

Nihil frequentius eſt, quam ut plurimi ex eo, quod agens ab agendi conſuetudine recedat, ſimulationem colligant, conſequenter actionem inſuetam pro ſimulata habeant. Enimvero non ſemper ſatis circumſpectos ſeſe gerunt, dum hoc modo ſimulationem colligunt. Etenim ex eo ſolo, quod actio ſit conſuetæ contraria, ſimulationem inferunt: id quod tamen haud raro fallit, cum etiam aliæ poſſint eſſe rationes, cur a conſueto agendi modo recedas, quam ut inſueta actione aliam ſive externam, ſive internam occultes, quemadmodum requirit ſimulatio (§. 847.). Etſi vero acutiores videant, præter finem ſimulandi etiam alias eſſe poſſe rationes, cur quis a conſueto agendi modo recedat; in eo tamen incauti ſunt, quod nullam adeſſe rationem ſibi perſuadeant, ubi nullam perſpicere poſſunt. Si præſertim expenſis omnibus circumſtantiis nulla tibi apparet, utut acumine non deſtituaris, in ea inquirenda; ſuſpicio quidem ſimulationis naſcitur, quod ex alibi tradendis principiis patet, nihil tamen certi colligitur, niſi demonſtrare valeas nullam rationem adeſſe: quod quam ſit difficile, immo prorſus impoſſibile abunde experiri licet, modo concedatur facultatum uſus ad experimentum requiſitus.

§. 874.

Quando actio ſimulata conſueta fiat.

Si ſimulatio in morem abit, actio ſimulata conſueta eſt, adeoque ſinceræ æquipollet. Etenim ſi ſimulatio in morem abit, in aliquo actionum genere, vel aliqua earundem ſpecie agens continuo ſimulat, niſi adſit ſingularis aliqua ratio, cur hic & nunc aliter agat (§. 687.), adeoque motiva, per quæ determinatur actio ſimulata, ordinaria ſunt (§. 726.). Enimvero conſuetæ actiones per ordinaria motiva determinari ſolent (§. 731.). Conſueta igitur eſt actio ſimulata. *Quod erat unum.*

Enimvero actiones conſuetæ ſinceræ ſunt (§. 734.). Quam-

Quamobrem etſi actio ſimulantis externa ſinceræ contraria ſit (§. 723.), quatenus tamen eadem conſueta eſt, ſinceræ æquipollet. *Quod erat alterum.*

Nimirum actio ſimulata, quæ a more ſimulandi pendet, conſtanti ac perpetuæ voluntati edendi actiones ſimulatas certi generis vel ſpeciei convenit (§. 864.), atque adeo cum actione interna conſentit, hincque ſpeciem ſinceræ mentitur (§. 714.): quatenus tamen malles contrarium facere, niſi e re tua eſſet contrariam appetitionem hoc modo occultare, actio externa ab interna diſſentit, ac ideo non ſincera, ſed ſimulata eſt (§. 714. 716.). In ſe itaque ſpectata iſtiusmodi actio ſimulata eſt, utpote ad occultandum morem animi adhibita, quatenus tamen ab alio more pendet, nimirum a more ſimulandi, ſeu ex conſuetudine agendi oritur, hoc pacto ſpeciem ſinceræ induit, quia mos in hoc genere actionum ſimulandi eodem modo tibi convenit, quo mores alii, & ab eo conſuetudo agendi pendet, ex qua actio reſultat. Actiones igitur ſimulatæ hujus generis ſunt quaſi intermediæ inter ſinceras & ſimulatas ceteras, quia utriusque naturam participant. Unde ex iis quoque colligitur mos ſimulandi in hoc actionum genere, quemadmodum mores alii ex conſuetis actionibus colliguntur.

§. 875.

Si quis morem mutavit, actiones, quas nunc committit, contrariæ ſunt actionibus conſuetis anterioribus. Quoniam enim mos in conſtante ac perpetuo actionem determinandi modo conſiſtit (§. 687.), quamprimum quis morem mutavit, actionem aliter, quam antea determinat; quamobrem patet eas actionibus anterioribus conſuetis contrarias eſſe debere (§. 729.).

Quales ſint actiones ejus, qui morem mutavit.

Propoſitio hæc ſatis manifeſta eſt, ut absque ulla probatione admittatur. Hic tamen non omittenda erat, quia uſum habet in arte detegendi ſimulationem. Neque enim ex actionibus, quæ moribus contrariantur, vel conſuetis aliis, etiamſi

conſtet, eas contrariari motivis ſpecialibus ordinariis, colligi poteſt, quod ſint ſimulatæ, niſi conſtet, agentem interea mores ſuos non mutaſſe. Quamobrem cum moris mutati ſuſpicio adſit, ubi per aliquod temporis intervallum nobis cum altero nullum interceſſit negotium; in hoc caſu caute procedendum, nec ſoli contrarietati actionis præſentis & actionum anteriorum fidendum. Dantur etiam morum mutatorum ſigna: ſed ea ſuo rectius proferentur loco, ubi de mutatione morum ex inſtituto agemus. Horum uſus eluceſcet in cautione, quam in præſenti commendamus.

§. 876.

Indicium quid ſit.

Indicium eſt ratio quæcunque probabilis veri latentis. Unde *Morum indicia* ſunt rationes, quibus probabile nobis redditur, hos eſſe alteri mores.

Nimirum cum ex ratione ſufficiente intelligatur, cur quid ſit (§. *56. Ontol.*); ex indicio intelligitur, verum eſſe poſſe, quod latet, veluti hos eſſe alteri mores, vel alterum ſimulare quod non eſt. Indiciorum multus uſus eſt in foro, tum in inquiſitione, tum in infligenda tortura. Doctores tamen in indicio definiendo non conveniunt. Noſtram vero definitionem in Jure quoque ſatisfacere patebit, ſi quis ea uti voluerit in iis demonſtrandis, quæ de indiciis delictorum recte tradunt Autores. Theoria autem indiciorum generalis ad Logicam probabilium pertinet, adeoque nemo eandem hic a nobis expectet. Equidem *Carpzovius* Criminalium part. 3. quæſt. 120. n. 6. indicium definit per argumentum delicti perpetrati (ipſi enim cum indiciis delictorum tantummodo negotium eſt) demonſtrativum ſeu indicativum; ſed hoc turbare nos minime debet, cum conſtet JCtos vocabulum demonſtrationis non eodem ſenſu accipere, quo Philoſophi idem ſumunt, quin potius contrario. Unde & *Carpzovius* demonſtrativum & indicativum pro ſynonymis habet, & a Doctoribus probatio opponitur demonſtrationi.

§. 877.

Digitized by Google

§. 877.

Quoniam nemini ignotum eſt, dari gradus probabilitatis, indicia vero non ſunt niſi rationes probabiles veri latentis (§. 876.); *Indicia* quoque *omnia non ſunt ejusdem valoris, ſed alia aſſenſum fortius inclinant aliis, ut verum videatur, quod certo agnoſcere non licet.*

Cur non omnia indicia ſint ejusdem valoris.

Hinc & JCti diſtinguunt indicia delictorum in veriſimilia ſeu probabilia, & certa ſive indubitata, quorum illa ſubinde rem veram eſſe arguunt, non ſemper; hæc autem maleficio inhærent. Ita fama, fallax haud raro & mendax, indicium probabile cenſetur: ſed veſtis alicujus reperta in loco perpetrati delicti indicium certum habetur. Eſſe tamen & hoc nonniſi rationem probabilem hiſtoria Joſephi docet: uxor enim Potipharis indicio hoc utebatur ad perſuadendum marito adulterium attentatum, factum omnino falſum. Noſtrum jam non eſt hanc diviſionem ad examen revocare, quia indiciorum theoria tota ad Logicam probabilium ſpectat, ubi etiam eadem in ſuas ſpecies diſtinguenda veniunt. Ne tamen quid prætermiſiſſe hic videamur, de quo ſilendum non eſſe forſan nonnulli exiſtimaturi ſunt; indiciorum mentionem faciendam eſſe duximus, ut pateat quod eorum uſum in conjectandis hominum moribus, ubi ad veritatem liquidam perveniri nequit, tradere non ſit hujus loci.

§. 878.

Si ſimulatori motiva inſinues confitendi veritatem: ſimulatio detegitur. Etenim ſi motiva confitendi veritatem ſimulatori ſuppedites, ponitur ratio ſufficiens confitendi veri (§. 887. *Pſych. empir.*), conſequenter & veritatis confeſſio (§. 118. *Ontol.*). Quamobrem cum jam conſtet, quidnam ſimulator occultare voluerit; actionem, quam ejus occultandæ gratia committit, eſſe ſimulatam conſtat (§. 845.).

Modus detegendi ſimulationem per motiva confitendi verum ſupeditata.

Facile apparet, ſimulationis ſuſpicionem adeſſe debere, ubi hoc modo ſimulationem detegere volueris. Quoniam motiva variant pro varietate ſubjectorum, niſi ſucceſſum fortunæ totum relinquere volueris, mores ſimulatoris aliquos perſpectos habere debes, ut detectio ex voto ſuccedat.

§. 879.

Quænam hic obſervanda. Quoniam motiva in repræſentatione boni vel mali conſiſtunt (§. 890. *Pſych. empir.*); *ſi ſimulatorem per motiva ad veritatis confeſſionem adducere velis, repræſentanda ipſi ſunt bona ex veritatis confeſſione, vel mala ex hujus omiſſione in ipſum redundantia.*

Clarius nunc eluceſcit, cur mores ſimulatoris aliquos perſpectos habere debeas, ubi inſinuando motiva eum ad confeſſionem veritatis adducere volueris (§. 705.). Pertinet huc, ſi præmiis vel minis ad confeſſionem veritatis alterum adducis. Huc etiam referri ſolet tortura, qua ad confeſſionem delicti perpetrati adducere conantur inquiſitum inquiſitores: nemo enim eſt, qui in dubium revocare auſit, cruciatus eſſe malum corporis, adeoque præbere motivum non diſſimulandi veri, conſequenter veritatis confitendæ. Quoniam vero idem motivum quoque eſſe poteſt dicendi falſum; ideo tortura non tuto adhibetur, niſi aliunde probari poſſit, confeſſionem delicti habendam eſſe pro ſincera: ſed hæc diſertius docere præſentis loci non eſt.

§. 880.

Modus alius detegendi ſimulationem. *Si quæſtionibus improviſis vel captioſis, vel alio quocunque modo elicis confeſſionem veritatis, ſimulatio detegitur.* Per ſe patet ſimulatorem ſic prodere ſimulationem ſermone, ut adeo probatione non ſit opus.

Modus hic detegendi ſimulationem haud infrequens eſt. Subinde tamen artis eſt inſtituere quæſtiones, ad quas reſpondendo alterum ad confeſſionem veritatis adducis. Lo-

cu

cus quoque ſubinde hic eſt ſimulationi, qua occultatur intentio detegendi ſimulationem, vel finis, cujus gratia eam detegere intendis. Pendet ſucceſſus a circumſtantiis ſingularibus, quas probe perpendere tenetur, qui hoc medio detegendi ſimulationem uti voluerit.

§. 881.

Phyſiognomia eſt Ars conjectandi hominum mores ex conformatione externarum præſertim partium corporis, aliisque in eodem obſervabilibus, quæ in diverſis corporibus differunt. Quidam latius ſumunt vocabulum, ita ut *Phyſiognomiam* definiant per artem conjectandi hominum morem ex conſtitutione corporis. Conſtitutio autem corporis complectitur conformationem partium corporis, temperamentum & motus in corpore conſpicuos. *Phyſiognomia quid ſit.*

Phyſiognomia olim locum obtinuit inter diſciplinas philoſophicas, & magno habita fuit in pretio. Enimvero cum recentiori ævo artes divinatrices, quales ſunt Aſtrologia, Chiromantia, Onirologia ſeu ars interpretandi ſomnia, rejicerentur, illarum vanitate animadverſa, cum iisdem quoque Phyſiognomia in deſuetudinem abiit. Quo jure hoc fuerit factum, ex mox dicendis eluceſcet.

§. 882.

Phyſiognomizare dicitur, qui ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore deſumtis mores hominum conjectat. *Phyſiognomizare quid ſit.*

Terminus hic ex *Ariſtotele* in Phyſiognomiam ab Autoribus receptus. Nimirum is phyſiognomizat, qui de moribus alterius ex principiis Phyſiognomicis judicat.

§. 883.

Quoniam adeo is phyſiognomizat, qui ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore deſumtis mores hominum conjectat (§. 882.), modus vero *Quænam ad phyſiognomizandum*

 con-

Digitized by Google

requirantur. conjectandi hominum mores ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore deſumtis in Phyſiognomia docetur (§. 881.); *Qui phyſiognomizare vult, Phyſiognomiam perſpectam habere debet*, adeoque *phyſiognomizatio theoriam Phyſiognomiæ præſupponit (§. 467. Pſych. rat.), & in applicatione principiorum phyſiognomicorum conſiſtit (§. 1212. Log.).*

Equidem *Ariſtoteles* &, quamdiu philoſophia ariſtotelica communiter recepta erat, autores alii multa de Phyſiognomia tradidere; in eorum theoria tamen plurima deſiderantur. Deſunt notiones diſtinctæ, qui defectus applicationem haud raro difficilem, immo prorſus impoſſibilem reddit. Deſideratur ut plurimum principiorum certitudo, ita ut animus ſciendi cupidus in iis acquieſcere minime poſſit, & vel nulla eorum, quæ affirmantur, appareat ratio, vel ratio, quæ redditur, non ſatisfaciat. Derivativa denique a primitivis non diſcernuntur, ut nullus perſpiciatur veritatum nexus. Principia igitur phyſiognomica parum certa & ad uſum, cui deſtinantur, parum accomodata deprehenduntur. Cui methodi leges perſpectæ ſunt, exemplo hoc animadvertet, ubi vel obiter ſcriptum aliquod phyſiognomicum perluſtrat. Atque hanc rationem eſſe judico, cur phyſiognomia veteribus tantopere adamata, quemadmodum ex Autoribus antiquis apparet, cum aliis artibus divinatricibus in eundem cenſum fuerit relata, & in contemtum adducta, a quo non liberabitur, niſi juxta veræ methodi leges ad certitudinem fuerit perducta: quod num fieri poſſit, ex ſequentibus dijudicandum.

§. 884.

Idem diſtinctius explicatur. Quoniam qui phyſiognomizat, ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore deſumtis mores alterius conjectat (§. 882.); *qui phyſiognomizare vult, ei perſpecta eſſe debet differentia conformationis partium aliorumque in corpore humano obſervabilium, morumque hiſce reſpondentium diverſitatem.*

Nimi-

Digitized by Google

Nimirum phyſiognomizans ita argumentatur:

Hæc conformatio partium & hæc alia in corpore Titii obſervantur.

In cujus corpore hæc conformatio partium obtinet & hæc alia obſervantur, ei ſunt hi mores;

Ergo Titio hi ſunt mores.

Major, quæ ſecundo loco ponitur, eſt principium phyſiognomicum ex theoria Phyſiognomiæ deſumendum, quod in caſu dato applicatur. Unde liquet, quænam in Phyſiognomia doceri debeant: id quod in ſubſequente propoſitione inculcandum eſſe duximus.

§. 885.

In Phyſiognomia doceri debet differentia conformationis partium in corporibus humanis aliorumque in eodem obſervabilium, & demonſtrandum, quinam inde mores dependeant. In Phyſiognomia enim doceri debet, quomodo ex conformatione partium & in aliis in eodem obſervabilibus, quæ in diverſis corporibus humanis diverſa ſunt, hominum mores conjectare liceat (§. 881.). Enimvero qui exinde mores hominum conjectare, adeoque phyſiognomizare vult (§. 882.), ei perſpecta eſſe debet differentia conformationis partium aliorumque in corporibus humanis obſervabilium, morumque hiſce reſpondentium diverſitas. Quamobrem in Phyſiognomia doceri debet differentia conformationis partium in corporibus humanis aliorumque in iisdem obſervabilium, & demonſtrandum, quinam inde mores dependeant.

Quænam in Phyſiognomia demonſtranda.

Videmus adeo, quænam in Phyſiognomia tradenda ſint, ſi ea nomen ſuum tueri, & ad uſum, cujus gratia inventa eſt, non ſine ſucceſſu adhiberi debeat. Quodſi quæras, quænam ſint alia obſervabilia a conformatione partium diverſa; colorem faciei, pulſum, maciem & obeſitatem corporis, lenitatem

Digitized by Google

tem & aſperitatem vocis exempli loco nominaſſe ſufficit. Etſi enim inter ea ſint, quæ a conformatione partium pendent, qualis eſt diverſitas vocis; ſufficit ea in ſenſus incurrere, ubi conformatio partium latet, vel num ab eadem pendeant, ignoratur. Quamdiu itaque theoria perfecta deſideratur, in qua a priori demonſtrantur, quæ a conformatione partium pendent, ea tantiſper in numerum obſervabilium referenda ſunt, quæ partium conformationi in ſenſum incurrenti contradiſtinguuntur.

§. 886.

Quomodo conformatio partium ac cetera obſervabilia innoteſcant.

Conformatio partium & cetera in corpore obſervabilia experientia nobis innoteſcunt. Incurrunt enim ea in ſenſus, adeoque ſenſu eadem percipimus. Quamobrem cum experiamur, quæ ad perceptiones noſtras attenti cognoſcimus (§. 664. *Log.*); partium conformatio & cetera in corpore obſervabilia experientia nobis innoteſcunt.

Diximus quænam in Phyſiognomia ſint docenda. Monuimus eam nondum ſatis excultam eſſe. Quamobrem neceſſe eſt, ut etiam oſtendamus, quomodo ad certam eorum, quæ in eadem tradenda ſunt, notitiam perveniatur. Quicquid cognoſcimus, vel a priori cognoſcimus, vel a poſteriori (§. 435. *Pſych. empir.*), adeoque vel experiundo (§. 434. *Pſych. empir.*), vel beneficio rationis, ſeu ratiocinando (§. 491. 492. *Pſych. empir.*). Quoniam facti eſt, quod partes hoc modo ſint conformatæ, quodque conformatio iſta non ſit eadem in omnibus ſubjectis, & tot modis variet in diverſis ſubjectis; nemo non videt, hæc in eorum numero eſſe, quæ nonniſi a poſteriori nobis innoteſcere poſſunt. Unde experientiæ debentur notiones conformationis partium & diverſitatis ejusdem in diverſis ſubjectis. Quod, quæ præter conformationem partium in corpore obſervantur, a poſteriori itidem nobis innoteſcant, nemo eſt qui dubitat. Quamvis vero rationem habeant in aliis, nec inconſultum ſit eandem in Phyſicis inquirere; non minus tamen conſultum eſt, ut primum eorum notitiam a poſteriori nobis comparemus, cum non modo

Digitized by Google

modo facilius hac via ad eandem perveniamus, verum etiam ſecuriores ſimus, nos in iis definiendis a veritate non aberraſſe. Hanc viam etiam ingreſſi ſunt veteres, etſi in notionibus confuſis acquieſcentes non intelligantur niſi ab iis, qui easdem propria experientia ſibi jam acquiſiverunt.

§. 887.

Quoniam itaque in Phyſiognomia doceri debet differentia conformationis partium, & diverſitas aliorum obſervabilium in corporibus humanis (§. 885.); *Qui Phyſiognomiam excolere voluerit, corpora humana ſedulo contemplari, & quoad ſingulas partes aliaque, quæ in iisdem obſervantur, inter ſe conferre debet.* *Prima cura ejus, qui Phyſiognomiam excolere voluerit.*

Quoniam Autores, qui de Phyſiognomia commentati ſunt, differentias conformationis partium aliorumque in corporibus humanis obſervabilium deſcribunt; quæ ab ipſis traduntur, etſi non ſemper ſatis intellecta, inſerviunt acuendæ attentioni, ne quid facile eandem effugere patiamur.

§. 888.

Conformationi partium reſpondere nequeunt mores animi niſi naturales. Etenim cum eſſentia corporis in ſtructura ejusdem conſiſtat (§. *276. Coſmol.*), conformatio partium ad eſſentiam corporis pertinet. Quamobrem eidem reſpondere nequeunt mores, niſi quæ per eſſentiam animæ determinantur, quia ſcilicet poſita conformatione partium ponuntur etiam hi mores, adeoque neceſſario animæ inſunt (§. *279 Ontol.*). Quoniam itaque mores animi naturales ſunt, quæ per eſſentiam ac naturam animæ determinantur (§. 089.); conformationi partium reſpondere nequeunt mores animi niſi naturales. *Quales mores reſpondeant conformationi partium.*

Qui Phyſiognomiam excolere voluerit, noſſe debet, quinam mores conformationi partium reſpondeant. Secus enim ina-

Digitized by Google

inanem operam in multis ſumet, ac in difficultates inextricabiles incidet.

§. 889.

Quales mores reſpondeant aliis obſervabilibus, quibus corpora humana differunt.

Aliis obſervabilibus, quibus corpora humana differunt, reſpondere nequeunt mores animi niſi naturales. Quoniam obſervabilia, quæ differentias corporum humanorum conſtituunt, hic intelliguntur conſtantia, quæ inſunt, ea aut ad eſſentiam pertinent, aut in attributorum numero ſunt (§. 152. *Ontol.*), conſequenter cum in illa rationem habeant ſufficientem (§. 157. *Ontol.*), cum eadem ſimul ponuntur (§. 118. *Ontol.*). Unde eodem, quo in propoſitione præcedente, modo porro conficitur, quod iisdem reſpondere nequeant mores animi niſi naturales.

Retulimus in horum numerum diverſitatem vocis (*not.* §. 885.). Hanc dependere a conformatione organorum reſpirationis atque vocis, in Phyſica oſtenditur. Conformationem iſtam pertinere ad eſſentiam corporis humani, ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet. Ad attributa igitur diverſitates vocis, naturales ſcilicet, quæ neceſſario adeoque conſtanter inſunt, referendæ ſunt (§. 851. 157. *Ontol.*). In Phyſiognomia enim non ſumuntur, niſi quæ per eſſentiam & naturam inſunt: id quod ex eo intelligitur, quod inſint conſtanter (§. 152. *Ontol.*) & neceſſario (§. 299. 304. 305. *Ontol.*), adeoque immutabilia ſunt (§. 292. *Ontol.*). In hiſce igitur diſcernendis principiis ontologicis opus eſt. Quamvis enim non minus partium conformatio, quam alia, quæ hinc, vel quocunque alio modo ab eſſentia & natura corporis pendent, a poſteriori cognoſcantur (§. 886.); ne tamen ſumas, quæ ſumere non licet, perſpicillis ontologicis opus eſt, quibus carere non poſſumus, ſi certa experientia deſideratur, quæ omnem erroris formidinem excludit. Clarius hæc elueſcent ex Arte inveniendi, cujus eſt tradere uſum principiorum ontologicorum in veritate a poſteriori detegenda.

§. 890.

§. 890.

Appetitus ſenſitivus hominum generaliter determinatus eſt ad appetenda ea, ex quibus voluptatem percipiunt, & ad averſanda ea, quæ tædium ſive moleſtiam creant, generaliter determinata eſt averſatio ſenſitiva. Etenim ſi qua ex re voluptatem percipimus, in eam fertur appetitus, quamdiu in notione boni confuſa acquieſcimus (§. 591. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque appetitus ſenſitivus ex idea boni confuſa oritur (§ 580. *Pſych. empir.*); appetitus ſenſitivus generaliter determinatus eſt ad appetendum ea, ex quibus voluptatem percipimus (§. 112. *Ontol.*). *Quod erat primum.*

Generalis determinatio appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ.

Similiter ſi qua ex re tædium ſive moleſtiam percipimus, eam averſamur, quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus (§. 592. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque averſatio ſenſitiva eſt, quæ ex idea mali confuſa oritur (§. 582. *Pſych. empir.*); averſatio ſenſitiva generaliter determinata eſt ad averſanda ea, quæ tædium ſive moleſtiam nobis creant (§. 112. *Onotol.*). *Quod erat alterum.*

Confirmatur idem a poſteriori, cumque brutis appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva competat (§. 757. *Pſych. rat.*), eademque legem appetitus & averſationis eandem cum hominibus obſervent (§. 758. *Pſych. rat.*), careant autem voluntate & noluntate libera (§. 763. *Pſych. rat.*), adeoque appetitu & averſatione rationali (§ 880. 881. *Pſych. empir.*), ita ut in actionibus eorundem appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ nunquam ſeſe immiſceat rationalis, atque appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam alteret, in brutis omnium evidentiſſime hoc obſervare licet.

§. 891.

Quoniam mores tam hominum, quam brutorum a generali iſtiusmodi appetitus & averſationis determinatione dependent (§. 697. 698.); *mores omnes naturales a determina-*

Fundamentum morum naturalium generale.

minatione generali appetitus ſenſitivi ad appetenda ea, quæ voluptatem creant, & averſationis ſenſitivæ ad averſanda ea, quæ tædium ſive moleſtiam pariunt, non minus in brutis, quam hominibus dependent (§. 890. 689.).

Habemus adeo fundamentum commune omnium morum naturalium, ſed generale. Videndum nunc porro, unde oritur eorundem diverſitas, neque enim omnibus iidem ſunt mores, etſi mores omnes in hoc conveniant, quod voluptas atque tædium ſint inſtar ſtimuli ad agendum & non agendum, nec ſine ſenſu voluptatis aut tædii concipiatur aliqua actio ſive poſitiva, ſive privativa, ſit ita quod ejusdem non ſemper ſatis nobis ſimus conſcii: cujus rationes ſunt variæ hic non exponendæ, perſpicillis tamen pſychologicis in dato caſu facile detegendæ.

§. 892.

Voluptatis ac moleſtiæ perceptio diverſa in diverſis ſubjectis.

Non omnes homines ex eodem voluptatem vel tædium percipiunt, nec voluptas vel tædium ſive moleſtia, quæ percipitur, ejusdem gradus eſt. Conſtat hoc a poſteriori. Videmus enim alios voluptatem percipere ex honore, tædium maximum ex ignominia & honoris jactura: alios honor parum movet, nec ignominia eos tangit. Similiter alii voluptatem ſummam percipiunt ex divitiis, alios divitiæ parum delectant, aut ſaltem non tanto oblectamento ſunt, quemadmodum aliis. Sunt qui ex ſcientia, ſunt qui ex arte aliqua plurimum voluptatis percipiunt, quæ aliis nulla eſt. Alios omnium maxime juvant voluptates ſenſuales, quæ aliis exigui ſunt momenti, immo prorſus exoſæ.

Undenam ſit iſta diverſitas, in præſenti non inquirimus, propterea quod de moribus hominum naturalibus hic non ex inſtituto agimus. Pertinet enim hæc tractatio ad Philoſophiam moralem. Cum nobis jam propoſitum non ſit, niſi oſtendere, Phyſiognomiam non deſtitui fundamento, conſequenter eam per-

peram

Digitized by Google

peram cum artibus divinatricibus vanis in eundem cenſum referri atque contemni; ea attuliſſe ſufficit, quæ huic inſtituto ſatisfaciunt. Noſtrum jam non eſt docere Phyſiognomiam; ſed oſtendere, quod detur, & quænam in eadem ſint tradenda.

§. 893.

Fundamentum varietatis morum naturalium.

Quoniam appetitus ſenſitivus hominum generaliter determinatus eſt ad appetendum ea, ex quibus voluptatem percipiunt; averſatio vero ſenſitiva generaliter determinata eſt ad averſandum ea, quæ tædium ſive moleſtiam pariunt (§. 890.), non omnes vero homines ex eodem voluptatem vel moleſtiam percipiunt, nec voluptas vel moleſtia, quæ percipitur, ejusdem gradus eſt (§. 892.); *appetitus ſenſitivus hominum diverſimode determinatus eſt ad quædam appetenda ſub ratione voluptatis percipiendæ, & averſatio ſenſitiva diverſimode determinata eſt ad quædam averſanda ſub ratione moleſtiæ percipiendæ.*

Patet adeo ratio, cur homines non eadem appetant & averſentur, utut eorum appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva generaliter eodem modo determinetur (§. 890.), & ipſi in agendo & non agendo ſequantur appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam. Trahit nimirum unumquemque ſua voluptas, repellit moleſtia ſua, non eadem omnibus (§. 892.).

§. 894.

Diverſitas morum naturalium.

Hominum mores naturales diverſi ſunt. Etenim mores naturales omnes a determinatione generali appetitus ſenſitivi ad appetendum ea, quæ voluptatem creant, & ab averſatione ſenſitiva ad averſandum ea, quæ moleſtiam pariunt, dependent (§. 891.). Sed appetitus ſenſitivus hominum diverſimode determinatus eſt ad quædam appetenda ſub ratione voluptatis percipiendæ, & averſatio ſenſitiva diverſimode determinata eſt ad quædam averſanda ſub

Digitized by Google

ratione moleſtiæ percipiendæ (§. 893.). Hominum igitur mores naturales diverſi ſunt.

Atque adeo conſtat, cur diverſi ſint hominum mores naturales, etſi eadem ſit natura humana, ſi eam in genere ſpectes.

§. 895.

Inclinatio naturalis quid ſit.

Determinatio generalis appetitus ad aliquid appetendum dicitur *Inclinatio*, & in ſpecie *naturalis*, ſi ea naturalis fuerit, ſeu ſi per naturam animæ is fuerit hoc modo determinatus.

Ita inclinatio naturalis eſt determinatio naturalis appetitus ad appetendum honorem, vel voluptates ſenſuales.

§. 896.

Reclinatio naturalis quid ſit.

Ex adverſo *Reclinationem* appellamus determinationem generalem averſationis ad aliquid averſandum, & in ſpecie *naturalem*, ſi ea naturalis fuerit, ſeu ſi ea per naturam animæ fuerit hoc modo determinata. Dici etiam ſolet *Horror naturalis*.

Ita reclinatio naturalis, aut, ſi mavis, horror naturalis eſt determinatio averſationis ſenſitivæ ad averſandum dolorem, mortem, periculum. Vocabulum horroris naturalis uſu receptum, etſi male intellectum in numerum terminorum inanium fuerit relatum. Unde conſultius videtur, ut reclinatio naturalis appelletur, præſertim cum appellatio hæc ſit convenientior.

§. 897.

Quomodo ſe habeant mores naturales ad facultatem cognoſcitivam.

Singuli mores naturales ſupponunt notionem quandam boni, vel mali confuſam. Etenim mores hominum ſinguli ſupponunt notionem quandam boni vel mali, aut confuſam, aut diſtinctam (§. 699.). Sed mores naturales omnes a determinatione generali appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ pendent (§. 891.), & appetitus ſenſitivus atque averſatio

Digitized by Google

ſatio ſenſitiva ex idea boni atque mali confuſa oriuntur (§. *580. 582. Pſych. empir.*). Ergo ſinguli mores naturales ſupponunt notionem quandam boni vel mali confuſam.

Propoſitio præſens a veteribus neglecta, cum determinationem generalem appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ſibi concepere tanquam primitivum quid, quod rationem in nullo alio homini per eſſentiam & naturam ipſius inexiſtente agnoſcit: id quod tamen notioni appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, quam admiſerunt, repugnat. Non alia de cauſa hoc accidit, quam quod noſtra methodo non fuerint philoſophati, ut dependentiam veritatum a ſe invicem & omnium inter ſe conſenſum non animadverterent, neque adeo notiones ſatis evolverent. Ceterum hic relegenda ſunt, quæ ſuperius annotavimus, cum demonſtraremus, quomodo hominum atque brutorum mores ſeſe habeant ad facultatem cognoſcitivam (*not. §. 699. 700.*).

§. 898.

Hominum omnium mores naturales non eandem ſupponunt notionem boni, vel mali confuſam. Non omnium hominum mores naturales iidem, ſed diverſi ſunt (§. 894.). Sed ſinguli ſupponunt notionem quandam boni, vel mali confuſam (§. 897.). Non omnium itaque hominum mores naturales eandem ſupponunt notionem boni, vel mali confuſam.

Cur hic adſit diverſitas in diverſis hominibus.

Indirecte etiam oſtenditur hoc modo. Ponamus in hominibus omnibus quoad mores naturales eandem ſupponi notionem boni vel mali confuſam. Quoniam ex ea oritur appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva (§. *580. 582. Pſych. empir.*); appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva generaliter in omnibus hominibus eodem modo determinantur ad quædam appetenda & averſanda: id quod abſurdum (§. 893.).

Ecce

Digitized by Google

Ecce igitur tibi rationem, cur omnium hominum mores naturales non ſint iidem per eſſentiam & naturam animæ, quos diverſos eſſe debere paulo ante oſtendimus ex principio propiori (§. 894.).

§. 899.

Convenientia morum humanorum naturalium cum moribus brutorum.

Mores naturales hominum iidem ſunt cum moribus brutorum. Mores enim naturales hominum ſupponunt notionem boni vel mali confuſam (§. 897.). Sed ſi mores hominum ſupponunt notionem boni vel mali confuſam, cum moribus brutorum conveniunt (§. 701.). Hominum igitur mores naturales conveniunt cum moribus brutorum, ſeu cum iisdem iidem ſunt.

Abſit tamen, ut hinc inferas mores omnes naturales hominum in ſe ſpectatos eſſe malos. Falſum enim eſt, brutorum mores naturales in ſe ſpectatos eſſe malos. Sed hoc oſtendetur ſuo loco, quando de moralitate morum agemus, quos vel bonos vel malos eſſe debere conſtat (§. 693.). Qui aliter ſentiunt, iis notiones confuſæ imponunt, quibus reſpondent communes loquendi formulæ non ſatis explicatæ, ut appareret, quo in ſenſu ſalva veritate tolerari poſſint, veluti quod homines inſtar brutorum vivant, ſi vitam ſceleratam agunt, aut quod ab omni ratione alienum faciunt. Sed alibi erit locus formulas iſtiusmodi verum a falſo, quod eidem admixtum eſt, ſeparando ad ſenſum tolerandum reducendi. Ceterum identitas morum naturalium humanorum cum moribus brutorum magni momenti eſt in Phyſiognomia, quemadmodum jam ſupra indicavimus (*not.* §. *700, 701.*), & ex deinceps demonſtrandis clarius eluceſcet. Hac morum identitate etiam lux affunditur juri naturali, quod hominibus cum brutis commune eſt, ac ideo Jus naturæ commune dici ſolet (*§. 162. Part. I. Phil. pract. univ.*). Immo latet in ea principium heuriſticum, quod in detegendis veritatibus moralibus uſui eſt, & in Arte inveniendi diſtinctius explicandum.

§. 900.

§. 900.

Quoniam mores naturales hominum iidem ſunt cum moribus brutorum (§. 899.), non tamen omnes omnium hominum mores naturales iidem ſunt, ſed diverſi deprehenduntur (§. 894.), & experientia conſtat, mores naturales brutorum a ſe invicem differre, etſi aliqui ſint communes; *mores* etiam *naturales hominum diverſi cum diverſorum brutorum moribus, & communes omnium cum communibus omnium brutorum, immo ejusdem hominis mores naturales cum diverſis brutorum moribus conveniunt.* *Quæ ad iſtam convenientiam notanda.*

Experientia hæc ſatis confirmat, modo mores brutorum tibi ſint perſpecti, & mores hominum naturales ab adventitiis diſcernere valeas. Brutorum mores in genere ſpectati communes ſunt, ſed pro diverſa eorundem natura diverſimode modificantur, ut in omnibus non maneant iidem ſpecie, etſi genere conveniant. Sed hæc hic diſtinctius exponere noſtri non eſt inſtituti: ubi jus naturæ hominum ac brutorum commune fuerit demonſtratum, ea ſatis patebunt. Quodſi completa proſtaret morum brutorum & hominum, qui naturales ſunt, theoria, eorum invicem collatione veritas corollarii præſentis ipſis oculis manifeſta foret.

§. 901.

Mores naturales communes ſunt, qui omnibus hominibus conveniunt: *Mores* autem *naturales proprii* ſunt, qui non omnibus conveniunt, ſed pro diverſitate ſubjectorum variant. Diviſio eadem locum habet in moribus brutorum. *Morum naturalium diviſio.*

Ita mores communes ſunt appetere felicitatem, averſari infelicitatem, appetere ſui conſervationem, averſari quæ eidem contrariantur, ſeſe defendere. Aſt proprii ſunt mores, quod ad iram ſint proni, quod ſint timidi, quod voluptuoſi.

§. 902.

Mores adventitii quinam ſint.

Mores adventitii dicuntur, qui naturales non ſunt; aut qui quacunque de cauſa acquiruntur, cum per eſſentiam & naturam hominis non determinentur.

Dari mores adventitios experientia loquitur, quæ non minus docet varias eſſe eorundem cauſas, veluti educationem, exemplum, conſuetudinem cum aliis, in quas ſuo loco accuratius inquiremus. Hos a naturalibus accurate diſtingui neceſſe eſt in Phyſiognomia. Mores adventitii in brutis rariores ſunt, præſertim quæ extra commercium cum hominibus degunt. Dari tamen adventitios etiam mores, qui in bruta cadunt, ab experientia minime abhorret. Eos inprimis obſervare licet in brutis, qui cum hominibus agunt, & eorum dominio ſubſunt.

§. 903.

Generalis determinatio facultatis cognoſcitivæ in moribus.

In moribus naturalibus facultas cognoſcitiva generaliter determinata eſt ad repræſentandum ſibi actiones tanquam bonas, ex quibus voluptas percipitur, & tanquam malas, quæ tædium ſive moleſtiam creant. Etenim in moribus tam brutorum, quam hominum facultas cognoſcitiva generaliter determinata eſt ad tales actiones repræſentandas tanquam bonas vel malas (§. 702.). Ergo etiam hoc modo determinata eſt in moribus naturalibus. Enimvero appetitus ſenſitivus generaliter determinatus eſt ad appetendum ea, quæ voluptatem pariunt, & averſatio ſenſitiva naturaliter determinata eſt ad averſandum ea, quæ tædium ſive moleſtiam creant (§. 890.), & appetitus non oritur niſi ex perceptione boni (§. *579. Pſych. empir.*), nec averſatio niſi ex perceptione mali (§. *581. Pſych. empir.*). In moribus itaque naturalibus facultas cognoſcitiva generaliter determinata eſt ad repræſentandum actiones ſibi tanquam bonas, ex quibus

Digitized by Google

bus voluptas percipitur, & tanquam malas, quæ tædium ſive moleſtiam creant.

Relegenda hic ſunt, quæ ſuperius monuimus, cum de determinatione generali facultatis cognoſcitivæ ageremus, quæ in moribus tam brutorum, quam hominum datur (*not. §. 702.*). Hic tantummodo addimus, appetitiones & averſiones ſenſitivas ſemper oriri ex prævia perceptione, qua quid tanquam bonum vel malum repræſentatur, repræſentari autem tanquam bonum per voluptatem percipiendam, tanquam malum per moleſtiam, ita ut nulla alia perceptione anteriori opus ſit, ex qua hæc naſcatur, nec opus ſit alia, quæ ad determinationem appetitus vel averſationis una concurrat.

§. 904.

Inſtinctus moralis quid ſit.

Generalem illam determinationem facultatis cognoſcitivæ ad repræſentandas ſibi actiones tanquam bonas, ex quibus voluptas percipitur, & tanquam malas, quæ tædium ſive moleſtiam pariunt, in moribus naturalibus, *Inſtinctum moralem* appellare lubet.

Veteres inſtinctum tribuunt brutis, & per eum intelligunt repræſentationem actionum brutis naturalem, qualis eſt extruendi nidum in avibus, quam ipſis innatam pronunçiant, quia nemo eas nidos extruere docuit, quas tamen omnes ejusdem ſpeciei extruunt eodem modo. Ejus utique ſpecies eſt repræſentatio voluptatis vel moleſtiæ ex actione percipiendæ, ad quam facultas cognoſcitiva per eſſentiam & naturam ſuam determinata eſt.

§. 905.

Confuſa notio boni & mali in moribus naturalibus quænam ſit.

Confuſa boni & mali notio, quam ſupponunt mores naturales, eſt perceptio voluptatis ac tædii ex actione. Etenim in moribus naturalibus facultas cognoſcitiva generaliter determinata eſt ad repræſentandum ſibi actiones tanquam bonas, ex quibus voluptas percipitur, & tanquam malas,

 quæ

Digitized by Google

quæ tædium ſive moleſtiam creant (§. 903.). Quoniam itaque anima ſibi actionem repræſentat tanquam bonam, dum ſibi eam repræſentat tanquam talem, ex qua voluptatem percipit, & eandem ſibi repræſentat tanquam malam, dum ſibi eam repræſentat tanquam talem, quæ ipſi moleſtiam creat; ideo patet confuſam boni & mali notionem, quam mores naturales ſupponunt, non aliam eſſe, quam perceptionem voluptatis ac tædii ex actione.

Hinc vides, quænam ſit ratio, cur qui ſenſuum judicio ſtant, hoc eſt, qui in confuſa boni & mali notione acquieſcunt, bonum quid judicent ex eo, quod voluptatem; malum ex eo, quod tædium pariat (*§. 561. 572. Pſych. empir.*). Etſi autem hæc notio tanquam erronea a nobis fuerit rejecta (*§. cit.*); in ſe tamen nihil vitii habet, ſi quidem beneficio rationis voluptas apparens atque moleſtia a vera ſeparetur (*§. 559. 571. Pſych. empir.*). Sed de hoc alibi diſtinctius.

§. 906.

Origo inclinationum & reclinationum naturalium.

Inclinationes & reclinationes naturales ex inſtinctu morali naſcuntur. Inclinatio enim naturalis eſt determinatio appetitus ad quædam appetenda naturalis (§. 895.). Quamobrem cum per naturam appetitus generaliter determinatus ſit ad ea appetenda, ex quibus voluptas percipitur (§. 890.), determinatio autem generalis facultatis cognoſcitivæ generalis, quæ per naturam ineſt, ad repræſentandas ſibi actiones tanquam bonas, ex quibus voluptas percipitur, inſtinctus moralis ſit (§. 904.); inclinationes naturales ex inſtinctu morali naſcuntur. *Quod erat primum.*

Similiter reclinatio ſeu horror naturalis eſt determinatio naturalis ſeu generalis averſationis ad aliquid averſandum (§. 896.). Quoniam itaque averſatio generaliter determinata eſt ad averſandum ea, quæ moleſtiam pariunt (§. 890.), generalis autem determinatio facultatis cognoſcitivæ

Digitized by Google

ſcitivæ ad repræſentandas actiones tanquam malas, quæ moleſtiam creant, inſtinctus moralis ſit (§. 904.); reclinatio ſeu horror naturalis ex inſtinctu morali naſcitur. *Quod erat alterum.*

Agnovere veteres inſtinctum (*not. §. 904.*), non tamen agnovere, quod ab eo originem ſuam deducant inclinatio & horror naturalis, quaſi detur in anima determinatio aliqua appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ primitiva, quæ non ſequatur legem appetitus & averſationis. Utile tamen eſt originem inclinationis & horroris naturalis cognoſcere, ut mores naturales plenius percipiantur.

§. 907.

Undenam ſint præter conformationem partium in corpore obſervabilia.

Quæ in corpore humano præter conformationem partium obſervantur differentiæ, aut a conformatione partium, aut a fluidis in eodem contentis dependent. Etenim quæcunque in corpore humano dantur differentiæ præter conformationem partium, rationem ſufficientem in iis habere debent, quæ ad corpus ſpectant (§. 70. *Ontol.*). Enimvero corpus conſtat ex partibus ſolidis, quæ certo modo ſunt conformatæ, & ex fluidis, quæ certo modo ſeſe habent. Neceſſe igitur eſt, ut quæ in corpore humano præter conformationem partium obſervantur differentiæ, aut in conformatione partium, aut in fluidis rationem ſufficientem habeant, conſequenter inde dependeant (§. 851. *Ontol.*).

§. 908.

Conformationis partium & ceterarum differentiarum corporum humanorum

Conformatio partium corporis ac ceteræ differentiæ, quæ in corporibus humanis obſervantur, inclinationibus & reclinationibus naturalibus reſpondent. Etenim vultui inſunt ac voci, quæ appetitionibus & averſationibus reſpondent (§. 850.), & actiones externæ, quæ hiſce conveniunt, in motibus organorum corporis conſiſtunt (§. 567. *Part. I. Theol. nat.*).

cum inclinationibus & reclinationibus naturalibus convenientia.

Quamobrem cum vultus & vox a partium conformatione pendeat (§. 708. 712.), & propter fluidorum qualitates & quantitatem atque partium ſolidarum conformationem motus iſtiusmodi poſſibiles ſint, quibus actiones externæ perficiuntur, quemadmodum in Phyſica oſtendetur, differentiæ autem, quæ in corporibus humanis præter conformationem partium obſervantur, aut a conformatione partium, aut a fluidis partibus, quoad qualitates & quantitatem diverſis in corporibus diverſis, experientia teſte, dependeant (§. 907.); conformatio partium aliæque differentiæ, quæ præter eam in corporibus humanis obſervantur, appetitionibus & averſionibus reſpondent. Enimvero inclinationes naturales ſunt generales determinationes appetitus (§. 895.), & reclinationes naturales generales determinationes averſationis (§. 896.). Quamobrem conformatio partium aliæque differentiæ, quæ præter eam in corporibus humanis obſervantur, inclinationibus & reclinationibus reſpondent.

Nimirum quemadmodum per eſſentiam & naturam animæ ponuntur inclinationes & reclinationes naturales; ita per eſſentiam & naturam corporis ponitur conformatio partium cum ceteris differentiis, quæ in corporibus humanis obſervantur. Atque hoc pacto corpus efficitur animæ harmonicum. Vidimus hanc harmoniam in Pſychologia rationali. Plurimum tamen adhuc lucis eidem affundetur per Philoſophiam moralem atque Phyſicam.

§. 909.

An detur Phyſiognomia.

Phyſiognomia datur. Etenim conformatio partium corporis ac ceteræ differentiæ, quæ in corporibus humanis obſervantur, inclinationibus & reclinationibus reſpondent (§. 908.), conſequenter hæ ex illis colligi poſſunt. Enimvero inclinationes & reclinationes naturales in generali

rali quadam appetitus & averſationis determinatione conſiſtunt (§. 895. 896.). Patet itaque ex conformatione partium corporis ac ceteris differentiis, quæ in corporibus humanis obſervantur, determinationem generalem appetitus & averſationis colligi poſſe. Enimvero qui ex iis, quæ in ſenſus incurrunt, determinationem generalem appetitus & averſationis quoad actiones certi generis, vel certæ ſpeciei colligit, mores conjectat (§. 704.), & qui mores hominum ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore deſumtis conjectat, phyſiognomizat (§. 882.). Patet itaque phyſiognomizationem eſſe poſſibilem, adeoque Phyſiognomiam dari (§. 881.).

Male igitur Phyſiognomia cum ceteris artibus divinatricibus in eundem cenſum refertur, digna omnino, quæ excolatur, & ad communem uſum aptetur.

§. 910.

Uſus Phyſiognomiæ.

Qui phyſiognomizat, ex conformatione partium corporis aliisque differentiis in eodem obſervabilibus inclinationes & reclinationes naturales colligit. Qui phyſiognomizat, ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore deſumtis mores hominum, adeoque determinationem generalem appetitus & averſationis quoad actiones certi generis vel ſpeciei certæ (§. 704.) colligit (§. 882). Sed determinationes iſtæ generales appetitus & averſationis inclinationes & reclinationes naturales ſunt (§. 895. 896.). Quamobrem qui phyſiognomizat, ex conformatione partium corporis aliisque differentiis in eodem obſervabilibus inclinationes & reclinationes naturales colligit.

Atque adeo conſtat, intra quos terminos contineatur Phyſiognomia, ne ei plus tribuatur, quam debetur.

§. 911.

Digitized by Google

§. 911.

Altera cura ejus, qui Phyſiognomiam excolere voluerit.

Quoniam qui phyſiognomizat, ex conformatione partium corporis aliisque differentiis in eodem obſervabilibus inclinationes & reclinationes naturales colligere debet (§. 910.); *Qui Phyſiognomiam excolere vult, inquirere tenetur, quænam inclinationes & reclinationes naturales conformationi partium aliisque differentiis corporum humanorum obſervabilibus reſpondeant.*

Atque hoc alterum eſt, quod ſibi propoſitum habere debet, qui Phyſiognomiam excolere voluerit. Quoniam vero omnis cognitio humana vel a priori vel a poſteriori acquiritur (§. 435. *Pſych. empir.*), inveſtigatio autem præſens propter defectum theoriæ, quam præſupponit (§. 460. *Pſych. empir.*), admodum difficilis; quin a poſteriori ſit procedendum dubitandum non eſt. Eo fine addimus propoſitionem ſequentem.

§. 912.

Morum naturalium cum inclinationibus & reclinationibus naturalibus conformitas.

Inclinationes & reclinationes naturales ſequuntur mores naturales, ſeu hi illis conformes ſunt. Etenim mores animi ſunt conſtantes ac perpetui modi determinandi actus facultatum animæ, & his accedunt externi, quatenus actiones externæ iisdem reſpondentes cum ipſis ſimul ponuntur (§. 688.). Quamobrem cum mores naturales per eſſentiam & naturam animæ & corporis determinentur (§. 689.), adeoque ſequantur generalem determinationem appetitus & averſationis, qualis per eſſentiam & naturam animæ obtinet, in hac vero inclinationes & reclinationes naturales conſiſtunt (§. 895. 896.); mores naturales ſequuntur inclinationes & reclinationes naturales, ſeu his illi conformes ſunt.

Qui mores pro determinatione generali appetitus ad actiones certi generis vel ſpeciei committendas, & averſationis ad actiones certi generis vel ſpeciei non committendas, ſeu omi-

omittendas habent (§. 703.), ipſas inclinationes & averſationes naturales pro moribus naturalibus habent. Enimvero quoniam mos ex communi loquendi uſu denotat modum conſtantem ac perpetuum determinandi actionem dati generis, vel datæ ſpeciei, ſeu identitatem agendi in eodem caſu (§. 687.), & hinc vulgo ex hac identitate mores colliguntur, identitas vero determinandi appetitionem & averſionem, conſequenter actionem huic reſpondentem, generalem appetitus atque averſationis determinationem præſupponit; mores naturales ab inclinationibus & reclinationibus naturalibus diſtingui, & ab hiſce illos derivari conſultius eſt.

§. 913.

Quoniam mores naturales conformes inclinationibus & reclinationibus naturalibus (§. 912.), inclinationes autem & reclinationes naturales conformationi partium corporis, ac ceteris differentiis in corporibus humanis obſervabilibus (§. 908.); *mores naturales conformes ſunt conformationi partium, & ceteris differentiis in corporibus humanis obſervabilibus.* *Conformitas morum naturalium cum conformatione partium, & ceteris differentiis corporum humanorum.*

Hanc conformitatem obſervarunt veteres, & ea animadverſa de Phyſiognomia condenda cogitarunt, in qua docere intendebant, quomodo ex conformatione partium, aliisque indiciis in corpore humano obviis colligantur mores naturales. Veteres enim in obſervando fuere ſatis ſolertes, & in iis, quæ per obſervationes patebant, diſtinguendis ſatis acuti: ſed in cognitione a priori parum profecere, defectu methodi. Quodſi noſtro more fuiſſent philoſophati, Philoſophia dudum ad altius faſtigium fuiſſet evecta, ad majorem certitudinem perducta, & uſibus vitæ humanæ magis accommodata. Phyſiognomiam quoque ad majorem perfectionis gradum evexiſſent, ut, cum hodie deſerta & inculta jaceat, inter ſcientias utiliſſimas numeraretur. Inſanire igitur jure dixeris eos, qui contra methodum tantopere declamant, eamque vel damnant, quaſi periculum omni doctrinæ, immo interitus Eccleſiæ ac Reipublicæ inde immineat, vel

Digitized by Google

tanquam inutilem rejiciunt, quaſi absque ea omnia facilius & ſolidius comprehenderentur, vel denique deridendam propinant, quaſi abſurdum eſſet eadem uti.

§. 914.

Identitas morum naturalium brutorum ac hominum, itemque inclinationum ac reclinationum naturalium unde colligatur.

Si conformatio partium corporis humani eadem fuerit, quæ corporis bruti cujusdam, & differentiæ aliæ, quæ in illo notantur, eædem fuerint, quæ corporis bruti cujusdam a corporibus brutorum aliorum; mores naturales hominis ac bruti illius iidem ſunt, eædem etiam ſunt utriusque inclinationes & reclinationes naturales. Mores enim naturales conformes ſunt conformationi partium corporis, ac ceteris differentiis in corpore obſervabilibus (§. 913.). Sed mores naturales hominum iidem ſunt cum moribus brutorum (§. 899.). Ergo ſi conformatio partium corporis humani eadem fuerit, quæ corporis bruti cujusdam, & differentiæ aliæ, quæ in illo notantur, eædem fuerint, quæ corporis bruti cujusdam a corporibus brutorum aliorum; mores naturales hominis ac bruti illius iidem ſunt. *Quod erat unum.*

Porro mores naturales conformes ſunt inclinationibus & reclinationibus naturalibus (§. 912.). Enimvero ſi conformatio partium corporis humani eadem fuerit, quæ corporis bruti cujusdam, & differentiæ aliæ, quæ in illo notantur, eædem fuerint, quæ corporis bruti cujusdam a corporibus brutorum aliorum, mores naturales hominis ac bruti illius iidem ſunt (*vi num. 1*). Quamobrem eædem quoque ſunt inclinationes ac reclinationes naturales, ſi conformatio partium corporis humani eadem fuerit, quæ partium corporis bruti cujusdam, & differentiæ aliæ, quæ in illo notantur, eædem fuerint, quæ corporis bruti cujusdam a corporibus brutorum aliorum. *Quod erat alterum.*

Has

Digitized by Google

Hanc morum identitatem ſimilitudini corporis hominum & brutorum reſpondentem jam obſervarunt veteres. Viderunt nimirum eſſe hominibus mores, quales etiam in brutis obſervantur, & faciem inprimis humanam ſimilitudinem quandam habere cum facie brutorum, quibus iidem ſunt mores. Hoc cum in quibusdam moribus manifeſtiſſimum ſit, attentionem eorundem excitavit, ut ad alios quoque mores animum adverterent, qui alias eorum attentioni ſe ſubduxiſſent. Elucet hoc ex ſcriptis phyſiognomicis, in quibus etiam conjectatio morum ex ſimilitudine hominum cum brutis docetur.

§. 915.

Modus inveſtigandi morum naturalium cum conformatione partium, aliisque indiciis corporis convenientiam.

Quoniam mores naturales hominis iidem ſunt cum moribus brutorum, ſi conformatio partium corporis humani & corporis alicujus bruti eadem fuerit, & eædem fuerint differentiæ aliæ, quibus tam corpora humana, quam brutorum a ſe invicem differunt (§. 914.), qui vero Phyſiognomiam excolere voluerit, inveſtigare debet, quomodo ex conformatione partium corporis, aliisque differentiis a corporibus aliis conjectentur mores (§. 881); *Qui Phyſiognomiam excolere voluerit, mores brutorum obſervare, & conformationem partium, aliasque differentias in brutorum pariter atque humanis corporibus obvias inveſtigare tenetur.*

Elucet hinc uſus hiſtoriæ animalium, quæ obſervationibus certis nititur. Et in uſum phyſiognomicum in hiſtoria animalium perficienda utiliter operam ſuam collocarent, qui acumine, ingenio & induſtria præſtant. Exemplo ipſis eſſe poteſt vir ſummus *de Reaumur*, in Commentariis de Inſectis, nunquam pro merito deprædicandis. Quorumnam vero habenda potiſſimum ſit ratio, ut hunc uſum conſequamur, ipſa præſens propoſitio ſatis ſuperque docet. Quoniam in hiſtoriis animalium, quæ nunc proſtant, multa occurrunt fabuloſa, & a veritate aliena; iisdem tuto fidere non licet. Quamobrem non ſine ratione dixi,

 hiſto-

hiſtoriam animalium niti debere obſervationibus certis, non relationibus undecunque acceptis.

§. 916.

Præſtantia hujus modi.

Quoniam bruta, ea præſertim, quæ extra hominum conſortium degunt, inclinationibus atque reclinationibus naturalibus conformiter agunt, nec mores alterant naturales, quemadmodum homines, in quibus multum valet educatio, conſuetudo cum aliis, inſtitutio, exercitatio, conſequenter eosdem puros conſervant; *ex ſimilitudine corporum humanorum cum brutis, quoad conformationem partium, aliasque differentias mores naturales optime ac omnium tutiſſime inveſtigantur.*

Hac de cauſa ceteris certiora exiſtimo, quæ de conjectatione morum ex ſimilitudine hominum cum brutis, præſertim quoad faciem, in Phyſiognomia hactenus traduntur. Et eadem de cauſa conſultum exiſtimo, ut Phyſiognomiam exculturus inde initium ſumat. Non addimus cautiones, quas in hac diſquiſitione adhibere tenemur, ne facile nobis ac aliis in re delicata imponamus: pendent enim a principiis, quæ nondum a nobis demonſtrata ſunt. Ipſum opus aggrediendum eſt: ubi in progreſſu, modo debitam diligentiam adhibeamus, ſucceſſive poteſtati noſtræ ſubjicientur, quæ nunc in eadem non ſunt.

§. 917.

Cur Phyſiognomia ad mores conjectandos non ſufficiat.

Phyſiognomia non ſufficit ad mores hominum conjectandos. Qui enim phyſiognomizat, ex conformatione partium corporis, aliisque differentiis in eodem obſervabilibus inclinationes & reclinationes naturales colligit (§. 910.), conſequenter mores naturales (§. 912.). Sed obvia experientia comprobatum eſt, ſuoque loco a priori demonſtrabitur, educatione, conſuetudine cum aliis, inſtitutione & exercitatione mores contrahi poſſe inclinationibus & reclinatio-

nationibus naturalibus contrarios, ut a moribus naturalibus recedamus. Phyſiognomia itaque non ſufficit ad mores hominum conjectandos.

Quemadmodum oppido falluntur, qui ex ſolis inclinationibus & reclinationibus naturalibus omnes omnino hominum actiones deducere volunt, quaſi nulla eſſet homini ratio, aut ejus in moribus hominum immutandis nulla vis; ita non minus ſibi imponunt, qui ex Phyſiognomia ſola de moribus hominum judicium ſibi ſumunt.

§. 918.

Actio inclinationi ac reclinationi contraria num ſit ſimulata.

Actio inclinationi naturali aut reclinationi contraria ſimulata non eſt, niſi quamdiu aliquis mores naturales non mutavit. Etenim mores naturales inclinationibus ac reclinationibus naturalibus conformes ſunt (§. 912.), conſequenter actiones ex iisdem profectæ (§. 687.) cum internis conſentiunt (§. 895. 896.), adeoque ſinceræ ſunt (§. 714.), non ſimulatæ (§. 716.). Quamdiu itaque aliquis mores naturales non mutavit, actio inclinationi naturali aut reclinationi contraria ſimulata eſt (§. 716.). Enimvero ſi quis mores naturales mutavit, actiones inclinationi naturali aut reclinanationi conformes amplius non ſunt (§. 912.), adeoque nec ſinceræ eidem contrariantur (§. 895. 896. 714.), conſequenter ex eo, quod ſunt inclinationi aut reclinationi contrariæ non colligitur, eas eſſe ſimulatas (§. 716.). Patet itaque, actionem inclinationi aut reclinationi contrariam ſimulatam non eſſe, niſi quamdiu quis mores naturales non mutavit.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ne in ſimulatione detegenda fallamur. Unde patet, in hominum moribus conjectandis nihil agere eos, qui mores hominum naturales immutabiles ſumunt (*not. §. 917.*).

§. 919.

Vultus, geſtus & vox quando naturalis, quando affectata.

Vox, vultus & geſtus dicuntur *naturales*, qui inclinationibus & reclinationibus naturalibus conformes ſunt: aſt *affectati*, qui difformes aut contrarii ſunt. Illos appellamus ſermone vernaculo freye, item ungezwungene Stimme, Minen und Geberden; hos vero gezwungene.

Hinc *Thümmigius* in Inſtitutionibus, quas ex operibus noſtris philoſophicis Germanico idiomate coſcriptis confecit, naturales vocat *liberos*, affectatos autem *coactos*.

§. 920.

Quales ſint naturales & affectati.

Quoniam vox, vultus & geſtus naturales inclinationibus & reclinationibus naturalibus conformes ſunt, difformes autem ſeu contrarii ſunt affectati (§. 919), & inclinationes ac reclinationes naturales conformationi partium corporis ac ceteris differentiis, quæ in corporibus humanis obſervantur, reſpondent (§. 908.); *vox, vultus & geſtus naturales conformationi partium corporis ac ceteris differentiis, quæ in corporibus humanis obſervantur, conformes ſunt, affectati autem contrarii.*

Differentia hæc in oculos incurrit, ſi vel levi, immo ſubinde nulla attentione utaris. Ineſt quædam contrarietas vultui, quæ difformitatem iſtam manifeſtat, nec eam occultam eſſe ſinit. Idem deprehenditur in voce ac geſtu, etſi non eadem facilitate, qua in vultu detegatur. Notatur præterea aliquid contrarietatis inter vultum ac vocem, inter vocem & geſtus, inter vultum atque geſtus, & inter vultum, vocem atque geſtus ſimul pro diverſa horum difformitate. Unde patet poſſibilem eſſe aliquam theoriam de conſenſu vultus, geſtuum ac vocis atque inclinationum & reclinationum naturalium, quæ adhuc in deſideratis eſt. Ad hanc theoriam etiam referenda reductio affectatorum geſtuum, vultus ac vocis in concordiam cum naturalibus, ut tollatur, quod in hiſce maxime diſplicet, eosque exoſos reddit. Quamvis

Digitized by Google

vis vero utilitate ſua non careat hæc theoria, & vultus, geſtus ac vox mirifice ſubinde influant in fortunam hominis, quemadmodum illuſtribus exemplis doceri poterat; alia tamen bene multa in Philoſophia morali reſtant, de quibus ante cogitandum, quam animum ad talia appellere licet. Immo ſi cum laude in hiſce verſari volueris, Philoſophia moralis & Phyſica ſuppeditare principia debet, quæ hactenus deſiderantur.

§. 921.

Fundamentum conjectationis morum ex ſomniis.

Actiones, quas per ſomnium nobis committere, vel non committere velle videmur, moribus noſtris conformes ſunt. Somnium enim naturale, de quo jam nobis ſermonem eſſe per ſe patet, per legem imaginationis continuatur (§. *327. Pſych. rat.*). Sed per legem imaginationis non reproducuntur niſi perceptiones, quas antea habuimus (§. *117. Pſych. empir.*), ac inprimis, quæ ſæpe nobis fuerunt (§. *107. Pſych. empir.*). Quamobrem nec reproduci poſſunt niſi ideæ boni & mali, ex quibus de actionibus committendis vel omittendis ſtatuere ſolemus, conſequenter actio, quam per ſomnium nobis committere, vel committere nolle nobis videmur, per motiva ordinaria determinatur (§. *890. Pſych. empir.*), adeoque cum conſueta convenit, aut ſaltem appetitionibus & averſionibus conſuetis conformis, ſi talis fuerit actio, quam quidem vigilantes committere vellemus, ſed a qua rationes quædam ſingulares nos abducunt (§. 731.). Quoniam itaque actiones conſuetæ moribus conformes ſunt (§. 747.); actiones, quas per ſomnium nobis committere, vel committere nolle videmur moribus conformes ſunt.

Equidem anima etiam in ſomnio operationes intellectus edere poteſt, veluti judicare & ratiocinari (*§. 419. Pſych. rat.*): non tamen hinc inferre licet, quod actiones a conſueto agendi

more

Digitized by Google

more in ſomnio recedant, cum etiam, quando vigilamus, intellectus ſeſe immiſceat actionibus noſtris.

§. 922.

Conjectatio morum ex ſomniis.

Quoniam actiones, quas per ſomnium committere velle, aut nolle nobis videmur, moribus noſtris conformes ſunt (§. 921.); *ex ſomniis mores conjectare licet.*

Dantur etiam aliæ adhuc rationes, cur ſomnia appetitionibus & averſionibus noſtris conſuetis, adeoque moribus noſtris conformia ſunt. Sed eas hic diſertius exponere non eſt inſtituti noſtri.

§. 923.

Onirologia moralis quid ſit.

Onirologia moralis eſt ars conjectandi hominum mores ex ſomniis.

Dari iſtiusmodi artem liquet (§. 922.). Sed eam adhuc eſſe in deſideratis, nemo eſt qui ignorat. Non confundenda eſt cum Oniromantia, ſeu divinatione ex ſomniis, arte antiquiſſima; ſed parum certa.

FINIS
PARTIS II.
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ UNIVERSALIS.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS
PARTIS II.
PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ UNIVERSALIS.

CAPUT I.

De generali Actionum humanarum directione, 1

CAPUT II.

De Modo conſequendi ſummum Bonum & Felicitatem terreſtrem, 193

CAPUT III.

De Cuſtodia Conſcientiæ & Culpa vitanda, 555

CAPUT IV.

De Conjectandis hominum Moribus, 629

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Abſentia animi. Definitio, 651. remedium, 652
Abſurdum. Definitio, 448. quando quid ſit, 449
Accendere ardorem quid ſit, 235
Accuſatio conſcientiæ in quem non cadat, 683. cui non metuenda, 612
Acumen requiſitum ad mentem acuendam, ut nexus actionum cum fine ultimo perſpiciatur, 87
Acumen alienum quando nos juvat in dijudicando nexu actionum cum fine ultimo, 90
Acquieſcentia in ſeipſo quale ſit motivum, 354. quando ardorem accendat, 239. quando intendat, 240
Actio quomodo impediatur, 188. quotuplici modo impediatur, 189. quando ſit ſincera, 724. quomodo prodat affectum, 801. quænam moribus conjectandis inſerviat, 827. quænam ſimulationem prodat, 853. quinam committendam amet, 228. quinam oderit, 228. quomodo quis a committenda avocetur, 361. 362. & ſeqq. qualis ſit ejus qui morem mutavit, 875
Actionis determinatio extrinſeca. Definitio, 94
intrinſeca. Definitio, 94. quænam a circumſtantiis pendeat, 96
Actionis diſtincta notio quomodo acquiratur, 93
Actionis notionem inſinuando quomodo concurratur ad actionem alterius, 115. 116
Actionum conſenſus quomodo obtineatur, 2. quidnam ad eum requiratur, 3. qualis requiratur, 1. quod ad virtutem, 6. ad vitam perfectam requiratur, 10
Actionum convenientia cum lege naturæ ad conſenſum actionum requiſita, 3
Actionum directio ſapiens quando obtineat, 59. quando cum vita perfecta coincidat, 60
Actionum examen cur continuo abbrevietur, 438. quomodo ejus moleſtia evaneſcat, 439
Actionum nexus cum fine ultimo, 68. 71. in vita perfecta, 70. cum perfectione ſui aliorumque unde dijudicetur, 78. 79
Actionum nexus univerſalis ad vitam perfectam requiſitus, 72. ad ſapientem directionem actionum neceſſarius, 73
Actio conſueta. Definitio, 729. quomodo

Digitized by Google

modo determinetur, 729. 731. qualis ſit, 734. cur moribus conjectandis inſerviat, 827
Actionum conſuetarum cum moribus conformitas, 747. ad appetitum & averſationem relatio, 749
Actio contraria actioni. Definitio, 187
Actionis externæ cum interna conſenſus. Definitio, 714. quantus adeſſe debeat in ſincera, 715
ab interna Diſſenſus. Definitio, 716
Actionum humanarum finis ultimus, 28
Actio inclinationi & reclinationi naturali conveniens num poſſit eſſe ſimulata, 918
Actio indeliberata qualis ſit, 738. 739. 740. quomodo ſe habeat ad appetitum & averſationem, 751. quod cum moribus conveniat, 750. quod moribus conjectandis inſerviat, 827
Actio inſueta. Definitio, 729. quomodo determinetur, 730. 731. quando moribus contraria, 748. quando ſimulationi detegendæ inſerviat. 873
Actionum Legi naturæ conformium committendarum motivum 385
contrariarum omittendarum motivum, 385
Actio ſimulata. Definitio, 716. quomodo ſe habeat ad motiva, 737. quando conſueta fiat, 874. quando ad mores conjectandos utilis, 836. quod a ſincera in conjectandis moribus diſtinguenda, 837
Actio ſincera. Definitio, 714. qualis eſſe debeat, 715. quomodo determinetur, 733
Adfabulatio. Definitio, 304
Adhortatio. Definitio, 125. qualis ſit, quæ fit cum comminatione, 143
Adhortantis concurſus ad actionem alterius, 144
Admiratio. Definitio, 294. cauſa, 294
Admonendo quomodo quis concurrat ad actionem alterius, 120
Æmulatio. Definitio, 287. quantum cum imitatione conveniat, 288. cauſa quando ſit odium, 290. quando invidia, 291. quomodo excitetur, 296
Æmulus quinam ſit, 287
Æmuli invidi qualis ſit animus, 292. 293
Affectus quinam ardorem intendant, 243. quod attentionem impediant, 531. 532. cur impediant, quo minus propoſiti ſimus memores & legis naturæ recordemur, 533. quomodo impediant legis naturæ applicationem, 534 quomodo impediant, ne nexus actionis cum fine ultimo perſpiciatur, 534. quomodo nos abripiant ad agendum & non agendum, 536. quomodo ad legem naturæ transgrediendam, 536. quomodo impediant actionem legi naturæ convenientem, 538. cur impediant vitam perfectam, 539. quod virtutem impediant, 541. ad vitia abripiant, 541. quod impediant vitam naturæ humanæ, voluntati divinæ, ſapientiæ conformem ac ordinatam, 540. quando nos ſeducant, 542. quænam prodant, 752. quod moribus inveſtigandis inſerviant, 790. qualia verba ſuggerant, 799. quomodo diſſimulentur, 802. quinam in con-

Digitized by Google

conjectandis moribus eligendi, 818. 819 820. quando ab imaginatione dependeant, 821. quando ſimulationem prodant, 855. quomodo ſermone prodantur, 800. 801. quomodo influant in attentionem, 530. quod ad agendum & non agendum tendant, 535
Affectus diſſimulatio cur ſit difficilis, 805. quid requirat, 804 quando difficillima, 806
Affectuum dominium. Definitio, 543. 554
Affectus futuri ſimulatio quomodo ſeſe habeat, 815
Affectus latens unde colligatur, 754
Affectus objectum quomodo innoteſcat, 792. quomodo ut tale repræſentetur, quale is requirit, 822
Affectu perturbati animi ſtatus qualis ſit, 789
Affectus præteritus quomodo diſſimuletur, 807. quomodo ſimuletur, 812. cur facilius ſimuletur præſente, 813. quam circumſpectionem in ſimulando requirat, 814
Affectus ſpecies quomodo detegatur, 755. 756. 757
Affectuum ſigna diagnoſtica quomodo a poſteriori detegantur, 788
Affectus ſimulatio cur ſit difficilis, 811. quænam requirat, 809. qua theoria indigeat, 810
Agendi animum quinam habeat, 174
Allicere quid ſit, 134
Allicientis concurſus ad actionem alterius, 148. 149
Amantis quando interſit, ne amatus quid faciat, 127
Amor actionis committendæ, 228. vitæ perfectæ, 222. virtutis quibusnam conveniat, 220
Animæ inexiſtentia cur ab altero ope definitionis non agnoſcantur, 771. quando definitiones ad ea applicari poſſint, 772
Animæ actus interni quomodo ſufficienter ſignificentur, 109
Animus agendi. Definitio, 168
Animus ad agendum diſpoſitus. Definitio, 169
Apertum. Definitio, 782. cur ſignis non indigeat, 783. an ſigna dentur, 784
Appetitus cur averſationi contrarius in ſimulatione, 849. quomodo ſe habeat in moribus ſimulatis, 865. quomodo generaliter determinatus ſit, 890. 893. quomodo ſe habeat in moribus, 697 698
Appetitus ſenſitivus cum rationali quando prorſus conſentiat, 572. quomodo ad conſenſum cum rationali reducatur, 581
Appetitus felicitatis qualis ſit, 324
Appetibilitas boni qualis ſit, 348
ſummi boni qualis ſit, 331
Appropinquatio ad vitam perfectam, 11
Aptitudo ceremoniarum cur requiratur, 488
Aptitudo repræſentandi perfectionem Dei finis ultimus actionum humanarum, 29
Ardor. Definitio, 218. quando eidem ſit locus, 219. qualis ad ſummum bonum conſequendum, 229. qualis ad vitam perfectam, 230. qualis ad virtutem

Digitized by Google

tutem requiratur, 231. quibusnam intendatur, 234. 237. 240. 242. 243. quibusnam accendatur, 238. 239. 241. effectus. 228
Ardore flagrans qualem habeat appetitum, 223. quomodo ſeſe habeat in agendo, 223. 224. 225. 229
Ardor agendi quomodo excitetur, 411
non agendi quomodo excitetur, 413
colendi virtutem quomodo excitetur, 415
fugiendi vitia quomodo excitetur, 418
legem naturæ ſervandi, vitam perfectam, rationi conformem, homine dignam vivendi, quomodo excitetur, 412
legem naturæ non transgrediendi, vitam imperfectam, rationi contrariam, homine indignam vivendi quomodo excitetur, 414
ſummi boni proſequendi quomodo excitetur, 417
ſummi mali fugiendi quomodo excitetur, 418
Ars conjectandi hominum mores ex actionibus poſſibilis, 826
Ars inveniendi ad acuendam mentem, ut nexus actionum cum fine ultimo perſpiciatur, requiſita, 89. quomodo nos juvet in dijudicando nexu actionum cum fine ultimo, 90
Aſſenſus quomodo fabula eliciatur, 305. firmioris cauſa, 301
Attentio quantum ſubjiciatur domino ſui ipſius, 505
Attentionis impedimentum, 531
Attentio ad circumſtantias omnes ad culpam vitandam requiſita, 647
Attentio deficiens quomodo legis naturæ applicationem impediat, 517
Attentionis deficientis effectus, 514
Averſabilitas ſummi mali qualis, 333
Averſatio quomodo ſe habeat in moribus. 697, 698. quomodo generaliter determinata ſit, 890. 893
Averſatio infelicitatis qualis ſit, 325
Averſatio ſenſitiva quomodo ad conſenſum cum rationali reducatur, 581. quando cum rationali prorſus conſentiat, 572

B.

Beatitudo cur in ſervitute morali locum non habeat, 553
Blandimenta quid ſint, 132. eorum effectus, 133
Bonum cur appetibile per ſe, 348. cur motivum ſui ipſius, 348
Boni notio confuſa quænam ſit in moribus naturalibus, 905
confuſa & diſtincta repræſentatio quando conſentiant, 574
Bonorum verorum appetendorum motivum, 349
Bonitas actionis quale ſit motivum, 369
Bonitas divina cur ſit motivum ſervandi legem naturæ eamque non transgrediendi, 409. cur ſit motivum vitæ perfectæ, 410
Brutorum more quando vivatur, 547

C.

Caſus quinam ſimiles & diſſimiles, 209. quando ſimiles videantur, 210. quomodo

modo omnes poſſibiles in executione actionis detegantur, 181

Caſus in moralibus quid dicatur, 180

Caſus præſens quomodo agnoſcatur, 183. quando in eodem determinando aberretur, 184

Caſuum ſimilium expectatio quidnam ſit, 212. quid ad eam requiratur, 213

Ceremoniæ. Definitio, 442. num inſtitutio rationi conformis, 443. quomodo dijudicandæ, 444. quando ſuperfluæ, 445. quando non, 446. quando neceſſariæ, 447. quando abſurdæ, 450 qualia ſint ſigna, 451. quænam retinendæ, nec reprehendendæ, 453. quando a ſingulis in privatum uſum inſtituendæ, 454. quodnam jus in eas competat ſingulis, 455. quando in actionibus humanis conſiſtant, 458. quomodo actionis commiſſionem & omiſſionem juvent, 459. uſus in promovendis exercitiis virtutis & fuga vitiorum, 460. quando ad virtutem trahant, a vitio retrahant, 461. quomodo ſe habeant ad actiones, 464. quando ſint nullæ, 465. num nullo fine adhibitæ abrogandæ, 466. quando illicitæ, 468. 472. quænam recipi non poſſint, 473. quando placeant, 474. quænam pulchræ, 475. quarum uſus facilior, 477. quando rejiciendæ, 480. 508. cur aptæ eſſe debeant, 484. quando injuſtæ, 505. quando iniquæ, 506. cur introducantur, 507. quomodo inveniantur, 609. quomodo inventæ limentur, 510

Ceremonia apta. Definitio, 483. cur apta eſſe debeat, 484

conveniens. Definitio, 485. quænam ſit, 486. cur eſſe debeat, 488. quando ſimul apta, 487

de futuro. Definitio, 491. effectus, 492. quænam eidem inſerviant, 493

illicita quando in licitam degeneret, 470

inconveniens. Definitio, 485

inepta. Definitio, 483

licita quando illicita fiat, 469

indecora cur rejicienda, 480. ex quo fonte fluat, 481. 482

nuda. Definitio, 462. uſus, 489

Ceremonia de præſenti. Definitio, 491. effectus, 492. quando ſimul ceremonia de futuro, 495

pulchra quænam ſit, 475. cur aliis præferenda, 478

veſtita. Definitio, 462. uſus, 490. quando nudis præferenda, 463. 479

Ceremoniarum inſtitutio quando legi naturæ conformis, 501. quid ei intendatur, 456

Ceremonias inſtituendi jus undenam ſit, 503

Ceremoniarum ſcientia quod detur, 511

ſignificatus cur docendus, 457. num mutari poſſit, 452. cur eundem amplificare liceat, 504

Circumſpectio in ſimulatione, 870. in ſimulando affectu præterito adhibenda, 871

Ce

Digitized by Google

Circumſtantiæ. Definitio, 95. Diviſio, 98. inveſtigatio, 182. unde dependeant, 97. quomodo determinentur, 102. quomodo dignoſcantur eæ, ad quas agens attendit, 835
Circumſtantias aperiendo quomodo quis ad actionem alterius concurrat, 117
Circumſtantiæ perſonarum quomodo detegantur, 105. 108
Circumſtantiæ adverſæ. Definitio, 159
favorabiles. Definitio, 159
minus favorabiles. Definitio, 159
Collisio motivorum. Definitio, 741. quando obtineat, 742
Cognitionis claritas undenam ſit, 253
Cognitionis intuitivæ objectum, 254. ad ſymbolicam reductio. 255. 256
Cognitio per exempla qualis ſit, 297
Cognitio mortua. Definitio, 244. undenam ſit, 246. quando ſit. 245. 247
Cognitio veritatis quomodo ad intuitivam reducatur, 307
Cognitio viva. Definitio, 244. undenam ſit, 246. quando ſit, 245. cui conveniat, 248. quomodo acquiratur, 274. 249. quando omnibus ſuis numeris abſoluta, 323
Cognitio univerſalis quomodo illuſtretur, 262
Comminatio. Definitio, 131
Comminantis concurſus ad actionem alterius 147
Concurſus ad actionem alterius quando obtineat, 106. 107. quotuplici modo fiat, 110. & ſeqq. quando fiat actu intellectus, 111. voluntatis, 112. facultatis locomotivæ, 113. conſilio, 114. comminatione, 147
Conformatio partium quomodo innoteſcat, 886. quibus moribus reſpondeat, 888. 913. quibus inclinationibus & reclinationibus, 908
Confirmatio veritatis. Definitio, 251
Confucius laudatur, 264
Conjectatio morum. Definitio, 704. in quo conſiſtat, 705
ex affectu quomodo fiat, 793. quando certior, 824. quam cautionem requirat, 817
ex actionibus num poſſibilis, 826. quomodo fiat, 838. quales actiones requirat, 827. 828
ex ſimulatione quomodo fiat, 869. quando actio ſimulata eidem inſerviat, 836
ex ſimilitudine hominum cum brutis quantum præſtet, 916
Conſcientia quomodo efficiatur libera, 606. quando ſit libera, quando ſerva, 607. a quonam cuſtodiatur, 609. 634. quando a ſervitute liberetur, 605. quando ſit tranquilla, 615. quando inquieta reddi nequeat 615. quando evigilet, 632
Conſcientiam cuſtodiens quomodo agat, 609. num ſit conſcientioſus, 611. a quibusnam ſibi cavere debeat, 597. quænam facere debeat, 599. 600. 602
Conſcientiæ accuſatio cui non metuenda, 612
excuſatio cujusnam ſit, 682. cuinam præſto ſit, 613
Conſcientia recta quænam requirat, 598. quando non ſit certa, 601

Digitized by Google

Conſcientioſus quid facere debeat, 616. num conſcientiam cuſtodiat, 616
Conſenſus actionis externæ cum interna. Definitio, 714. quantus eſſe debeat in actionibus ſimulatis, 715
Conſenſus actionum qualis requiratur, 1. quomodo obtineatur, 2. quænam requirat, 3
Conſenſus ſenſuum & imaginationis in repræſentando bono & malo quando non ſit perfectus, 583
Conſenſus ſenſuum & imaginationis cum intellectu quando ſit perpetuus, 577. quem uſum habeat in aſſenſu roborando, 301
Conſiderate agendi cura prima, 661
Conſilio quomodo concurramus ad actionem alterius, 114
Conſuetudo agendi quid faciat ad occaſionem arripiendam, 173
Convenientia ceremoniarum cur requiratur, 488
Convenientia cum lege naturæ quando motivum agendi, 372. 374. 397. 399. quando motivum actionem non omittendi, 377. quando motivum vitam homine dignam vivendi, 403. cur ad conſenſum actionum requiratur, 3
Corporum humanorum & brutorum differentiæ præter conformationem partium undenam ſint, 907. cur inclinationibus & reclinationibus naturalibus, 908. cur moribus naturalibus reſpondeant, 913
Corporum humanorum differentiis quales mores reſpondeant, 889
Culpa cur cum vita perfecta non conſiſtat, 24. quænam in ſimulando vitanda, 872. quinam nullius ſibi conſcius, 680
Culpæ origo, 641
vitandæ medium generale, 642. ſtudium in cuſtodia conſcientiæ quantum extendatur, 640. motivum, 686
evitatio cur ad cuſtodiam conſcientiæ requiratur, 637. a quibus erroribus aliena eſſe debeat, 645. a qua ignorantia libera, 644. quid in ea obſervandum, 646. 647
Culpa commiſſionis & omiſſionis cur cuſtodiæ conſcientiæ contraria, 639
Culpa media a vita perfecta removenda, 25
Culpæ ſenſu carens animus cur pars felicitatis, 685
Culpæ ſenſus a vita perfecta alienus, 681
Cuſtodia conſcientiæ quænam requirat. 597. 599. 600. 602. 608. cur cum virtute indivulſo nexu cohæreat, 605. quidnam eidem contrarietur, 639. ejus fructus, 612. 613. 614. 615. 638. motivum, 625. cur omnem facultatum uſum requirat, 643
Cuſtodiæ legis naturalis motivum, 326. 407. rigor, 4. extenſio, 5. ardor quomodo excitetur, 412. uſus in vita perfecta, 17

D.

Damnatio conſcientiæ quomodo vitanda, 625
Decorum quod ad vitam perfectam requiratur, 23. quando motivum agendi, 390. quando motivum actionem non

Digitized by Google

non omittendi, 395. num ſit motivum ejus, qui legem naturæ ſervare vult, 396
Decreti executio quando ſequatur, 426. quando ſuſpendatur, 423
Defectus rectitudinis quando motivum non agendi, 387. 389
Definitiones quomodo illuſtrentur, 258. 259. qualem habeant uſum in rebus agnoſcendis, 773
Definitionum illuſtratio. Definitio, 252
Deformitas vitæ imperfectæ, 343. quod ſit motivum vitæ imperfectæ vitandæ, 344
Deformitas motivum nolitionis, 339. quomodo eodem caute utendum, 540
Dehortantis concurſus ad actionem alterius, 145
Dehortatio. Definitio, 125
Deo vivere cur ad vitam perfectam ſpectet, 27
Differentiæ corporum præter conformationem partium undenam ſint, 907. cur inclinationibus & reclinationibus naturalibus, 908. cur moribus naturalibus reſpondeant, 913
Dilatatio fabulæ quo fundamento nitatur, 319
Diligentia in ſimulando adhibenda, 871. improvidentiam evitandi, 671
Directio ſapiens actionum quomodo obtineatur, 594
Diſconvenientia cum lege naturæ quando motivum agendi, 373. 374. 376. quando motivum nolitionis, 404
Diſconvenientia cum ratione quando motivum non agendi, 398. 400
Diſſenſus actionis externæ ab interna. Definitio, 716
Diſſenſus ſenſuum, imaginationis atque intellectus. Definitio, 576. quando nullus detur, 577. quando obtineat, 578
Diſſimulans intentionem quomodo ſe gerat, 722
Diſſimulatio. Definitio, 717. quænam inſit ſimulationi, 847. 744
Diſſimulatio præcedens. Definitio, 745
conſiſtens. Definitio, 745
conſequens. Definitio, 745. cur facilior conſiſtente, 808
Diſſimulatio affectus, 802. quomodo voluntas ad eam determinetur, 803. quando præſentiam animi requirat, 804. cur ſit difficilis, 805. quando difficillima, 806
Diſſimulatio finis qualis ſit, 720
Diſſimulatio intentionis cum diſſimulatione finis conjuncta, 720 in quo conſiſtat, 719. qualis ſit, 720
Diſſuadentis concurſus ad actionem alterius, 136
Docendo media & remedia quomodo quis concurrat ad actionem alterius, 122
Docendo moralitatem actionis quomodo quis concurrat ad actionem alterius, 118
Docendo motiva & impedimenta quomodo quis concurrat ad actionem alterius, 119. 121
Doctrinæ quomodo rectius intelligantur, 260
Dolus a vita perfecta removendus, 25

Digitized by Google

Dominium divinum quando motivum ſervandi legem naturæ eamque non transgrediendi, 407
Dominium perfectum in ſenſus, imaginationem & affectus. Definitio, 571. quale ſit. 572. 573 574. 577. 592
Dominium in ſenſus. imaginationem atque affectus. Definitio, 543. effectus, 554. diviſio, 569. & ſeqq. quid valeat in actionibus juxta legem naturæ exigendis, 566. quomodo acquiratur. 568. 584. quomodo conſervetur, 585
Dominium univerſale in ſenſus, imaginationem atque affectus, 569
particulare, 569
plenum, 570
minus plenum, 570
imperfectum, 571
Dominus ſui ipſius. Definitio, 555. quænam ſollicitudo eum teneat, 556. quod vere liber ſit, 559. quod ſeipſum vincat, 564. quamnam poteſtatem in attentionem, 565. quamnam in ſenſus, imaginationem atque affectus habeat, 567
Dormitatio conſcientiæ quomodo evitetur, 627. quando obtineat, 629

E.

Electionis motivum generale, 335
Empirici in agendo quibus motivis utantur, 285
Errores quinam vitandi culpam evitaturo, 645
Eventus negotii quando dubius, 201. cur plerumque incertus, 202
Examen actionum cur continuo abbrevietur, 438. quomodo ejus moleſtia evaneſcat, 493
Exceptionum regulæ cur cognitæ eſſe debeant in culpa media vitanda, 679
Exempla. Definitio, 250. quando præbeant motivum tentandi, 282. quando corroborent motiva, 283. quibusnam præbeant motiva, 277. 279. 280. 281. 284. 285. quinam iis tanquam motivis utantur, 278. quomodo ſint ſubſidium memoriæ, 298. quænam aliis præferenda, 320
Exemplorum efficacia in iis, qui gloria ducuntur, 286. neceſſitas & utilitas in æmulatione excitanda, 296. uſus in convictione veritatum moralium, 269. in doctrinis rectius intelligendis, 260. in notionum realitate percipienda, 265. in veritate confirmanda, 270. in cognitione viva, 273. in cognoſcendo agendi modo, 275. in illuſtrandis definitionibus & propoſitionibus, 258. 259. in æmulando, 289. in compendioſa cognitione, 297. in reducendis ſenſibus & imaginatione ad conſenſum cum intellectu, 299
Exhortatio. Definitio, 129
Exhortantis concurſus ad actiones alterius, 144. intentio, 130
Experientia quænam præſtet altera, 320
Experientiæ domeſticæ uſus in intuendis univerſalibus in ſingularibus, 261. in illuſtranda cognitione univerſali, 262. in doctrinis rectius intelligendis, 263. in convictione de uſu facultatum noſtrarum, 267. in veritate confirmanda.

Digitized by Google

da, 270. 271. in convictione veritatum moralium, 272. in cognitione viva, 273. in reducendis ſenſibus & imaginatione ad conſenſum cum intellectu, 300. neceſſitas ad veritates morales & pſychologicas intelligendas, 264

F.

Fabula. Definitio, 302. diviſio, 303. effectus, 305. materia, 306. uſus in veritate morali ad cognitionem intuitivam reducenda, 307. a quonam penitus intelligatur, 318. quomodo inveniatur, 309. 310. quibus exemplis æquipolleat, 321. quibus præferenda, 322

Fabulæ dilatatio quo fundamento nitatur, 319

Fabulæ interpretatio. Definitio, 304 unde pendeat, 319

Fabularum inventores quales eſſe debeant, 311. & ſeqq.

ſignificatus fundamentum, 308

vis in perſuadendo, 315

Factum quid ſit, 153

Facultas animæ una quomodo vincat alteram, 562

Facultas cognoſcitiva quomodo ſe habeat in moribus, 699. 700. 702

Facultatum omnium uſus ad cuſtodiam conſcientiæ requiſitus, 643

Facultatum uſu quomodo convincamur, 267. quomodo is agnoſcatur, 268

Facultatis cognoſcitivæ generalis determinatio in moribus, 903

Facultatis locomotivæ actus quomodo impediatur, 192. actu quomodo ad actionem alterius concurratur, 113

Felicitas cum perfectione ſui neceſſario cohærens, 48. motivum cuſtodiæ legis naturalis, 326. vitæ rationi, voluntati divinæ, naturæ humanæ convenientis, 345. verorum bonorum appetendorum, 349. vitæ perfectæ, 334. quomodo moveat ad bona vera appetenda eos, qui demonſtrationes a priori non capiunt, 350. a ſervitute morali aliena, 552. quomodo acquiratur, 596

Felicitatis appetitus naturalis, 324. nexus cum ſummo bono, 217. pars quædam ejus non minima, 635. intentio quomodo ſeſe habeat, 50. cur ad vitæ perfectæ ſtudium requiratur, 51

Felicitatem aliorum quinam promovere intendat, 49

Fine quæſito potiundi media, 92. modus cur ad vitam perfectam cognitus requiratur, 91. cur exciderimus, quomodo inveſtigetur, 203

Finis ad ſummum bonum adſpirantis, 214. ſimulationis, 848

Finis actionum naturæ humanæ conveniens, 54

Finis primarius actionum quinam ſit, 36

ultimus quinam ſit, 28 29

Finium ſubordinatio ad vitam perfectam requiſita, 52

Firmum propoſitum Definitio, 386

G.

Geſtus. Definitio, 709. num ab affectu pendentes impediri poſſint, 796. quod affectus prodant, 752.

Digitized by Google

Geſtus num ſpeciem affectus prodant, 753
Geſtus naturalis. Definitio, 919
affectatus. Definitio, 919
Gloria quod ardorem intendat, 234. quando accendat, 235. quorum æmulationem excitet, 295. quale motivum admittat, 351.352
Gloriæ divinæ manifeſtatio ineſt perfectioni noſtræ, 29
Gradus appropinquationis ad vitam perfectam, 11. remotionis a perfectione vitæ, 12. imperfectionis vitæ moralis, 15

H.

Hiſtoria quomodo in fabulas convertatur, 314
Hiſtoria naturalis. Definitio, 896

I.

Ignorantia quænam vitanda culpam evitaturo, 644
Imaginatio quomodo ad conſenſum cum intellectu reducatur, 299. 300. quando aſſenſum efficiat firmiorem, 301. quomodo ad aſſenſum cum intellectu reducatur, 317. quando nos ſeducat, 523. 524. quomodo impediat, quo minus propoſiti ſimus memores, & legis naturæ recordemur, 525. quomodo impediat rectam legis naturæ applicationem, 527. quomodo impediat, quo minus nexus actionis cum fine ultimo perſpiciatur, 528. quando cum intellectu conſentiat, 575. 578. quomodo in repræſentando bono & malo ad conſenſum cum intellectu reducatur, 582 quando non perfecte conſentiat, 583
Imaginationis dominium. Definitio, 543. 554
concurſus ad repræſentandum objectum, quale requirit notio boni, vel mali, 839. quomodo detegatur, 841
Imitatio. Definitio, 204. quibusdam propria, 205
Imitatio empirica. Definitio, 208
rationalis. Definitio, 208
Imitatores quando ſint empirici, 206. quando non ſint, 207
Imitatores cæci quibus non utantur motivis, 284
Impedimenta quomodo detegantur, 193. 198. quomodo tollantur, 195
Impedimenta vitæ legi naturali conformis quando omnia removere valeamus, 592
Impedimentum, quo minus nexus actionis cum fine ultimo perſpiciatur, 519. applicationis legis naturalis, 516. 517. 518. 528. 534. vitæ perfectæ, 520. 529. 539. ordinatæ, 521. 529. rationi, legi naturæ, voluntati divinæ, ſapientiæ conformis, 521. 529. virtutis, 522. 529. 540. actionum ad legem naturæ exigendarum, 526. attentionis, 531
Impedimentorum diviſio, 179. ab imaginatione & intellectu objectorum remedium, 825. 842. 843. vitæ legi naturalis conformis fons, 591
Imperfectio vitæ moralis in quo conſiſtat, 13
Improvidentiæ remedium, 665. 666. 676
Improvidentiam evitaturus quomodo agere

Digitized by Google

agere teneatur, 670. qua diligentia uti debeat 671
Inceſſus. Definitio, 711
Inclinatio. Definitio, 895
Inclinatio naturalis. Definitio, 895
Inclinationes naturales conformationi partium & differentiis corporum reſpondentes, 908
Inclinationum naturalium identitas in hominibus ac brutis unde colligatur, 914. 915. origo, 906
Incogitantia quid ſit, 653. quomodo definiri poſſit, 654. ejus remedium, 655. cur ab inconſiderantia diſtinguenda, 656
Inconſiderantia cur ab incogitantia diſtinguatur, 656. quod ab incogitantia dependeat, 657. quænam prima cura ei evitandæ impendenda, 658. quomodo evitetur, 664
Inconſiderantiam evitaturi qualis eſſe debeat voluntas, 662. medium hanc acquirendi, 663
Inconſiderate agere cuinam impoſſibile, 659. quando non conſiderate agere culpa ſit, 660
Incuriæ remedium, 677
Indecorum quando motivum non agendi, 391. 394. num ſit motivum ei, qui legem naturæ transgredi non vult, 396
Indicium. Definitio, 876. valor diverſus, 877
Infelicitas in ſervitute morali detenti, 589
Infelicitas motivum non transgrediendi legem naturæ, 327. fugiendi vitam imperfectam, 346
Infelicitatis averſatio naturalis 325
Influxus in actionem quid ſit, 94. quomodo fiat, 99
Influxus in moralitatem actionum undenam ſit, 100. 101, 103
in actualitatem actionum undenam ſit, 103. 104
Ingenium ad acuendam mentem requiſitum, ut nexus actionis cum fine ultimo perſpiciatur, 88
Ingenio alieno quomodo juvemur in dijudicando nexu actionum cum fine ultimo, 90
Inſectorum hiſtoria Dn. de *Reaumur* commendatur, 31
Inſtigatio. Definitio, 123. num ſollicitationis ſpecies, 140
Inſtigantis concurſus ad actionem alterius, 142. intentio, 124
Inſtinctus naturalis. Definitio, 904
Inſtrumentum. Definitio, 154, diviſio, 154. concurſus ad actionem, 155. quo referendus, 156
Intellectus actio quomodo impediatur, 190
concurſus ad actionem alterius, 111 114. & ſeqq. ad repræſentandam actionem, qualem requirit notio boni vel mali, 840. quomodo hic detegatur, 841
Intentio hominis in omnibus actionibus qualis eſſe debeat, 30. 31. ceremoniam inſtituentis, 456. virtutem colentis, 45. ſimulantis, 743
Intentio directa ejus, qui vitam perfectam vivere ſtudet, 34

Digitized by Google

Intentio immediata quænam eſſe debeat, 39
Intentionis diſſimulatio in quo conſiſtat, 719
Intentionem diſſimulans quomodo ſe gerat, 722
Intentorum ſimul regula generalis, 47
Interpretationis ulterioris fabularum fundamentum, 319
Inventores fabularum quales eſſe debeant, 311. & ſeqq.
Inutilitas num ſit motivum nolitionis, 359
Irrita quando fiat actio, 287
Jubentis Concurſus ad actiones alterius, 137
Judicia aliorum qualia eſſe debeant, ut ſint motiva, 353
Judicium benignum aliorum quando motivum vivendi vitam homine dignam, 401. quosnam moveat, 351
Judicium ſiniſtrum aliorum quosnam moveat, 352
Jus ſingulorum in ceremonias, 455
Jus amplificandi ſignificatum ceremoniarum undenam ſit, 504
Jus inſtituendi ceremonias undenam ſit, 503

L.

Latentia cur ope definitionis non agnoſcantur, 770. quomodo agnoſcantur, 774. quando agnoſci nequeant, 775
Legis naturæ cur non ſimus memores, 514, 515. 525. 533. cuſtodiendæ motivum, 326. non transgrediendæ motivum, 327. applicandæ impedimentum, 516. 517. 518. 527. 534. ſervandæ impedimentum, 538. applicatio quando male fiat, 517. 518. ſervandæ propoſitum cum cuſtodia conſcientiæ connexum, 633
Legum naturalium uſus in nexu actionum cum perfectione ſui aliorumque dijudicando, 79
Legum naturalium ſyſtema quid ſit, 81. quomodo condatur, 282. 284. uſus ſingularis, 851
Lex naturæ quam rigide obſervanda, 4. cur tota obſervanda, 5
Liber vere quando ſit homo, quando non, 558 quinam ſit, qui non ſit, 559
Libertas vera ubi reperiatur, 559
Libertatis abuſus in quo conſiſtat, 557 uſus in quo conſiſtat, 557
Licentia vivendi. Definitio, 560. a quonam cum libertate confundatur, 561
Locus quomodo influat in actionem hominum, 179
Logica probabilium uſus nondum ſatis cognitus, 281

M.

Malitia actionis quale ſit motivum, 369
Mali confuſa & diſtincta repræſentatio quando conſentiant, 574
notio confuſa in moribus naturalibus quænam ſit, 905
Malum quomodo repræſentetur tanquam eventu poſſibile, 667. quomodo tanquam certo futurum, 667. 669. quo effectu hoc fiat, 668
Mathemata quomodo tradantur ab Autore, 297
Media quomodo inveſtigentur, 155

quando

Digitized by Google

quando naturâ ad ea concurrat, 186

Mediis uti quando illicitum, 467. illicitis num uti liceat, 471

Mediorum ſubordinatio qualis ſit, 42. cum ſubordinatione finium eadem, 42

Medium præſentiæ animi, 650. evitandi inconſiderantiam, 664. negligentiam in agendo, 673

Medium medii. Definitio, 41

Medium proximum. Definitio, 40

remotum. Definitio, 40

Memoriæ ſubſidium, 298

Mentis acies ad vitam perfectam, 77. ad dijudicandum nexum actionis cum fine ultimo requiſita quomodo acquiratur, 80. 85

Metaphorica cur videantur, quæ proprie dicta ſunt, 73

Methodus ſyſtemati legum naturalium conveniens, 83

Metus quomodo ſimulationem prodat, 854

Modus agendi quomodo cognoſcatur, 275. Definitio, 276

Moleſtia non omnibus eadem, 892

Mores animi. Definitio, 688. quomodo vulgo definiantur, 708. qualem determinationem appetitus & averſationis præſupponant, 697. quinam reſpondeant conformationi partium, 888. quinam differentiis aliis corporum, 889. ex affectu, 790. 793. quomodo ex actionibus conjectentur, 831 & ſeqq.

Mores adventitii. Definitio, 902

boni & mali quomodo differant, 693

Mores brutorum qualem determinationem appetitus & averſationis præſupponant, 698. qualem facultatis cognoſcitivæ, 700

hominum qualem ſupponant determinationem in facultate cognoſcitiva, 699. 712

honeſti & inhoneſti quomodo differant, 694

liberi. Definitio, 689. cur imputentur, 690

naturales. Definitio, 689. cur non imputentur, 690. unde pendeant, 891. quomodo ſe habeant ad facultatem cognoſcitivam, 897. 898

naturales communes. Definitio, 901

proprii. Definitio, 901

ſimulati. Definitio, 864

veri. Definitio, 864

Morum ſigna quænam ſint, 706. differentia, 692. indicium, 876. varietas unde, 893. 894

dependentia a libertate poſitiva. Definitio, 691

privativa. Definitio, 691

Morum conjectatio Definitio, 704. in quo conſiſtat, 705. ex affectu, 817. 824. 793. ex actionibus, 826. 827. 828. 838. ex ſimulatione, 836. 869. ex ſomniis 921. 922

Morum decororum & indecororum differentia, 696

hominis cum moribus brutorum comparatio, 701

licitorum & illicitorum differentia, 695

Morum naturalium in hominibus ac brutis identitas, 899. 900. unde colligatur, 914. 915. cum inclinationibus & reclinationibus, 912. cum conformatione partium & differentiis corporum conformitas, 913
Simulatorum ad appetitum, 865. ad facultatem cognoſcitivam relatio, 866. 867
Mos. Definitio, 687
Morſus conſcientiæ cur non fovendi, 622. cur ſumma cura evitandi, 624. quem non angeant, 684
Morſuum conſcientiæ remedium, 620
Morſibus conſcientiæ quando non ſit locus, 614. quomodo medeamur, 617. cur difficulter medeamur, 621
Morſus conſcientiæ lenire quid ſit, 618. quomodo leniantur, 619. 623
Motiva quando in promptu ſint, 169. quando præbeant exempla, 277. 279. 280. 281. 284. 285. quomodo corroborent exempla, 283. quomodo detegantur, 371
Motiva extraordinaria. Definitio, 726. quando habeant locum, 731. quomodo detegantur, quæ alteri ſunt, 858
generalia. Definitio, 727. qualia ſint, 732. 735
generaliſſima. Definitio, 728. qualia ſint, 735
legitima. Definitio, 369. quænam ſint, 370. quomodo detegantur, 370
ordinaria. Definitio, 726. quando habeant locum, 731
ſpecialia. Definitio, 727. qualia ſint, 732. 735
Motiva ſingularia. Definitio, 727. qualia ſint, 732. 736
Motiva ſimulationis num dentur, 860. quomodo reperiantur, 861. quid ſint, 868
Motivorum cognitio a cognitione morum dependens, 857
Motivorum colliſio. Definitio, 741. quando obtineat, 742
Motivum tentandi quomodo præbeant exempla, 282. colendi virtutem, 328. fugiendi vitia, 329. proſequendi ſummum bonum, 330. fugiendi ſummum malum, 332. fugiendi vitam imperfectam, 346. fugiendi vitam rationi, voluntati divinæ & naturæ humanæ contrariam, 347. appetendi bonum, 348. appetendi bona vera, 349. vivendi vitam homine dignam, 401. non vivendi vitam homine indignam, 403. 404. ſervandi legem naturæ eamque non transgrediendi, 407. 409 fugiendi ſervitutem moralem, 588. 590. vitandi culpam, 686
Motivum vitæ perfectæ, 334. 342. 374. 410. 387. 394. 399. vitæ conformis rationi, voluntati divinæ, naturæ humanæ, 345. rei appetendæ, 356. eorum qui gloria ducuntur, 351. 388. 389. 402. 403. virtutem colentis, 375. ejus, qui agere vult, quæ Deus vult, 378. 383. ejus, qui agere non vult, quæ Deus vult, 379. 384. ejus, qui agere non vult, niſi quod vult alter, 380. volentis vivere vitam homine dignam, 397. cuſtodiæ conſcientiæ, 625

Ab-

Digitized by Google

Motivum agendi quando voluntas Dei, 405. 406. quale ſit ei, cui ſeria voluntas legem naturæ ſervandi, 372
Motivum non agendi quando noluntas Dei, 405. 406. quale ſit iis, qui legem naturæ ſervare volunt, transgredi nolunt, 373. quale ei, qui vitam perfectam vivere vult, 394. quale ei, qui vitium averſatur, 376. quale ei, qui gloria ducitur, 352
Motivum actionis non omittendæ quale ſit ejus, qui vitia averſatur, 377
Motivum generale volitionis, 335. nolitionis, 338. perſiſtendi in propoſito, 354. deſiſtendi a malo propoſito, 355
Motivum nolitionis quando requiratur ad actionem omittendam, 360
Motivum a voluntate Dei petitum cur ad vitam perfectam neceſſarium, 27

N.

Natura quando ad media concurrat, 186
Negligentia in agendo quomodo evitetur, 672. quale habeat remedium, 673
Nexus actionum qualis requiratur ad vitam legi naturæ, rationi. voluntati divinæ & naturæ humanæ conformem, 74. qualis ſit in vita perfecta, 69
Nexus actionum cum fine ultimo, 68. 71
felicitatis cum ſummo bono, 217.
cum perfectione ſui, 48
vitæ ordinatæ cum virtute, 64
perfectæ cum virtute, 26
ſapientis directionis actionum cum virtute, 64
Nexus univerſalis actionum omnium evictus, 76. ad vitam perfectam, 72. ad ſapientem directionem actionum requiſitus, 73
Nolitionis motivum, 339. motivum generale, 338. actus quando neceſſarius ad avocandum alterum ab actione committenda, 361, quando non, 362. & ſeqq.
Nolitio committendi actionem. Definitio, 392
Noluntas alterius quando ſit motivum non agendi, 380. quando eſſe debeat, 381. 382
Noluntas Dei quando motivum non agendi, 379. 405. 406
Notæ definitionem ingredientes quomodo agnoſcantur, 776
Notio boni vel mali qualis in ſimulatione ſupponatur, 867
Notio veritatis moralis quomodo fabula alterius animo ingeneretur, 305
Notionum ad exempla applicatio quem habeat uſum, 258
Notionum realitas quomodo percipiatur, 265. cur in philoſophia practica a poſteriori probanda, 266
Notiones diſtinctas actionum formandi habitus ad culpam vitandam requiſitus, 646

O.

Objectum affectus quomodo innoteſcat, 792. quomodo ut tale repræſentetur, quale requirit affectus, 822
Obligatio ad conſcientiam cuſtodiendam, 610
Obligationis divinæ ad legem naturæ cuſtodiendam fons, 488
Occaſio quid ſit, 158. 159. quando deficiat

Digitized by Google

ficiat, 161. quando adverſa, 162. num ſit in noſtra poteſtate, 163. a quonam ſtudio quæratur, 164. quomodo quæratur, 165. a quonam arripiatur, 166. 172. quomodo arripiatur, 167. quando caſu offeratur, 170. quemnam ad agendum impellat, 171

Occaſionem agendi quinam quærat, 175. 176. quinam non arripiat, 177. 178

Odium quando æmulationis cauſa, 293

Odium actionis cujusdam cui conveniat, 228

vitæ perfectæ quibusnam conveniat, 222

vitii cui conveniat, 220

Onirologia moralis. Definitio, 923

Orare alterum ut faciat, quid ſit, 126 cujusnam ſit, 128

Orantis concurſus ad actionem alterius, 146

Operarum collationi debitus concurſus, 151. qualis ſit, 150

P.

Perfectio ſui aliorumque quomodo intendi debeat, 37. 38. quænam cum ea ſimul intendantur, 46. num ſit actionum humanarum finis ultimus, 28. num primarius, 36. num finis humanæ naturæ conveniens, 54

Perfectio hominis. eius cognitio diſtincta cur ad vitam perfectam requiratur, 35

vitæ moralis in quo conſiſtat, 9

Philoſophia ceremonialis, 511

Philoſophiæ primæ uſus in rimandis profundioribus, 13

Phyſiognomia. Definitio, 881. quænam in ea demonſtranda, 885. quod detur, 909. uſus, 910. in quænam inquirere debeat eam exculturus, 911. cur non ſufficiat ad mores conjectandos, 917

Phyſiognomiam exculturus in quid inquirere debeat, 887

Phyſiognomizare quid ſit, 882. quid requirat, 883. 884

Pietas philoſophica ad vitam perfectam requiſita, 22

Pœnitentia quando ardorem non agendi accendat, 241. quando intendat, 242

Pœnitentia prævisa quale ſit motivum, 355

Poſitus corporis. Definitio, 710

Præceptum divinum quando motivum agendi, 383

Præcipientis concurſus ad actionem alterius, 137

Præcipitantiæ remedium, 674

Præcipitantiam evitaturus qualis eſſe debeat, 675

Præfabulatio. Definitio, 304

Præſentia animi. Definitio, 648. medium, 649. 650. ad affectus diſſimulandos requiſita, 804

Prætextus. Definitio, 718. in quo conſiſtat, 718

Prætextu utens quomodo ſe gerat, 722

Principium generale avocandi alterum ab actione committenda, 361

Principii reductionis uſus in fabulis inveniendis, 310

Profeſſores inhabiles quinam ad philoſophiam practicam docendam, 264

Probibentis concurſus ad actionum alterius, 138

Pro-

Digitized by Google

Prohibitio divina quando motivum non agendi, 384
Propoſitionum illuſtratio quid ſit, 252. quomodo fiat, 258. 259
Propoſitum quando tenaciſſimum, 227. quando ruat, 427. quomodo quis ab eodem abducatur, 428 quando ſubſiſtat, 430. quomodo ab eo abducatur ardore agendi vel non agendi flagrans, 431
Propoſiti cur non ſimus memores, 514. 515. 525. 533. cur ſemper memores eſſe debeamus, 432. quomodo ſemper ſimus memores, 436. quomodo per totum diem ſimus memores, 441
Propoſitum agendi quomodo determinetur, 419. 420. quando non ſequatur, 421. 422. 424. 425
Propoſitum ſervandi legem naturæ quomodo ſubſiſtat, 429. cum cuſtodia conſcientiæ connexum, 633
Propoſitum non deſerendi motivum generale, 354
Propoſitum malum abominandi motivum, 355
Propoſiti ſervandi legem naturæ quomodo ſemper eſſe poſſimus memores, 433
Propoſiti ſingularis quomodo reddamur memores, 440
Propoſiti virtutem colendi & vitii fugiendi quando ſemper ſimus memores, 435
Propoſiti vitam perfectam vivendi quando ſimus memores, 434
Pugna inter partem ſuperiorem ac inferiorem facultatis appetitivæ quando nulla detur, 573
Pulchritudo motivum vitæ perfectæ, 342 volitionis, 336. 387
Pulchritudo ceremoniarum, 475. quomodo vera ab apparente diſtinguatur, 476. vitæ perfectæ, 341
Pudor quemnam ardorem intendat, 237 quando accendat, 238

R.

Dn. de *Reaumur* elogium, 31
Reclinatio. Definitio, 896
Reclinatio naturalis. Definitio, 896
Reclinationes naturales conformationi partium & differentiis corporum reſpondent, 908
Reclinationum naturalium origo, 906. identitas in hominibus ac brutis unde colligatur, 914. 915
Rectitudo actionis quando motivum agendi 387. 388
Rectitudo omnimoda actionum ad vitam perfectam requiſita, 21
Rectitudinis actionum cura ad cuſtodiam conſcientiæ requiſita, 636
Rectitudinis defectus quando motivum non agendi, 387. 389
Reductio cognitionis ad intuitivam, 307
Reductio cognitionis ſymbolicæ ad intuitivam, 255. 256
Reductio ſenſuum & imaginationis ad conſenſum cum intellectu, 299. 300 317
Regularum vitæ perfectæ, rationi, voluntati divinæ, legi naturæ & rationi conformis identitas, 57
Rei appetendæ motivum, 356. 357
Remedium. Definitio, 194. quid ſit, 199. quomodo inveſtigetur, 196. 200. abſentiæ animi, 652. culpæ me-

Digitized by Google

mediæ, 678. impedimentorum ab imaginatione objectorum, 825. objectorum ab imaginatione & intellectu in conjectandis moribus, 842. 84 . improvidentiæ, 665. 666. 676. incogitantiæ, 656. inconſiderantiæ, 664. incuriæ, 677. negligentiæ, 673. præcipitantiæ, 674. ſomni conſcientiæ, 626
Remotio a perfectione vitæ, 12
Rerum quarumcunque concurſus ad actiones hominum, 152. quo referendus, 157
Res latens. Definitio, 769
Rigor in cuſtodia legis naturalis obſervandus, 4

S.

Sapiens directio actionum quando obtineat, 59. quando cum vita perfecta coincidat, 60. qualem actionum nexum requirat, 73. nexus ejus cum virtute, 64. cum vita ordinata, 65
Sapientiæ neceſſitas ad vitam recte agendam, 61
Sapientiam in dirigendis actionibus quomodo conſequamur, 594
Scientia ceremoniarum quod detur, 511
Scrupuli conſcientiæ cur eximendi, 602 quomodo eximantur, 603
Semiotica moralis. Definitio, 707
Senſus quomodo ad conſenſum cum intellectu reducantur, 299. 300. 317. quando aſſenſum efficiunt firmiorem, 301. quomodo nos ſeducant, 512, 513. quando impediant legis naturæ applicationem, 516. 518. perſpicientiam nexus actionis cum fine ultimo, 519. vitam perfectam, 520. virtutem, 522. quando cum intellectu conſentiant, 575. 577. 578. quomodo in repræſentando bono & malo ad conſenſum cum intellectu reducantur, 582. quando non perfecte conſentiant, 583
Senſus culpa a vita perfecta alienus, 681
Senſuum dominium. Definitio, 543 effectus, 554
Senſuum & imaginationis atque intellectus diſſenſus. Definitio, 576 quando obtineat, 578
Sermo. Definitio, 713. quomodo prodat affectum, 752. 800. num ſpeciem affectus prodat, 753. cur ſimulationem prodat, 853
Servus ſui ipſius. Definitio, 544. qualem degat vitam, 547. 548. 549. 550. vere liber non eſt, 559. licentiam vivendi cum libertate confundit, 561
Servitus moralis. Definitio, 544. gradus, 545. effectus, 589. cur virtuti adverſa, 551. cur felicitas, 552. cur beatitudo cum ea non conſiſtat, 553. quomodo in ea vivatur, 547. & ſeqq. quomodo ex ea in libertatem quis ſe vindicet, 586
Servitutem moralem fugiendi motivum, 588. vitandi motivum, 590
Servitus moralis imperfecta. Definitio, 546
perfecta. Definitio, 546
Signa morum quænam ſint, 706
Signa communia. Definitio, 758
Signa diagnoſtica. Definitio, 767.

latem-

latentibus agnoſcendis inſerviunt, 774. quomodo occultanda, 785. 786. quomodo a poſteriori detegantur, 787. quandonam ſint propria, 777. quando communia, 777. quando communia fiant propria, 778
Signorum diagnoſticorum communium ratio unde petenda, 779
propriorum ratio unde petenda, 780
Signa diagnoſtica affectuum. Definitio, 767. cur definitionum vicem ſubeant, 768. quomodo a poſteriori detegantur, 788. contrarietatis appetitionum & averſionum, 851. ſimulationis, 852. 853
Signa communia affectuum. Definitio, 759. quid inde concludatur, 760
propria affectuum. Definitio, 761. quænam inde concludantur, 763
Signa plura quando non conſtituant coacervatum, 781
Signum coacervatum, Definitio, 765 quando proprium evadat, 766
proprium. Definitio, 761
ſimplex. Definitio, 764
Significatus ceremoniarum num mutari poſſit, 452, cur docendus, 457
Simulandi ratio ſufficiens quando deſit, 725
Simulantis actio qualis ſit, 743. intentio, 743
Simulatio. Definitio, 716. cur fiat, 845. quando locum non habeat, 846. quomodo prodatur, 853. & ſeqq. quomodo per ſigna diagnoſtica detegatur, 856. quomodo detegatur, ſi alterius mores fuerint perſpecti, 859. quomodo per theoriam motivorum detegatur, 862. quando mos ſit, 863. quam circumſpectionem requirat, 870. quando ex actione inſueta colligatur, 873. quomodo per motiva confitendi veri detegatur, 878. 879, quomodo detegatur quæſtionibus, 880
Simulationis finis, 848. motivum quid ſit, 868. ſigna diagnoſtica, 852. 853
Simulationem detegendi modus cur perſpectus eſſe debeat, 844
Simulatio affectus quænam requirat, 809. qua theoria indigeat, 810. cur difficilis, 811
affectus futuri quomodo ſeſe habeat, 815. 816. quomodo fiat, 812. cur facilior ſimulatione præſentis, 813
affectus præteriti quam circumſpectionem requirat, 841
finis qualis ſit, 721
intentionis qualis ſit, 721. cur cum ſimulatione finis conjungatur, 720
Simulatio conſequens. Definitio, 746
conſiſtens. Definitio, 746
præcedens. Definitio, 746
Siniſtrum aliorum judicium quando motivum non vivendi vitam homine indignam, 402
Sollicitantis concurſus ad actionem alterius, 141
Sollicitatio ad agendum. Definitio, 139 diviſio, 139
Somnia conjectandis moribus inſerviunt, 921. 922

Digitized by Google

Somni conſcientiæ remedium, 626. cum ſervitute morali connexio, 629

Somnio conſcientiæ quinam liber ſit, 628

Status animi affectu perturbati, 789. actionem ſinceram committentis, 828. 830. ardore agendi & non agendi flagrantis, 228

Suadentis concurſus ad actionem alterius, 135

Summum bonum quando ſit ſuiipſius motivum, 331 cur per ſe appetibile 331. quomodo conſequamur, 215. 596. ipſum proſequendi ardor quomodo excitetur, 417. motivum, 330. conſecuturi ardor qualis ſit, 229. finis, 214. cura unica, 216

Summum malum cur per ſe averſabile, 333. quando motivum nolendi ſuiipſius, 333. ejus fugiendi motiva, 332. 333. ardor quomodo excitetur, 418

Syllogismi explicatoris ſtatus mentis concluſio, 832. 791. minor quomodo innoteſcat, 833. 834. 823. 792

Syſtema quid ſit, 81

Syſtema doctrinæ. Definitio, 81. quomodo condatur, 82. 84

Syſtema legum naturalium quid ſit, 81. quomodo, 84. qua methodo condatur, 82. quem habeat uſum in acuenda mente ad perſpiciendum nexum actionum cum fine ultimo, 85. 86

T.

Tempus quomodo influat in actiones hominum, 179

Theoria ad diſſimulandum affectus requiſita, 810

Theoriæ motivorum utilitas in conjectandis moribus, 841

Transgreſſio legis naturalis cur ad imperfectionem vitæ ducat, 20

Transgreſſionis legis naturalis vitandæ motivum, 327. 407. ardor quomodo excitetur, 414

V.

Varietas morum naturalium undenam ſit, 893. 894

Verba qualia affectus ſuggerat, 799

Verba præmeditata. Definitio, 798

Veritatis confirmatio. Definitio, 251 quomodo fiat, 270 *concurſus* ad actionem alterius, 138

Veritatum moralium quomodo convincamur, 269. 270

Vincere ſeipſum quid ſit, 562. quinam ſeipſum vincat, 562

Vindicatio ſui ex ſervitute morali in libertatem quomodo fiat, 586. quo damno negligatur, 587. quodnam habeat initium, 631

Virtus quid requirat, 6. qualem nexum actionem requirat, 75. quomodo ad eam adducamur, 595. quinam eam ament & oderint, 220

Virtutis impedimentum, 522. 529. 541. medium, 595. motivum, 328. cultura quemnam ardorem requirat, 231

Virtutem colendi ardor quomodo excitetur, 415

Virtutem colendi propoſiti quomodo ſemper ſimus memores, 435

Virtutem colentis intentio, 45. motivum, 375

Vita

Digitized by Google

Vita bona quænam ſit, 8
Vita homine digna quænam ſit, 53. quando ejus convenientia cum lege naturæ eam vivendi motivum, 403. quodnam ſit eam vivendi motivum, 397. 401. quomodo eam vivendi ardor excitetur, 412
Vitam homine indignam non vivendi motivum, 403. non vivendi ardor quomodo excitetur, 414. quando ejus diſconvenientia cum lege naturæ motivum nolitionis, 404
Vita honeſta quænam, 8
Vita imperfecta qualis ſit, 66. quomodo eam non vivendi ardor excitetur, 343 quodnam ſit motivum non agendi eam vivere nolentis, 400
Vitæ imperfectæ deformitas, 343. fugiendæ motivum, 346
Vita inhoneſta quænam ſit, 8
— *inordinata.* Definitio, 62
Vita legi naturali conformis qualem nexum actionum requirat, 74. quando nondum degatur, 32. quando non vivatur, 549. 550. unde impediatur, 521. 529. 540. 591. quando omnia impedimenta removere valeamus, 592. quomodo ad eam adducamur, 593
Vita mala quænam ſit, 8
Vita moralis. Definitio, 7. quandonam ſit imperfecta, 14. quando magis imperfecta, 20
Vitæ moralis perfectio in quonam conſiſtat, 9
— *imperfectio* in quo conſiſtat, 13
— ejus gradus, 15
Vita naturæ humanæ conveniens quomodo acquiratur, 594. ejus motivum, 345. cur homines eam fugiant, 347
Vita ordinata. Definitio, 62. quænam ſit, 63. quomodo ad eam adducamur, 594
Vitæ ordinatæ impedimentum, 521. 529. 540. nexus cum ſapiente actionum directione, 65. cum virtute, 64
Vita perfecta quid requirat, 51. 52. 72. 77. 91. num rationi conformis, 55. num voluntati divinæ conformis, 56. qualem cognitionem perfectionis hominis requirat, 35. quemnam ardorem poſtulet, 230. quod voluntati divinæ conformanda, 27. a quonam vivatur, 9. quinam eam ament & oderint, 221. quando eam vivere ſtudeamus, 33. quomodo ad eam adducamur, 594. quando ad eam propius accedamus, 18. quantum appropinquetur, 11. quando ab eadem longius recedamus, 19
Vitæ perfectæ impedimenta, 520. 529. 539. 540. medium, 17. medium ad eam propius accedendi, 18. motiva, 334. 342. 410. pulchritudo, 341. regulæ, 58
Vitam perfectam vivendi ardor quomodo excitetur, 412. propoſiti quando ſimus memores, 434
Vitam perfectam vivere volentis motivum non agendi, 394
Vita rationi conformis quænam ſit, 55. quando non vivatur, 548. quomodo ad eam adducamur, 594. quomodo eam vivendi ardor excitetur, 412. quo-

Digitized by Google


quomodo ardor non vivendi, 414.
cur homines eam fugiant, 347
Vita rationi conformis motivum, 345
ſapientiæ conformis impedimenta, 521. 529. 540
Vita ſapienter non inſtituta qualis ſit 67
Vita voluntati divinæ conformis impedimenta, 521. 529. 540. motiva, 345
Vitandæ culpæ ſtudii fructus, 682. 683. 684
Vitium quinam ament & oderint, 220
Vitiorum fugiendorum ardor quomodo excitetur, 416. motivum, 329. propoſitum quomodo ſemper oculis obverſetur, 435
Univerſalium in ſingularibus intuitus. Definitio, 257. cauſæ, 261
Volitionis motivum, 336. motivum generale, 335. omittendæ ratio, 359
Volitio committendi actionem. Definitio, 393
non committendi actionem. Definitio, 392
non omittendi actionem. Definitio, 393
Voluntatis actus quomodo impediatur, 191. quomodo eodem concurratur ad actionem alterius, 112
Voluntatis determinatio ad affectum diſſimulandum, 803
Voluntas alterius quando motivum agendi, 380. quando eſſe debeat, 381, 382
Voluntas conſtans & perpetua quam habeat rationem generalem, 233. ſervandi legem naturæ cuinam ſit, 232
Voluntas divina quando motivum agendi, 378. cuinam motivum agendi, 405. 406. quando motivum committendi actiones legi naturæ conformes, omittendi contrarias, 385
Voluntas ſeria. Definitio, 386
Voluptas cur non omnibus eadem, 892
Vox. Definitio, 712. prodit affectus, 752. num ſpeciem affectus prodat, 753
Vocis mutatio appetitionibus & averſionibus reſpondens. 850. in affectu num impediri poſſit, 797
Vox affectata. Definitio, 919
naturalis. Definitio, 919
Utile cur judicetur bonum, 358
Utilitas motivum rei appetendæ, 356. 357
Vultus. Definitio, 708. affectus prodit, 752. num ſpeciem prodat, 753. num mutatio ejus in affectu impediri poſſit, 795. quod mutatio appetitionibus & averſionibus reſpondeat, 850
Vultus affectatus. Definitio, 919
naturalis. Definitio, 919

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google